HAROLD B. LEE LIBRARY
BRIGHAM YOUNG UNIVERSITY
PROVO, UTAH

Unter gesetzlichem Schutze gegen Nachdruck und Uebersetzung.
Enregistré dans les bureaux du Ministre de l'Intérieur de la France.
Déposé au bureau de la Librairie institué au département de l'Intérieur à Bruxelles.

St. Louis Mo.: B. Herder, 17 South Broadway.

Oeniponte, typis Wagnerianis.

THEOLOGIAE DOGMATICAE

COMPENDIUM

IN USUM STUDIOSORUM THEOLOGIAE.

TOMUS I.

EDIDIT

H. HURTER S. J.

S. THEOLOG. ET PHILOS. DOCTOR, EJUSDEM S. THEOLOG. IN C. R. UNIVERSITATE OENIPONTANA PROFESSOR P. O.

CUM APPROBATIONE CELSISSIMI ET REVERENDISSIMI EPISCOPI BRIXINENSIS ET FACULTATE SUPERIORUM.

EDITIO SEPTIMA AUCTA ET EMENDATA.

OENIPONTE

LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA.

1891.

BX
1751
.H92
1891
vol. 1

T. Rogers

THEOLOGIA GENERALIS

COMPLECTENS

DISPUTATIONES QUATUOR.

AUCTORE

H. HURTER S. J.

S. THEOLOG. ET PHILOS. DOCTORE, EJUSDEM S. THEOLOG. IN C. R. UNIVERSITATE OENIPONTANA PROFESSORE P. O.

EDITIO SEPTIMA RECOGNITA.

OENIPONTE.

LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA

1891.

Unter gesetzlichem Schutze gegen Nachdruck und Uebersetzung.
Enregistré dans les bureaux du Ministre de l'Intérieur de la France.
Déposé au bureau de la Librairie institué au département de l' Intérieur à Bruxelles.

St. Louis Mo.: B. Herder, 17 South Broadway.

Oeniponte, Typis Wagnerianis.

HAROLD B. LEE LIBRARY
BRIGHAM YOUNG UNIVERSITY
PROVO, UTAH

Prolegomena.

τὸ ἔτυμον, verum, i.e. vera origo alicujus vocabuli.

I. *Theologiae notio.* — Theologia ex ipso nominis etymo est sermo seu doctrina seu scientia de Deo: quam significationem etiam penes patres habet, quibus theologia est doctrina sive de Deo uno secundum naturam, sive de ss. Trinitate, sive etiam de singulis in Trinitate personis. Saepe tamen theologiae nomine non tantum intelligitur doctrina de Deo, sed etiam doctrina seu scientia, quae alia praeter Deum contemplatur, omnia scil ea, quae divina revelatione continentur. Porro revelatio christiana complectitur credenda et agenda, seu quae spectant ad fidem et ad mores, ut solent theologi distinguere cum conc. tridentino sess. 4. Mores seu agenda spectant ad theologiam practicam (quae complectitur theologiam moralem et pastoralem, liturgicam, jus canonicum etc.); objecta fidei seu credenda ad theologiam dogmaticam, quae jam proprie et per excellentiam theologia simpliciter dici consuevit: qua significatione nomen hoc in sequentibus utemur. Quarta tandem significatione, eaque latissima theologia complectitur etiam omnes disciplinas auxiliares, quae connexae sunt cum revelationis objecto, cujusmodi sunt introductio biblica, hermeneutica, archaeologia biblica vel christiana, historia ecclesiastica, patrologia etc., quae juvant ad fidem christianam tuendam atque illustrandam, ideoque melius disciplinae theologicae quam theologia vocantur [1]).

II. Ut autem sacrae theologiae ratio, indoles et amplitudo accuratius perspiciatur, tria praesertim consideranda sunt, ejus scil. fons, unde suas haurit cognitiones; objectum, quod contemplatur, et modus quo circa illud versatur. Ratione fontis et luminis distingui potest in theologiam naturalem, quae philosophiae est pars, si

[1]) Cf. Scheeben Handbuch der kath. Dogm., Einleitung.

scil. sola ratio fons est cognitionis: et revelatam seu supernaturalem, si revelatione utitur duce et magistra. De hac nobis erit sermo. Theologiae objectum est, ut diximus, Deus, sed pro magis vulgata et laxiori acceptione universum fidei (seu revelationis) christianae objectum, unde ratione objecti scientia fidei (seu revelationis) dici posset. Potest tamen universum fidei objectum revocari ad Deum, adeo ut Deus non solum sit objectum hujus scientiae princeps, verum etiam, ut loquuntur theologi scholae, subjectum attributionis[1]): „nam omnia pertractantur in sacra doctrina sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad principium et finem," ut inquit s. Thomas[2]); vel omnis revelatio refertur „ad Deum secundum se et ut assequibilem a nobis[3]);" vel ea exhibet nobis Deum secundum se aut secundum suas ad extra communicationes; et cum communicationes Dei ad extra suum attigerunt fastigium et consummationem in incarnatione, in Christo Jesu, subjectum attributionis dici poterit Deus et J. Christus, quo non inepte referuntur verba Christi: *Haec est autem vita aeterna: Ut cognoscant te solum verum Deum et quem misisti Jesum Christum*[4]). Triplici autem praesertim modo versari potest theologus circa revelationis objectum. Potest enim singulas veritates revelatas et credendas seu fidei dogmata e revelationis fonte eruere, erutas defendere adversus fidei hostes eorumque refellere errores, statutas et propugnatas pro viribus illustrare: pro quo triplici munere theologia, quae circa dogmata versatur seu dogmatica, distinguitur in positivam, polemicam et scholasticam[5]). Theologia vero positiva pro varietate fontis seu canalis, quo revelationis depositum continetur et ad nos derivatur, unde sua argumenta depromit ad singula dogmata ponenda seu probanda, di-

---

[1]) *Subjectum attributionis* in aliqua scientia illud dicitur, cui omnia subjiciuntur, et ad quod omnia, quaecunque disseruntur exponunturque, referuntur atque respiciunt. Attributum vero dicitur omne id, quod ad illud attributionis subjectum refertur. Cf. Schrader in commentario de theologia generatim n. 2 ss.; Mazzella de virtutibus infusis disp. 2. a. 2; Scheeben § 51.

[2]) 1. p. q. 1. a. 7. [3]) Ita Lugo de fide disp. 3. s. 1. n. 15.

[4]) Joan. 17, 3; cf. Kleutgen Theol. der Vorzeit t. ult. n. 296 ss. Ratio ergo formalis, cur aliquid in theologia considerari possit, est divinitas, et haec dicitur ratio formalis *quae*; ratio vero formalis *qua* vel *sub qua* illud possit considerari est revelatio divina.

[5]) Per se autem patet hos tres disputandi modos non esse ab invicem sejungendos, sed optimum illum fore theologum, qui eos apte conjungat iisdemque pro opportunitate accurate utatur. Prouti tamen una vel altera disserendi methodus penes aliquem praevalet, denominabitur ejus disputatio vel scholastica, polemico-scholastica, dogmatico-scholastica etc.

stingui iterum poterit in biblicam [1]) seu exegeticam (cui tamquam disciplinae auxiliares subjiciuntur introductio, archaeologia, hermeneutica etc.), patristicam [2]), synodicam, symbolicam, liturgicam [3]) etc.

III. *Theologiae scholasticae notio.* — Quod vero theologiam attinet scholasticam, falluntur vehementer, qui putent, hujus veluti essentiam consistere in ordine systematico, quem in exponendis dogmatibus sequitur: nam licet ordo systematicus et cohaerens eam plurimum juvet vel etiam sponte sua consequatur, non tamen in eo consistit ejus ratio et essentia; ordinem enim quilibet theologus prudens sectabitur. Neque ea consistit in usu frequenti philosophiae aristotelicae, dialecticae praesertim, quamvis haec aptum ad illam excolendam sit medium; neque, ut multi calumniantur, in philosophiae abusu foedaque hinc oborta commixtione veritatum rationis et revelationis; neque in usu syllogismi, quo nil ineptius, cum quilibet, qui fruatur ratione, ratiocinio, quod ad syllogismi formam reduci poterit, sane utatur; neque in quaestionum subtilitate [4]), vel in conatu demonstrandi veritates revelatas ex earundem cum rationis principiis consonantia. Quibus

---

[1]) Alii tamen nomine theologiae exegeticae eam intelligunt, quae simpliciter verum s. Scripturae sensum investigat, eamque dividunt in docentem, quae regulas verum s. Scripturae sensum inveniendi tradit et hermeneutica dicitur, et utentem, quae regulas illas applicat. Quod si theologia exegetica exponit vaticinia, theologia prophetica ab iisdem dicitur; typica vero, si in scrutandis et explicandis rerum futurarum typis et symbolis occupatur. Cf. Wiest institut. theolog. t. 1. § 18.

[2]) A theologia patristica, quae ex scriptis ss. patrum eruit ad fidem moresque et disciplinam spectantia eaque in justum redigit ordinem, distingui solet patrologia, qua designatur disciplina exhibens omnia ea, quae ad sanctorum patrum rectum in theologia usum requiruntur.

[3]) Ceterum theologiae liturgicae nomine frequentius ea solet theologiae practicae pars intelligi, quae docet modum cultum divinum rite peragendi. Aliam theologiae symbolicae acceptionem cf. infra adnot. ad n. VI. Eruditionis gratia addemus aliam theologiae divisionem, qua ea ratione subjecti distinguitur in theologiam archetypam, quae est scientia, quam Deus de se ipso habet; et ectypam, quae est in creaturis; haec vero iterum distinguitur in theologiam patriae et theologiam viae, quae potest esse vel divinitus infusa, qualis fuit in apostolis, vel studio acquisita.

[4]) Ita minus bene Liebermann Instit. theolog. proleg. 1. § 4: „Quando vero artificiose magis quam theologice de divinis disserit (theologia), et nimia curiositate quaestiones sectatur, subtiles magis quam utiles, altissimarum rerum omnium sinus penetrare cupiens, ut nihil sit, cujus non velit rationem reddere, tunc scholasticae nomen obtinet.“ Neque melius a Wiest l. c. § 20 theologia scholastica dicitur „ratio disciplinam religionis ex praescripto philosophiae aristotelicae tradendi et explicandi.“

falsis notionibus rejectis, theologiam scholasticam, quae modo speculativa vocatur, ita ex ejus scopo describimus cum Genér[1]): „Equidem mera fidei dogmata, quae ex munere suo dogmatico-polemica theologia adserit, urget ac vindicat, scholastica ex proprio instituto quaestionibus suis amplissime explicat nitideque elucidat. Illa nimirum mysteriorum fidem unice respicit, haec autem eorundem intelligentiam, et quantum fas est penetrationem; illa fidem gignit, haec ipsam nutrit, roborat, illustrat, amplificat; efficit illa ut credas; haec ut quae credis, capias ac lubentius teneas.“ Hinc theologia scholastica a conclusionibus theologiae positivae tamquam a principiis[2]) progreditur ad alias conclusiones eliciendas, ut quae in sacris literis apostolorumque traditionibus abdita continentur, ea in lucem quasi e tenebris eruantur; veritates, quas considerat, analysi subjicit, inter se et cum veritatibus rationalibus comparat: qua comparatione in multiplicis relationis et nexus cognitionem pervenit, quibus veritates revelatas confirmare, analogiis illustrare, ad ordinem harmonicum revocare etc. potest. Quare paucis dici potest ex principiis revelatis et fide creditis discursiva scientia. Ex hac theologiae scholasticae adumbratione facile explicantur frequens philosophiae, nominatim dialecticae, et syllogismi usus, subtilitas quaestionum, analogiarum copia et splendor, in quibus nonnulli, immerito tamen, ut diximus, theologiae scholasticae rationem constituunt.

IV. Quaeritur autem, *utrum theologia* vere *dici possit scientia.* Non desunt, qui id negent[3]). Verum haec quaestio magis est de no-

---

[1]) Theologia dogmatico-scholast. I. prodromi I. c. 2. n. 7. Cum utilitate legere poteris ib. c. I., in quo theologiae scholasticae historia paucis describitur. Eundem fere in sensum scribit Kleutgen l. c. n. 12: „Die Scholastik beginnt erst dort, wo die positive Theologie aufhört; indem sie den Inhalt, welchen die positive Theologie . . . aus den Quellen der Theologie ermittelt hat, mit der Speculation bearbeitet, sowohl um weitere Erkenntnisse zu gewinnen, als auch um die schon gewonnenen tiefer und vollständiger aufzufassen.“ Cf. Thomas quodlib. 4. a. 18.

[2]) Thomas 1. p. q. 1. a. 8: „Sicut aliae scientiae non argumentantur ad sua principia probanda, sed ex principiis argumentantur ad ostendendum alia in ipsis scientiis: ita haec doctrina non argumentatur ad sua principia probanda, quae sunt articuli fidei, sed ex eis procedit ad aliquid ostendendum, sicut Apostolus 1. ad Cor. 15. ex resurrectione Christi argumentatur ad resurrectionem communem probandam.“ Cf. a. 2; in l. Boetii de Trin. q. 2. a. 2. ad 5; Melch. Canus de locis theolog. l. 8. c. 2.

[3]) Quos cf. apud Denzinger, Vier Bücher von der religiösen Erkenntniss 2, 578. Cf. Thomas 1. p. q. 1. a. 2: „Duplex est scientiarum genus. Quaedam enim sunt, quae procedunt ex principiis notis lumine naturali intellectus, sicut arithmetica, geometria et hujusmodi; quaedam vero sunt, quae procedunt ex

mine, quam de re. Si enim ad scientiae rationem non certitudo solum, sed etiam evidentia principiorum postuletur, theologia dici nequit scientia. Si vero sufficit certa cognitio principiorum, a quibus dependent conclusiones, ut in variis disciplinis humanis, nulla est ratio, cur theologiae dignitas scientiae denegetur. Imo vero sensu theologia dici potest scientia omnium nobilissima, scientiarum regina, scientia transcendentalis, quae merito appellanda sit simpliciter sapientia. Excellit enim omnem aliam scientiam nobilitate, sublimitate et amplitudine objecti, certitudine cognitionis, scrutatur omnium praeter Deum rerum altissimas causas, illarumque ad Deum earum A et Ω relationes, hominem perficit theoretice, practice et in ordine ad finem: est enim quaedam praelibatio visionis beatificae[1]). Propterea etiam theologiae competit praerogativa judicandi „de principiis aliarum scientiarum: quidquid enim in aliis scientiis invenitur veritati hujus scientiae repugnans, totum condemnatur ut falsum," ut docet s. Thomas[2]); et de ejus inprimis studio intelligi debent, quae idem s. doctor c. gentes I, 2. de sapientiae studio pronunciat: „Inter omnia studia hominum, sapientiae studium est perfectius, sublimius et utilius et jucundius. Perfectius quidem, quia in quantum homo sapientiae studio dat se, in tantum verae beatitudinis jam aliquam partem habet. Unde Sapiens dicit (Eccli. 14, 22): *Beatus vir, qui in sapientia morabitur.* Sublimius autem est, quia per ipsum homo ad divinam similitudinem praecipue accedit, qui omnia in sapientia fecit. Unde quia similitudo causa est dilectionis, sapientiae studium praecipue Deo per amicitiam conjungit; propter quod dicitur, quod *sapientia est infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, facti sunt participes amicitiae Dei* (Sap. 7, 14). Utilius autem est, quia per ipsam sapientiam ad immortalitatis regnum pervenitur: *Concupiscentia autem sapientiae deducet ad regnum perpetuum* (ib. 6, 21). Jucundius autem est, quia *non habet amaritudinem conversatio illius, nec taedium convictus illius, sed laetitiam et gaudium* (ib. 8, 16)."

V. *Discrimen* vero *inter theologiam revelatam* et theologiam *naturalem* ex dictis facile intelligitur. Differt enim illa ab hac non so-

---

principiis notis lumine superioris scientiae, sicut perspectiva procedit ex principiis notis per geometriam. Et hoc modo s. doctrina est scientia, quia procedit ex principiis notis lumine superioris scientiae, quae scil. est scientia Dei et beatorum. Unde sicut musicus credit principio tradito sibi ab arithmetico, ita s. doctrina credit principio revelato sibi a Deo." Cf. Schrader l. c. n. 89.

[1]) Cf. Scheeben hac de re egregie disserentem § 52.

[2]) 1. p. q. 1. a. 6. ad 3. Cf. Kleutgen Theol. der Vorz. t. ult. d. 5. c. 5. § 1.

lum fonte, unde suas haurit cognitiones (n. II.), sed etiam amplitudine objecti, longe enim plura speculatur, quam ratio ex sese vel attingere vel conjicere possit; differt certitudine, nititur enim summa Dei auctoritate; nec non dignitate interna, cum theologia nostra in fide fundetur, et a fide pendens hujus characterem supernaturalem participet; quae praerogativae abunde compensant evidentiae defectum, qua philosophia theologiam praecellit (sed in paucis tantum vertitatibus, cum haud multas tuto et pure attingat).

VI. *Differt* quoque *theologia a fide,* sicut scientia a cognitione ejusdem objecti vulgari et rudi; quocirca scribit s. Augustinus[1]: „Hac scientia non pollent fideles plurimi, quamvis pollent ipsa fide plurimum: aliud enim est, scire tantummodo, quod homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam . . . aliud autem scire, quemadmodum hoc ipsum et piis opituletur et contra impios defendatur.“ Latius patet theologia fide ratione objecti, cum attingat etiam veritates e veritatibus fidei deductas; distinguitur quoque motivo, quod fides soli nitatur auctoritati divinae, theologia evidentiae quoque illationis principiorumque illorum, quibus ad concludendum utitur. Quare statuit Kleutgen[2]) hanc propositionem: „Objectum theologiae formale est verum demonstrabile ex verbo Dei;“ in ejusque explicatione ita prosequitur: „Ad fidem pertinet, ea, quae tamquam a Deo dicta rite proponuntur, firmo assensu suscipere; ad theologiam tum haec eadem ex verbo Dei, tum ex his alia demonstrare. Unde divinitus revelata fidei objectum sunt, quatenus propter Dei auctoritatem creduntur: theologiae autem, quatenus ex divina revelatione demonstrantur.“ Hinc liquet, tantum esse nexum inter theologiam et fidem, ut nisi illa in hac radicetur, vel accuratissima revelationis cognitio non tam sit theologia proprie dicta christiana, quam potius scientia quaedam historica, archaeologica, critica etc., qualis haberi poterit de quovis systemate religioso ex. gr. manichaeorum, buddhistarum, mohammedanorum[3]) etc.

VII. *Dispositio ad theologiae studium.* — Quo vero praestantior est theologia atque uberior ejusdem fructus[4]), eo melior quoque animi

---

[1]) De Trinit. XVI, 1. opusc. XLII.

[2]) Instit. theol. introd. q. 1. a. 2.

[3]) Ea disciplina, quae historice et critice exponit, quid de dogmatibus integri coetus statuerint publiceque professi sint, a nonnullis vocatur theologia symbolica.

[4]) Qui diligenter et ut par est studuerit theologiae, repetere poterit verba Sapientis Sap. 7, 11 s.: *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa et innumerabilis honestas per manus illius. Et laetatus sum in omnibus: quoniam ante-*

dispositio et praeparatio requiritur. Praetermissa ea dispositione, quae intellectus cultura per sanam philosophiam continetur, plurimum ad ejus studium conducunt viva fides: nam „tanto quisque facilius, inquit s. Augustinus[1]), aliquid proficiendo cognoscit, quanto religiosius, antequam cognosceret, Deo credidit;“ fervens oratio, nam *si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter* (Jac. 1, 5); humilitas, Deus enim, qui *humilibus dat gratiam*[2]), mysteria divinae suae sapientiae abscondit alta sapientibus et superbis, eaque revelat parvulis i. e. humilibus; denique puritas cordis secundum illa Christi verba: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum vide-*

---

cedebat me ista sapientia, et ignorabam, quoniam horum omnium mater est . . . Infinitus enim thesaurus est hominibus: quo, qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei, propter disciplinae dona commendati.

[1]) De agone christ. c. 13.

[2]) Jac. 4, 6; Matth. 11, 25. Multiplex vero est ratio, quare humilitas optima simul et necessaria sit ad theologiae studium dispositio. Tum quia theologia praesupponit firmam vivamque fidem: talis vero fides humilem exigit animum, qui libenter captivet intellectum sub Dei auctoritate; tum quia theologus pendere debet ab ore Ecclesiae, cujus custodiae concreditum est revelationis depositum, de quo excolendo theologus est sollicitus; hinc belle Origenes hom. 20. in Luc. respiciens Luc. 2, 46: „Ubicunque magistri fuerint, inquit, in medio magistrorum invenitur Jesus: si tamen magister sedeat in templo (i. e. in Ecclesia cf. hom. 18) et nunquam egrediatur ex eo;“ tum propter mysteriorum sublimitatem, ne contingat illud: *Qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria* Prov. 25, 27. Cf. Hugo a s. Victore eruditionis didascalicae l. 2. c. 14 (Migne patrol. 176, 773); Ruiz de scientia Dei disp. 30. sect. 2. Et revera theologiae historia ostendit, summos theologos, ut Gregorium nazianzenum, Augustinum, Thomam, Bonaventuram, Suarium etc., viros fuisse plane humiles; contra superbiam esse radicem fecundam haeresum atque errorum. Unde scribit Augustinus de vera relig. c. 25: »Si superbia non esset, non essent haeretici neque schismatici;“ et s. 46. n. 18: „Diversis locis sunt diversae haereses; sed una mater superbia omnes genuit; sicut una mater nostra Catholica omnes christianos fideles toto orbe diffusos.“ Huc quoque referri possunt ejusdem aurea verba ep. 147. n. 1: „Qui didicerint a Domino Jesu Christo mites esse et humiles corde, plus cogitando et orando proficiunt, quam legendo et audiendo.“ S. Thomas lect. 1. in 1. Cor. 9. recenset dotes boni studii theologici. „Notandum est hic, ita ille, quod ad hoc quod aliquis sciat, quemadmodum oporteat scire, novem sunt necessaria: **1.** humiliter sine inflatione . . . **2.** sobrie sine praesumptione . . . **3.** certitudinaliter sine haesitatione . . . **4.** veraciter et sine errore . . . **5.** simpliciter sine deceptione . . . **6.** salubriter cum caritate et dilectione . . . **7.** utiliter cum proximorum aedificatione . . . **8.** liberaliter cum gratuita communicatione . . . **9.** efficaciter cum bona operatione . . . Primum scil. humilitas scientiae arguit sapientes superbos, sobrietas curiosos, certitudo dubiosos, veritas haereticos, simplicitas advocatos, salubritas magos, utilitas iniquos, liberalitas avaros, efficacia otiosos.“ Cf. Scheeben § 54.

bunt [1]). Quam cordis puri necessitatem haud inepta illustrant patres analogia, oculi scil. corporis, qui vel parum pulvere inquinatus clare videre nequit. Neque mirum, cum enim theologia altissima mysteria speculetur, animum exigit innūbem et serenum, liberum proinde a passionum abjectarum tumultu, quas in primis cohibet atque comprimit cordis puritas.

VIII. Jam *ad varias theologiae partitiones* accedamus. Theologia est, ut diximus, acceptione vulgatiori scientia fidei, vel laxius etiam accepta, scientia revelationis seu eorum, quae revelatione continentur. Antequam vero singulae revelationis veritates sive dogmata considerentur, necesse est, ut theologus quaestiones quasdam magis generales, praevias atque fundamentales, quae ipsam spectant revelationem, attingat, expendat et quam accuratissime tractet: factum scil. revelationis fontesque ejusdem, ex quibus deinde singulorum dogmatum notitiam, arma ad ea tuenda, lumina etiam ad ea declaranda haurire possit. Hinc sponte sua consequitur partitio theologiae in theologiam specialem, quae specialia considerat dogmata ex revelatione hausta, et in theologiam, quae versatur circa ipsum revelationis factum, quod fundamentum est theologiae specialis: unde haec pars, quam theologia specialis necessario praesupponit, jam ab aliquo tempore theologia [2]) fundamentalis vel generalis vel demonstratio christiana et catholica audit.

---

[1]) Matth. 5, 8. Cf. Athanasius or. de hum. natura a Verbo assumpta n. 57 (opusc. XLIV, 217). Egregie de dispositione requisita disserit s. Anselmus de fide Trinit. c. 1., ubi inter alia scribit: „Nullus christianus debet disputare quomodo, quod Ecclesia catholica corde credit et ore confitetur, non sit; sed semper eandem fidem indubitanter tenendo, amando et secundum illam vivendo, humiliter quantum potest, quaerere rationem quomodo sit. Si potest intelligere, Deo gratias agat; si non potest, non immittat cornua ad ventilandum, sed submittat caput ad venerandum. Citius enim potest in se confidens humana sapientia impingendo cornua sibi evellere, quam vi nitendo petram hanc evellere . . . Prius ergo fide mundandum est cor, sicut dicitur de Deo: *Fide mundans corda eorum* (Acta 15, 9); et prius per praeceptorum Domini custodiam illuminandi sunt oculi, quia *praeceptum Domini lucidum illuminans oculos* (Ps. 18, 8): et prius per humilem obedientiam testimoniorum Dei debemus fieri parvuli, ut discamus sapientiam, quam dat *testimonium fidele, sapientiam praestans parvulis* (Ps. 18, 8). Unde Dominus: *Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis* (Matth. 11, 25). Prius, inquam, ea, quae carnis sunt postponentes, secundum spiritum vivamus, quam profunda fidei dijudicando discutiamus: nam qui secundum carnem vivit, carnalis sive animalis est, de quo dicitur: *Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei;* qui vero spiritu facta carnis mortificat, spiritualis efficitur; de quo legitur, quia *spiritualis omnia judicat, et ipse a nemine judicatur* (1. Cor. 2, 14 s.)“ etc.

flourish weapons before fight. Ps. 43. 6.

[2]) Ea si proprie loqui velimus non est theologia, sed propaedeutica philo-

IX. Cum autem theologiae (specialis) objectum, ut supra diximus, sit Deus secundum se aut secundum suas ad extra communicationes, quae apte revocantur ad creationem, redemptionem et sanctificationem cum consummatione finali: haud inepte illa dispescitur in tractatus de Deo uno et trino, de Deo creante et elevante, de Verbo incarnato et de redemptione, de Deo sanctificatore et consummatore.

X. *Theologiae generalis divisio.* — Theologiae speciali quatuor quaestiones principales praemitti possunt, quae cum revelationem ipsam attingant atque fundamentales dici mereantur, materiam constituent theologiae generalis seu fundamentalis. Quaestiones praeviae porro hae sunt: **1.** Utrum exstet aliqua revelatio? cui respondebit apologia religionis christianae. Cum vero Christus, auctor hujus revelationis (ut patebit ex ipsa disputatione), non amplius visibilis in terris degat, sponte sua oritur quaestio **2.** quem sibi substituerit ad suam doctrinam coelitus allatam ad posteras generationes aliosque populos transfundendam? cui respondebit disputatio altera de Ecclesia[1]). Quaeres **3.** quomodo in ipsa Ecclesia transfundatur de generatione in generationem revelationis depositum, per quos veluti canales ad nos usque decurrat aqua doctrinae coelestis? Respondebit disputatio tertia, hos canales vel si vis fontes esse Scripturam et traditionem[2]). Denique **4.** quaerere licet, quinam sit habitus inter

---

sophica ad theologiam. Haec enim ex revelatione progreditur ad suas statuendas assertiones; theologia vero quam dicunt fundamentalem ratione in primis nititur, hominem enim ratione ducere debet ad revelationem agnoscendam. Cf. Hettinger Lehrb. der Fundamental-Theol. t. 1. introd. § 2.

[1]) Verum quidem est tractatum de Ecclesia etiam ad theologiam specialem haud immerito referri posse, cum de ea plura speciatim credenda doceat revelatio; quocirca non desunt, qui, ut accurate plane in tradenda theologia procedant omnemque circuli vitiosi umbram caveant, duplicem instituunt de Ecclesia disputationem, praeviam alteram et spectantem ad theologiam fundamentalem, stricte dogmaticam alteram et spectantem ad theologiam specialem. Nos compendii gratia conjunximus utramque; quod si contra incredulos vel protestantes instituetur disputatio, haud difficile erit prudenti theologo ita procedere, ut circuli vitiosi ne umbra quidem admittatur.

[2]) *Locorum theologicorum* nomine veniunt argumentorum sedes ac veluti domicilia, ex quibus theologi argumentationes suas omnes sive ad confirmandum sive ad refellendum inveniunt. Ita Canus tractatus de locis theologicis quasi parens. Cum ergo theologia nostra non humana ratione, sed ipsa nitatur divina intelligentia, quae per revelationem nobis communicatur, et cui per fidem conjungimur: Deus autem non singulis per se ipsum mysteria revelet, sed olim patribus in prophetis, novissime vero apostolis in Filio locutus sit, doctrinaque ita revelata per Ecclesiam a Christo institutam omnibus gentibus annuncianda Scri-

rationem et revelationem, quae genesis illius actus, quo homo rationalis revelationem Dei loquentis in se suscipit atque amplectitur, quique fides dicitur? quam quaestionem solvet disputatio de fidei genesi et regula.

XI. *Apologiae revelationis momentum.* — Incipiemus igitur a religionis christianae apologia. Haud necessarium erit diutius immorari in depraedicanda hujus apologiae necessitate. Si enim singuli fideles parati semper esse debent juxta monitum s. Petri [1]) ad satisfactionem omni poscenti eos rationem de ea, quae in ipsis est spe: quanto magis theologum ita in fide instructum esse oportet ut suae fidei rationem reddere possit aliosque docere, quam firma sint fidei christianae fundamenta, quam rationabile obsequium fidei nostrae, quam infirmae omnes adversariorum contra illam exceptiones. Apologiae religionis christianae necessitas innotescit dein maxime ex ipsis, in quibus vivimus, adjunctis: cum manifestum plane sit, omnes impetus hostium fidei nostrae non amplius dirigi adversus singularia dogmata, sed adversus ipsum fidei fundamentum, adversus revelationis factum; quo everso evertetur omnis Christi Ecclesia et religio sequeturque ruina magna. Quam ob rem non amplius de eo agitur, utrum quis sequi debeat Ecclesiae catholicae dogmata, an opiniones erroresque Arii, Nestorii, Pelagii, Lutheri, Calvini, Socini etc., sed utrum esse debeat fidelis et Christi discipulus, an incredulus ejusque hostis? Praeterierunt jam fere singularium haeresum tempora; successit protestantismus, qui impugnavit ipsam Ecclesiam, magistram divinitus institutam ad docendam veritatem revelatam; ulterius progressi sunt rationalismus, deismus et pantheismus, qui evertere nituntur etiam revelationem christianam; imo materialismus et atheismus modo grassans religionem quamlibet funditus auferre conantur.

---

ptura et traditione, ut diximus, contineatur, Scriptura et traditio loci theologici erunt; sed quia traditio multiplici veluti canali transmittitur, ut infra ostendemus, traditionis locus in plures dividitur. Theologus vero in probandis vindicandisque dogmatibus non sine causae catholicae commodo aliis quoque juvari potest disciplinis, quae ratione nituntur: idcirco praeter locos theologiae internos, proprios et necessarios, qui etiam inartificiales dicuntur, loci quidam subsidiarii et externi seu artificiales admitti solent. Quamvis autem circa rem omnes theologi conveniant, in designandis, distinguendis et enumerandis locis theologicis inter se subinde dissentiunt, cum alii pauciores, plures alii, decem scil. vel tredecim et ultra assignent.

[1]) 1. ep. 3, 15. Cf. Scheeben, qui § 60. praeeunte conc. vaticano in prooemio constit. dogm. sess. 3. egregie exponit, quid theologus nostra aetate in primis in tradenda theologia prae oculis habere debeat, quod sit ejus munus.

Quare jam de summa agitur, de fide vel incredulitate totali, quique constantes esse et in ratiocinando cohaerere sibi velint, urgentur vel ad Ecclesiam catholicam, in qua Christi doctrina plene reperitur, vel ad incredulorum castra, qui abjecta omni fide evanuerunt in cogitationibus suis. Qui medii inter utrosque bona fide haereant, jam rari sunt. Cum vero increduli nullum non moveant lapidem ad fidei christianae fundamenta concutienda, armaque sua undequaque, ex omnibus nempe disciplinis mutuentur: patet, quam excultum apologetam, quam instructum ad retundendos illorum impetus esse oporteat. Versatus autem sit necesse est quam qui maxime in logicae usu, imbutus sana philosophia, cum nulla disciplina magis destituantur fidei adversarii, quam sana philosophia; nulla in re forte tam saepe, quam adversus logicam peccent: adeo ut suspicio sit ita eos a ratione nuncupari rationalistas, sicut lucum a non lucendo. Magnum fidei nostrae encomium est praecellensque fidelium praerogativa, nonnisi rationis abusum causam esse incredulitatis, rationis vero usum hominem ope revelationis et gratiae ad fidem conducere.

Theologia generalis.

Tractatus I.

Revelationis christianae Apologia.

1. *Disputationis partitio.* — Si unquam, nostra certo aetate, revelationis christianae apologia summi est momenti (cf. proleg. n. XI). Sufficeret autem ad refellendos incredulos, contra quos in primis instituitur haec disputatio, demonstrasse, per Christum factam esse nobis revelationem vere divinam: quo comprobato sponte sua consequitur, revelationem et possibilem et utilem et convenientem esse. Non una tamen de causa de his aliisque revelationis dotibus datâ operâ disseruisse haut erit inutile. Duas proinde in sectiones disputationem distinguemus. In priori agemus de quibusdam revelationis dotibus, in altera de ipso revelationis facto.

Sectio I.

De nonnullis revelationis divinae proprietatibus.

2. Quatuor de revelatione divina quaeri possunt, quae etiam in dubium vocari solent ab incredulis [1]), scil. utrum sit possibilis, utrum necessaria vel saltem utilis, utrum dignosci queat; quare paucis demonstranda nobis est revelationis possibilitas, necessitas, utilitas et cognoscibilitas.

Caput I.

De revelationis possibilitate et convenientia.

3. **Thesis I.** ***Praeter veritates, quas homo solo rationis lumine cognoscere potest, aliae admitti debent, quae rationis captum excedunt quaeque mysteria dici solent.***

Declaratio. *Mysterii notio et partitiones.* — Mysterium in genere dici potest veritas quaelibet arcana, secreta, quae nos latet et cujus

---

[1]) Cf. horum errores apud Denzinger, 4 Bücher von der religiösen Erkenntniss, et apud Wiest demonstratio relig. christ. § 5 ss.

or de dilta operâ, on set purpose.

cognitionem per nos vel nullatenus vel non nisi magno cum labore et studio assequi possumus. Jam vero veritas aliqua quadruplici modo latere nos potest. Vel enim **1.** ipsa veritas per se facile intelligi posset, nos tamen latet tantum ex defectu propositionis seu manifestationis, quae quidem manifestatio vires naturae non superat, cum aut verbis aut removendo manifestationis obstacula possit fieri. Ita consilia cogitationesque nostrae non manifestatae sunt aliis mysteria; hoc sensu terra vel mare multa recondit mysteria. Vel **2.** veritas est ordinis naturalis, quam assequi possumus quoad ejus exsistentiam, sed modum, quo res sit, non comprehendimus; quo sensu vel ipsa natura plena est mysteriis. Vel **3.** ad veritatis cognitionem indigemus revelatione divina, qua tamen facta veritas facile intelligitur (veritas praeter rationem), ut ex. gr. Ecclesiam regendam esse ex voluntate Christi ab uno quodam praeposito supremo. Vel denique **4.** veritas ita excedit rationem, ut **a.** neque ejus exsistentia citra revelationem cognosci, neque **b.** ipsa, facta ejusdem revelatione, conceptibus propriis apprehendi, neque **c.** modus quo se habeat perspici, neque **d.** ex principiis humanae rationi propriis demonstrari, seu, cur ita sit[1]), intelligi possit (veritas supra rationem). Ejusmodi veritates in primis dicuntur mysteria[2]). Unde facile intelliguntur variae mysteriorum partitiones, **1.** scil. in relativa, quae tantum relate ad certum quendam intellectum ex. gr. humanum sunt mysteria; et absoluta, quae mysteria sunt pro quolibet intellectu creato; **2.** in naturalia, si veritates latent primo vel secundo modo; et supernaturalia, quae quidem **3.** dicuntur primi ordinis, si latent quarto modo; secundi ordinis, si latent tantum tertio modo.

Quod tamen statum quaestionis in hac thesi attinet, advertimus **1.** mysteriorum primi ordinis exsistentiam plene demonstrari ex ipsa revelatione (cf. n. 646 ss.); qua demonstratione modo nondum uti possumus. **2.** Illorum pro quovis intellectu naturali exsistentiam solo rationis lumine probare, non carere difficultate[3]). Nobis **3.** interim sufficere, quo viam sternamus demonstrationi de revelationis necessitate vel convenientia, ut probemus esse veritates, quae rationis nostrae in hac vita mortali captum excedant, quae nobis sint mysteria. Hoc vero evidenter probant argumenta, quae adducemus.

---

[1]) Concilium vatic. sess. 3. cap. 4: „Divina mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino.“ Quare „in mysteriis, inquit em. card. Franzelin tr. de Deo trino th. 17, tam notitia apprehensionis quam cognitio consensionis seu tam idea quidditatis, quam judicium veritatis est supra vires rationis“. Mysteria secundi ordinis dici possunt etiam supra rationem veritate exsistentiae; mysteria primi ordinis supra rationem tum veritate exsistentiae tum essentiae.

[2]) Cf. Scheeben Mysterien des Christenthums § 2; Kleutgen Theologie der Vorzeit, tomi ult. n. 403 ss.; falsas notiones cf. apud Denzinger 2, 80.

[3]) Cf. Granderath, Zeitschrift für katholische Theologie 1886 p. 497—521; 595—603.

4. **Demonstratio.** Suadetur thesis **1.** argumento a fortiori. Inductione enim et quotidiana experientia constat, in rerum natura visibili, creata, finita, quamque manibus palpamus, plurima esse, quae nos latent nostrumque captum excedunt [1]). A fortiori ergo in natura invisibili, increata, infinita erunt plurima, quae ingenii aciem fugiunt captumque superant. Quod argumentum adversus rationalistas duplici de causa sufficit. Nam quidquid est de futuro, probat illud, saltem fuisse et modo esse plura mysteria, quorum revelatio admodum utilis, imo et necessaria esse possit. Praeterea si illud undique expendatur, non tantum suadet, sed forte etiam demonstrat, haec mysteria non solum relative scil. relate ad statum humani generis minus excultum, non solum nunc et de facto esse mysteria, sed absolute et natura sua vim aciemque excedere intellectus nostri. Si enim ratio humana per tot annorum millia omni adhibito conatu non potuit rimari tot naturae creatae secreta nullumque fecit in eorum consideratione profectum: quanto minus in scrutanda natura divina a sensibus creatisque rebus tam remota adeo proficiet, ut omnia clareant?

5. Egregie **2.** ita ratiocinatur s. Thomas [2]): „Duorum enim, quorum unus alio rem aliquam intellectu subtilius intuetur, ille cujus intellectus est elevatior, multa intelligit, quae alius omnino capere non potest: sicut patet in rustico, qui nullo modo philosophiae subtiles considerationes capere potest. Intellectus autem angeli plus excedit intellectum humanum, quam intellectus optimi philosophi intellectum rudissimi idiotae . . . Multoque amplius intellectus divinus excedit angelum, quam angelicus humanum. Ipse enim intellectus divinus sua capacitate substantiam suam adaequat . . . Unde non omnia, quae in seipso Deus intelligit, angelus naturali cognitione capere potest; nec ad omnia, quae angelus naturali sua virtute intelligit, humana ratio sufficit capienda. Sicut igitur maximae amentiae esset idiota, qui ea, quae a philosopho proponuntur, falsa esse assereret propter hoc, quod ea capere non potest: ita et multo amplius nimiae stultitiae esset homo, si ea, quae divinitus angelorum ministerio revelantur, falsa esse suspicaretur ex hoc, quod ratione investigari non possunt.“ Et revera **3.** nisi id concedatur, sequitur vel hominem posse esse omniscium, qua assertione nihil praesumptiosius, vel Deum non amplius esse Deum.

---

[1]) Cf. philosophorum confessiones apud Hettinger, Apologie des Christenthums, t. 1. diss. 2. et 10. Hinc Sap. 9, 16 legimus: *Et difficile aestimamus quae in terra sunt: et quae in prospectu sunt, invenimus cum labore. Quae autem in coelis sunt, quis investigabit?*

[2]) Contra gentes I, 3. Cf. etiam IV, 1.

Deus enim, quem homo intellectu suo admodum finito adaequate cognoscere, dimetiri, perscrutari potest, non est amplius infinitus [1]).

6. Quod si **4.** argumentum ex rei natura deductum postuletur, illud ad haec principia revocari poterit: **a.** rei cognitio pendet a cognitione essentiae ejusdem; proinde quo perfectius hanc cognoscimus, eo perfectior erit rei cognitio. Jam vero **b.** Dei essentiam imperfecte admodum et nonnisi analogice cognoscimus: nam eam cognoscimus non immediate, sed tantum mediate; neque mediante aliqua ejusdem manifestatione, sicut corpora per eorum qualitates et accidentia, sed tantum per ejusdem opera seu effectus, eosque non univocos, sed aequivocos, qui infinite a divina distant perfectione; et ipsa haec opera imperfecte admodum et minima ex parte cognoscimus. Si ergo **c.** Deum ex operibus cognoscimus, opera vero Dei vix ex parte mente assequimur, et ea Dei naturam non exhibeant, sed tenuissime tantum quasdam Dei perfectiones adumbrent; quanta erunt in Deo, quae nos plane latent, ingenii cujusvis creati aciem effugiunt, captum superant, i. e. mysteria? Quapropter acute jam Aristoteles advertit [2]): „Intellectus noster sic se habet ad ea, quae naturaliter sunt notissima (i. e. propter suam perfectionem objective maxime intelligibilia), sicut oculi vespertilionis ad solem.“

7. **Thesis II.** ***Mysteriorum revelatio est possibilis.***

Declaratio. Revelationis nomine intelligitur manifestatio veritatum per Deum: eaque distinguitur in naturalem, quae fit per creaturas, per opera: quae tamen improprie dicitur revelatio; et supernaturalem seu positivam, qua Deus ipse directe hominibus veritates patefacit per medium extra vires naturae positum. Haec iterum est vel immediata vel mediata, si scil. Deus iis, quibus veritates aliquas immediate revelavit, tamquam legatis utitur ad eas aliis communicandas. Porro revelatio immediata esse potest vel interna vel externa [3]). Veritatem thesis asse-

---

[1]) Ad rem Chrysostomus in Ps. 115. n. 1: „Qui enim ratione contendit res ad illum (Deum) spectantes invenire, nequaquam eum gloria afficit, ut qui ratiocinii sui humilitati velit ineffabilia ejus oeconomiae consilia subjicere«. „Veritas, inquit Lactantius in praef. divin. institut., i. e. arcanum summi Dei, qui fecit omnia, ingenio ac propriis non potest sensibus comprehendi; alioqui nihil inter Deum hominemque distaret, si consilia et dispositiones illius majestatis aeternae cogitatio assequeretur humana.« Hinc praeclara ejusdem sunt verba: „Neque te omnia scire putes, quod est Dei; neque omnia nescire, quod est pecudis. Est enim aliquod medium, quod sit hominis i. e. scientia cum ignoratione conjuncta et temperata (l. 3. c. 6).«

[2]) Metaphys. l. 1. c. 1. Cf. Kleutgen l. c. disp. 5. c. 4. § 5.

[3]) De revelationis notione bene disserit Scheeben Handb. l. 1. § 1., qui triplicem revelationis velut gradum distinguit: revelationem naturae (per

ruit adversus rationalistas conc. vaticanum sess. 3. de revel. can. 1. (n. 3) et 3: »Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem jugi profectu pertingere posse et debere A. S.« Porro ex duplici capite impugnari posset possibilitas revelationis mysteriorum vel ex eo quod Deo desit modus manifestandi homini mysteria, vel ex eo quod homo sit incapax ea percipiendi. Quare ad thesim evincendam probare oportet et Deo non deesse modum ea manifestandi et hominem ejusmodi revelationis esse capacem.

8. **Demonstratio.** Deo non deesse modum mysteria, quae captum nostrum excedant, manifestandi, per se patet. Si enim **1.** jam homo potest alteri manifestare suas cognitiones, a fortiori id poterit Deus, qui homini ejusmodi facultatem concessit. Eoque magis **2.** quod Deus hominum sit dominus, pater, magister; non deerit ergo omnipotenti in sua sapientia modus [1]), quo tamquam dominus homini servo omnem suam voluntatem manifestare, tamquam pater filio bonitatis suae consilia communicare, tamquam magister discipulum varias utilesque veritates docere possit.

9. Hominem revelationis eorum, quae ejus superant captum, non esse incapacem, constat **1.** ex facto. Quotidie enim magistri (illi etiam, qui mysteria religionis maxime aversantur) discipulos suos docent et quidem non absque fructu et utilitate veritates, quae horum captum excedunt, quaeque post omnem explicationem manent semper obscurae et analogicis tantum conceptibus cogitari possunt. Non est igitur homo incapax institutionis, qua ipsi traduntur ea, quae ejus excedunt captum. Ratio **2.** est, quia in veritatis alicujus cognitione varii gradus, plura distingui possunt elementa, quae singillatim et gradatim cognoscantur: in primis factum seu rem ita se habere (vel subjecto convenire praedicatum), et modum, quo res se habeat. Jam vero quamvis ad perfectam veritatis cognitionem requiratur, ut factum et modum cognoscamus eamque apprehendamus undique ideis claris et non tantum analogicis; tamen sicut melius est aliquid quam nihil possidere, ita majoris semper pretii, utilitatis, jucunditatis est, aliquid saltem nosse, quam crassa ignorantia laborare. Ita astronomi summopere gaudent, si alicujus novi si-

---

opera creationis), gratiae per verba legatorum divinorum (quae etiam immediata, positiva, supernaturalis dicitur), et gloriae (qua manifestatur ipsa Dei essentia in se), cui in homine respondet triplex lumen, quo illius fit capax, lumen scil. rationis, gratiae seu fidei et gloriae. Hi tres gradus invicem connectuntur et sibi subordinantur, adeo ut lege ordinaria secundus priorem praesupponat et ad tertium praeparet (n. 635. ss.).

[1]) Varios modos, quibus Deus alloqui possit creaturam, recenset Augustinus serm. 11. al. 16. de div. n. 4.

deris vel solam exsistentiam cognoscant, etiamsi ejus naturam et proprietates plane ignorent. Per revelationem autem mysteriorum aliquid saltem innotescit, eorum scil exsistentia, quamvis non modus. „De rebus nobilissimis, inquit s. Thomas[1]), quantumcunque imperfecta cognitio maximam perfectionem animae confert, et ideo quamvis ea, quae supra rationem sunt, ratio humana plene capere non possit, tamen multum sibi perfectionis acquiritur, si saltem ea qualitercunque teneat fide.“

10. **Thesis III.** ***Revelatio veritatum tam rationalium quam superrationalium multiplici ex capite conveniens et utilis censeri summaque animi gratitudine excipi debet.***

Demonstratio. Sane **1.** quaelibet institutio veritatis debet censeri utilis; atqui revelatio est etiam quaedam veritatis institutio; ergo est utilis. Eoque **2.** majoris utilitatis est aliqua institutio, quo sapientior is, qui docet; quo sublimiora majorisque momenti sunt ea, quae tradit; quo aptior magisque ad omnium captum accommodata est methodus, qua in docendo utitur. Atqui revelatione docet ipse Deus, et docet ea, quae summi sunt momenti pro humano genere; methodus autem, qua utitur in hac institutione, exigendo scil. fidem propter suam auctoritatem, talis est, ut nulla magis sit accommodata generi humano. Quod ut perspiciatur, haec ante oculos habeantur: **a.** duplici via generatim hominem acquirere veritatis cognitionem, ratione et auctoritate; **b.** homines omnes sine ulla exceptione plurima, imo pleraque discere via auctoritatis, cui vel unice vel magna ex parte innituntur omnes fere disciplinae, innititur omnis ordo socialis; **c.** majorem hominum partem propter defectum sive ingenii sive temporis vel propter alia adjuncta praecipuas veritates proprio assequi non posse studio, ideoque nisi eas velit ignorare, auctoritate innixam eas credere debere. Atqui profecto **d.** auctoritas eo aptior est ad conciliandum sibi assensum et fidem, quo major est quoque magis ab errore immunis, ut est revelatio divina. Patet ergo humano generi accommodatissimam esse institutionem per auctoritatem eamque divinam[2]). Quare revelatio est admodum utilis, ut omnes homines facili via et tuto absque errore veritates sibi adeo necessarias cognoscere queant. Merito ergo reprobavit Pius IX. prop. 6. syllabi: „Christi fides hu-

---

[2]) Contra gentes l. 1. c. 5. Etiam s. Augustinus de genesi ad lit. l. 5. n. 34. statuit, esse „incomparabili felicitate praestantius Deum ex quantulacunque particula pie mente sentire, quam illa universa (creata) comprehendere.“

[1]) Cf. de hoc argumento, quo invicte retunditur incredulorum spernentium fidem vana temeritas et arrogantia, s. Augustinum de utilit. credendi n. 24. 28. 34. 35., et de moribus Ecclesiae l. 1. n. 11. 12. opusc. a nobis editorum t. VI. cum annot. p. 59. et XXVII pag. 49; Origenes c. Celsum l. 1. n. 10 s.

manae refragatur rationi, divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni."

11. Nominatim vero revelatio mysteriorum utilis est. Utilis est **1.** negative, ea siquidem clare discimus rationem nostram limitibus esse circumscriptam, qua cognitione nil salubrius. Utilis est **2.** ejusmodi revelatio positive, quatenus per eam cognitio nostra augetur atque perficitur; solvuntur plurima dubia et problemata maximi momenti, quorum solutio lumen diffundit in alia cognitionum genera, ad ingenium acuendum, excitandum discendi studium; praecipue vero quia multum confert ad sublimiorem de Deo ideam suggerendam. Hinc statuit s. Thomas [1]: „Necessarium est hujusmodi veritatem ad credendum hominibus proponi ad cognitionem Dei veriorem habendam. Tunc enim solum vere Deum cognoscimus, quando ipsum esse credimus supra omne id, quod de Deo cogitari ab homine possibile est." Utilis denique **3.** practice est, tum ad fovendam hominis cum Deo familiaritatem, amicis enim manifestantur secreta [2]; tum ad nobilissimum Deo obsequium exhibendum subjiciendo intellectum nostrum auctoritati divinae, qua subjectione profitemur nostram a Deo etiam in ordine intellectuali dependentiam. Merito ergo conc. vaticanum sess. 3. de revel. can. 2. statuit: „Si quis dixerit, fieri non posse aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo cultuque ei exhibendo edoceatur, A. S."

12. *Rationis autonomia rejicitur.* — Contra mysteriorum revelationem urgent adversarii autonomiam et independentiam rationis, quae evidentiae tantum lumine pascitur, ideoque mysteriorum tenebris consentire nequit. Verum si nomine autonomiae rationis intelligitur ejus praerogativa, qua independens est a qualibet externa vi et coactione solaque apprehensione veritatis immediata vel mediata seu non absque motivo rationabili ad assensum moveri possit, eam libenter admittimus, quippe quae nullatenus adversetur mysteriorum revelationi; neque enim fides in hanc exigitur absque sufficienti motivo; ipsaque revelationis christianae apologia demonstratio est, quam rationalis sit fides christiana [3]. Eo autem sensu rationis autonomiam plane respuimus, quo ratio statuitur prorsus exlex in admittenda dijudicandaque veritate, immunis a quavis altiori norma et auctoritate. Nam **1.** ejusmodi praerogativa adversatur inductioni

---

[1]) Contra gentes l. 1. c. 5; cf. etiam l. 4. c. 22.

[2]) Hinc Christus Joan. 15, 15: *Jam non dicam vos servos: quia servus nescit, quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia quaecunque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Cf. Kleutgen Theol. der Vorz. t. ultimi n. 153 ss.; 428 ss.; Scheeben Mysterien des Christenth. § 22.

[3]) Cf. Lactantius divin. instit. l. 5. c. 20. Plura hac de re dicemus disserentes de fidei genesi tr. IV. sect. 1. et 2. praesertim n. 652 s.; cf. Storchenau Philosophie des Christenthums t. 4. sect. 1. 2. 3.

universali: omnes siquidem universi partes, quin imo facultates hominis omnes suis reguntur legibus. Censeri ergo nequit sola ratio humana exlex. Neque mirum **2.** cum exlegem et autonomum esse illi soli competat, qui est a se, plane independens, sibi in omnibus sufficiens, fons omnis veri atque ipsa indefectibilis rectitudo: quod nullatenus est rationis humanae, quae undequaque dependet. Et sane **3.** pendet ratio quaevis creata a suo objecto, a legibus dialecticae, quas sibi non ipsa imposuit; a ratione increata, cujus est tantum ectypus et adumbratio tenuis; pendet a fonte omnis veritatis, neque enim ipsa veritatis est fons, sed illius tantum speculum sat languidum. Quare explodenda est rationis autonomia quam increduli nescii quid dicant jactare solent, quae omnis institutionis omnisque fidei ipsi veritatis fonti exhibitae sit impatiens. Jure ergo statuit concilium vaticanum ses. 3. de fide can. 1: „Si quis dixerit, rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit, A. S.“ et cap. 3: „Cum homo a Deo tamquam a Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatae veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur.“

Caput II.

De revelationis necessitate.

13. *Hypothetica revelationis mysteriorum necessitas.* — Revelationem esse necessariam ad cognoscenda mysteria proprie dicta, patet ex notione mysterii (n. 3), quod est veritas, cujus ne exsistentiam quidem sola rationis acie assequi possumus. Necessaria quoque est in hypothesi elevationis hominis ad finem supernaturalem i. e. ad finem, qui ejus naturam excedat eique plane sit indebitus. Hac enim in hypothesi homo debet nosse **a.** eum finem, ut modo naturae suae rationali consentaneo i. e. per actus meritorios ad tantum finem adipiscendum se disponere possit. Debet nosse **b.** voluntatem Dei ipsum in illum destinantis, alioquin serio eum appetere nequit: cum eo ipso quod supernaturalis sit, omnem hominis exigentiam excedat. Debet nosse **c.** media et conditiones illum assequendi. Atqui haec, quod pendeant a libera Dei voluntate, nullo modo cognosci possunt absque revelatione; si enim libera hominis consilia citra ipsius hominis manifestationem a priori cognosci nequeunt, a fortiori libera Dei consilia circa supernaturalem hominis destinationem absque speciali revelatione nobis innotescere non poterunt. Quare revelatio hac in hypothesi est necessaria et haec necessitas est plane universalis, physica, ex rerum naturis proveniens et absoluta. Hinc statuit conc. vaticanum sess. 3. cap. 2: „Huic divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint.

Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scil. bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant [1]." Specialis autem est quaestio, utrum etiam veritatum rationalium revelatio humano generi sit necessaria.

14. **Thesis IV.** ***Ad cognoscendas omnes ordinis moralis veritates aliquod Dei adjutorium divinaque revelatio necessaria est humano generi.***

Declaratio. Status quaestionis in primis est declarandus. Non loquimur **1.** de singulari aliquo homine, sed de humano genere. Etiamsi enim concederemus, singularem aliquem hominem eximio praeditum ingenio felicissimis in adjunctis omnes naturalis ordinis veritates discere posse, non sequitur propterea idem posse genus universum. Non loquimur **2.** de singulis veritatibus. Aliquae enim veritates omnibus solo rationis lumine sunt perviae; sed de toto complexu veritatum rationalium, quae necessariae sunt ut homo vivat vitam homine dignam, moralem, religiosam, qualem exigit ordo naturalis. Non loquimur **3.** de cognitione quacunque, dubia, probabili, conjecturali, quae ad vitam moralem constanter agendam non sufficit, sed de certa firmaque. Non affirmamus **4.** hominem carere facultate physica ad cognoscendam summam illarum veritatum, sed dicimus, facultatem quam habet tot praepediri difficultatibus et obstaculis, ut nunquam ex se actuetur, seu ut nunquam homines proprio studio atque industria actu omnes cognoscant veritates [2]. Non contendimus **5.** Dei revelationem esse necessariam, sed tantum aliquem Dei interventum, aliquod Dei adjutorium: divinae enim omnipotentiae plura praesto sunt media, quibus huic difficultati possit succurrere; cum vero Deus, ut ex eventu patet, inter succurendi media elegerit revelationem, jam ipsa revelatio dici poterit necessaria. Loquimur **6.** modo praescindendo ab elevatione ad finem supernaturalem: hac enim supposita „omnes

---

[1]) Cf. c. 4. cum egregiis annot. primi schematis hujus constit. apud Friedrich, documenta ad illustrandam conc. vaticanum II, 7, 29 s.

[2]) Impotentia hominis ad cognoscendas has veritates, quam statuimus, in aliis quidem est moralis, in aliis physica, in quibus tamen physica impossibilitas non oritur ex intrinseca natura facultatis, quae potestatem physicam habet ad actum, ut bene advertit Palmieri de gratia th. XIX, sed ex defectu physicae conditionis, quae postulatur ad actum: quare dici potest impotentia physica per accidens et ab extrinseco. Talis est impotentia in pueris ex imperfectione organorum, a quorum ministerio activitas intellectus extrinsecus saltem pendet, ex defectu cognitionum praeambularum, ex brevitate vitae; organorum enim perfectio, cognitiones praeviae, tempus et otium conditiones sunt physicae et necessariae, ut intellectus humanus has veritates possit cognoscere.

hujusmodi veritates, inquit card. Franzelin[1]), quatenus jam referuntur ad finem hominis supernaturalem, cognoscendae sunt modo proportionato fini adeoque cognitione supernaturali. Quia vero modus proprius supernaturalis cognitionis in via est fides vel saltem habet fidem pro fundamento; ideo etiam hae veritates fide credendae sunt, ac proinde ut modus cognitionis nostrae responderet fini, etiam harum revelatio erat necessaria." Asserimus ergo **7.** ut omnia paucis complectamur, revelationis harum veritatum necessitatem **a.** relativam, quae alia atque alia sit pro diversis hominibus et quoad varias veritates; **b.** moralem ortam non ex absoluta impotentia, sed ex difficultatibus et impedimentis externis veritates illas cognoscendi; **c.** hypotheticam, in hypothesi scil. quod Deus alio modo noluerit succurrere humano generi.

15. **Demonstratio. 1.** Historia teste constat, homines revelatione destitutos per tot annorum millia praecipuas ignorasse ordinis moralis socialisque veritates, vel saltem de illis dubitasse non obstante multorum studio et inquisitione. Hinc incredibilis oblivio sui, sui finis suaeque destinationis ac jugis effusio ad res externas sensuumque objecta, tristissima familiae conditio filiorumque institutio, durissimae relationes sociales inter dominos et servos, reges et subditos, et nationes ad invicem[2]). Unde liquet cognitionem veritatum illarum, quibus ordo moralis et socialis regitur, ita esse impeditam, ut citra Dei interventum haberi nequeat. Accedit **2.** ratio a priori, quam suggerit s. Thomas c. gentes I, 4. Nam ad cognitionem harum veritatum certam requiruntur plures conditiones, tempus scil., otium, studium, ingenium, institutio apta etc. Atqui major hominum pars his destituitur: plures enim moriuntur in juventutis flore, cum jam oporteret veritates has novisse[3]); nam a primo rationis usu quilibet cogitare debet de altera vita, servare legem naturae, instituere vitam homine dignam. Alii carent otio, laborant ingenii tarditate, praepediuntur a discendo occupationibus domesticis. Praeterea **3.** etiamsi omnia haec adessent, ratio sibi relicta non satis clare dignoscere potest **a.** quo cultu Deus sit colendus; **b.** utrum et qua via et sub quibus conditionibus possit impetrari peccatorum venia; **c.** qualis sit altera vita, quae sanctio legis

---

[1]) De habitu rationis hum. ad fidem div. c. 3. § 3. in tract. de trad. Cf. Scheeben § 3.

[2]) Cf. insigne opus A. M. Weiss Apol. des Christenth. vom Standpunkte der Sitte und Cultur t. I.

[3]) Ad rem Lactantius div. institut. l. 3. c. 14: „Ipsi doctores antea fuerant senectute ac morte confecti, quam constituerint, quomodo vivere deceat."

naturalis: quorum tamen cognitio non solum utilis, sed prorsus necessaria est ad vitam ethicam et religiosam ducendam.

16. *Exceptioni satisfit.* — Neque quis dicat, haec tantum probare majorem hominum partem has veritates discere debere via auctoritatis, quae humano generi adeo est accommodata; rudes proinde eas discere posse et debere per sapientium institutionem, neque statim recurrendum esse ad Dei interventum, cum ipse Deus velit hominibus consulere per homines. Cui exceptioni respondemus, institutionem humanam non sufficere, ut homines certo et tuto omnes eas veritates discant; quare cum homines neque per se, neque per alios in illarum pervenire possint cognitionem, recurrendum esse ad Dei interventum. Et revera constat **1.** philosophos veteres (idem dicatur de recentioribus incredulis) vel dubios haesisse vel dissensisse de praecipuis ordinis moralis veritatibus. Ita de Dei existentia. „Plerique, inquit Cicero [1]), deos esse dixerunt; dubitare se Pythagoras: nullos esse omnino Diagoras Melius et Theodorus Cyrenaicus putaverunt. ' Qui vero deos esse dixerunt, tanta sunt in varietate et dissensione, ut eorum molestum sit dinumerare sententias.« Ita de animi immortalitate; quapropter de libro Platonis, qui fuse alioquin de hoc disserit argumento, canit Paulinus nolanus [2]):

Qui praeter titulum nil certi continet intus.

17. Abstinemus in facto evidenti ab aliorum testimoniis [3]). Jam vero magisterium dissonum et dubium de praecipuis veritatibus, quas docere

---

[1]) De natura deorum l. 1. c. 1. Hinc Arnobius adversus gentes l. 2. c. 20: „Sed sapientibus vos viris omnibus instructis disciplinarum generibus creditis? Nempe illis, qui nihil sciscunt, nec pronunciant unum: qui pro suis sententiis bella cum adversantibus conserunt et pervicacia gladiantur semper hostili, qui cum alterius labefactant, destruunt convelluntque decreta, cuncta incerta fecerunt, nec posse aliquid sciri ex ipsa dissensione monstrarunt.« Praeclare Chrysostomus h. 7. in 1. Cor. n. 5: „Vidistine diaboli malitiam? Sicubi illos (philosophos) aliquid corruptum dicere vidit, id effecit, ut omnes consentirent; sicubi vero aliquid sanum proferre, alios contra ipsos concitavit, ut absurda non exciderent consensu confirmata, et utilia diffluerent, varie intellecta.«

[2]) Carmine 41. ad Antonium seu adv. paganos v. 39. Etiam Cicero quaest. tuscul. l. 1. c. 11. de se fatetur: „Evolvi ejus librum, sed nescio quomodo dum lego assentior: dum posui librum et mecum ipse de animarum immortalite cogitare coepi, assensio omnis illa elabitur«. Cf. Hettinger disp. 11.

[3]) Cf. in opusculis a nobis editis Minutius Felix in Octavio n. 5 ss. et n. 13. t. XV. et Tertullianus in Apologetici c. 37. n. 149. t. XIX. Paucis philosophorum dubia et professiones de sua ignorantia complectitur Lactantius div. instit. epitome c. 40: „Innumerabilia sunt philosophorum dicta factaque, quibus eorum insipientia redargui possit. Itaque quoniam cuncta enumerare non possumus, pauca suffecerint. Satis est intelligi, philosophos neque justitiae, quam ignorabant, neque virtutis, quam mentiuntur, esse doctores. Quid enim doceant, qui suam saepe ignorantiam confitentur? Mitto Socratem, cujus est nota sententia („Quod supra nos, nihil ad nos«, cf. opusc. XV, 35. annot.); Anaxagoras omnia circumfusa tenebris esse pronunciat. Empedocles angustas ad inveniendam veritatem sensuum semitas esse. Democritus in profundo quodam puteo demersam

deberet, aptum non est ad gignendam firmam persuasionem et fidem. Sed etiamsi **2.** philosophi inter se consensissent, non fuissent idonei ad alios instituendos, quia eorum vita dissona plane erat a doctrina. Qua de re conqueritur jam ipse Cicero hisce verbis [1]): „Quotus quisque philosophorum invenitur, qui sit ita moratus, ita animo ac vita constitutus, ut ratio postulat, qui disciplinam suam non ostentationem scientiae, sed legem vitae putet? qui obtemperet ipse sibi et decretis suis pareat? Videre licet alios tanta levitate et jactatione, eis ut fuerit non didicisse melius; alios pecuniae cupidos, gloriae nonnullos, multos libidinum servos, ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio, quod mihi videtur turpissimum.« „Qui autem docent tantum, subdit Lactantius l. c. c. 16., nec faciunt, ipsi praeceptis suis detrahunt pondus; quis enim obtemperet, cum ipsi praeceptores doceant non obtemperare?«

18. Verum **3.** ponamus philosophos inter se de praecipuis ordinis moralis veritatibus consensisse, conspirasse quoque eorum vitam cum praeceptis: „sed nihil ponderis, advertit Lactantius ib. c. 27, habent illa praecepta (ab ipsis tradita), quia sunt humana et auctoritate majori, id est divina, illa carent. Nemo igitur credit, quia tam se hominem putat esse qui audit, quam est ille qui praecipit;« carebant scil. authentica missione et auctoritate, qua vulgus movere potuerint: nam philosophi qua tales non auctoritate, sed ratione tantum argumentisque docent, qui docendi modus generi humano non est accommodatus. Quod si addas, philosophos sat exosos fuisse populo eosque vicissim contempsisse profanum vulgus: manifestum est, eos non fuisse pares ad docendum humanum genus illudque revocandum ex universali, in quam prolapsum est, corruptione. Quare necessarius plane fuit specialis Dei interventus seu revelatio divina. Merito ergo Pius IX. reprobavit Syllabi prop. 3: „Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit;« et 4: „Omnes religionis veritates ex nativa humanae rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma, qua homo cognitionem omnium cujuscunque generis veritatum assequi possit atque debeat.«

19. **Scholion.** *Aliis exceptionibus satisfit.* — Contra propositionem statutam excipi posset: **1.** Revelatio est medium supernaturale. Atqui dici nequit medium supernaturale necessarium ad cognoscendas veritates ordinis naturalis. Resp. Concedimus in praesenti ordine revela-

---

veritatem jacere testatur, quam quia nusquam reperiunt, idcirco affirmant neminem adhuc exstitisse sapientem. Quoniam igitur nulla est (apud Platonem Socrates dicit) humana sapientia, sequamur ergo divinam Deoque gratias agamus, qui eam nobis et revelavit et tradidit, ac nobis gratulemur, quod veritatem ac sapientiam coelesti beneficio tenemus, quam tot ingeniis, tot aetatibus requisitam philosophiam (f. philosophorum) nemo potuit invenire.« Cf. eundem divin. instit. l. 3. c. 15 s.; l. 4. c. 13; l. 5. c. 18; Theodoretum serm. 11. de graec. affect. curat. etc.

[1]) Quaest. tuscul. l. 1. c. 4; cf. Reinerding theol. fundamentalis tr. 1. p. 1. sect. 1. c. 2; Perrone praelect. theologic. t. 1. p. 1. c. 1.

tionem, etiam quatenus complectitur veritates tantum rationales, esse omnino supernaturalem; nam ea modo constituit elementum religionis christianae, fundamentum est fidei, quae est supernaturalis, et illarum veritatum cognitio refertur ad finem hominis supernaturalem; sed licet medium, quod Deus selegit in praesenti ordine ad succurendum hominis impotentiae, sit supernaturale, non inde tamen sequitur, medium, quo uti posset in alio ordine, ex. gr. in statu naturae purae, debere etiam esse supernaturale. Alius enim tunc fuisset providentiae ordo, quo Deus moraliter possibilem reddidisset legis naturalis cognitionem observationemque, et qui naturae exigentiam non excessisset: ideoque diximus n. 14. necessitatem hanc esse tantum hypotheticam. Unde sponte sua solvitur **2.** altera exceptio: si revelatio est necessaria, est debita. Respondemus ex eo, quod in praesenti ordine selegerit Deus hoc medium, ratione praesertim habita elevationis hominis ad finem supernaturalem, ut juvaret homines ad tuto et secure cognoscendas omnes veritates rationales: non sequi revelationem etiam in alio ordine ex. gr. in statu naturae purae fore necessariam ideoque debitam, neque Deum posse alio medio, quod non excederet illius ordinis exigentiam, moraliter possibilem reddere illarum cognitionem. Erit ergo debitum aliquod medium, sed non praecise hoc, quod revelatione continetur. Excipitur **3.** si revelatio est necessaria, non poterunt imputari paganis revelatione destitutis tot errores superstitionesque et finalis demum interitus. Negamus illationem, tum **a.** quia revelationis seu auxilii alicujus divini necessitas oritur non ex impotentia physica, sed ex morali, aucta quam plurimum peccatis propriis et aliorum; tum **b.** quia revelationis seu interventus divini defectus ratio quidem esse poterit majoris minorisve ignorantiae, non autem tam turpium errorum, quibus gentes ignorantiam suam foedarunt; tum quia **c.** revelationis necessitatem non tam ad finis naturalis consecutionem, quam ad perfectam religionis naturalis cognitionem statuimus. Nam pro quocunque ordine, in quo versabitur homo, vigebit certissima illa regula: Facienti quod est in se Deus nunquam deerit in iis, quae necessaria sunt ad finem ei praestitutum consequendum.

20. Si exciperetur **4.**, quare Deus optimus veritates homini adeo necessarias nonnisi post secula revelaverit, respondemus **a.** revelationem per Christum quidem esse post nonnulla annorum millia factam, cujus rationem aliquam dabimus in tract. de incarnatione; verum **b.** ex illa nos discere, Deum providisse humano generi in protoparentibus, atque postea iterum in altero humani generis parente Noë; revelationem vero hanc **c.** quae hereditatis instar ex parentibus in filios fuisset derivanda, hominum culpa periisse vel fuisse corruptam. Sicut enim physica filiorum salus, ita et spiritualis quam plurimum pendet a parentibus, sapientissima lege divinae providentiae, quae homines in societatem vult conjungere. Quare sicut modo plurimi privantur aliorum culpa revelatione christiana, ita plurimi privati fuere revelatione primordiali. Quo vero pacto haec concilientur cum divina bonitate vel justitia, fatemur esse mysterium; sed memores semper simus Deum neminem injuste damnare, eumque nemini suo auxilio deesse, ut infra ostendemus [1]).

---

[1]) Tr. de gratia p. 1. c. 2. a. 3.

21. **Corollarium.** *Obligatio hominis inquirendi revelationem.* — Homo sane jure naturae obligatur ad religionem i. e. ad servandum in sua agendi vivendique ratione eum ordinem, qui viget inter ipsum et Deum i. e. principium totius sui esse et finem, in quo solo perfectionem beatitudinemque suam potest reperire. Per se autem patet hominem teneri ad veram religionem, quae scil. illas exprimat relationes, quae revera Deum inter et hominem intercedunt. Ostendimus vero rationem humanam sibi non sufficere atque nunquam suffecisse ad tuto ac certo cognoscendas omnes religionis naturalis veritates, ideoque aliquem Dei interventum esse necessarium: tenebitur ergo homo, si sibi consulere velit, inquirere, num Deus aliquo modo providerit humano generi atque aliquam forte dederit revelationem, ut pro officio suo illam amplectatur atque secundum eam suam instituat vitam. „Si enim Dei providentia, inquit ad rem Augustinus [1]), non praesidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum. Sin vero et species rerum omnium, quam profecto ex aliquo verissimae pulchritudinis fonte manare credendum est, et interior nescio quae conscientia Deum quaerendum Deoque serviendum meliores quosque animos quasi publice privatimque hortatur: non est desperandum ab eodem ipso Deo auctoritatem aliquam constitutam, quo velut gradu certo innitentes, attollamur in Deum.“ Eoque magis tenebitur sub periculo amittendae salutis aeternae quilibet homo inquirere in divinam revelationem, quod communis vigeat penes gentes persuasio de extraordinaria quadam divina manifestatione quoad religionem, et quod revera aliqua religio se ipsi offerat omni credibilitatis specie refulgens.

Cum vero tot errorum portenta revelationis sibi nomen usurpent et jura, opus erit criteriis, quibus Dei loquelam a spuriis revelationibus discernamus.

Caput III.

De revelationis divinae criteriis.

22. *Criteriorum necessitas.* — Ut revelatio agnosci eique tuto credi possit, criteria quaedam necessaria esse, non solum non negant fideles, sed ultro incredulis concedunt, atque etiam data opera tuentur. Ita Pius IX. rationis jura asserens docet [1]): „Humana ratio, ne in tanti momenti negotio decipiatur et erret, divinae revelationis factum diligenter inquirat oportet, ut certo sibi constet, Deum esse locutum ac eidem, quemadmodum sapienter docet Apostolus [2]), rationabile obsequium exhibeat.“ Et ipse Christus testatur: *Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent* [3]). Quare de hoc postulato rationis nulla est contentio cum incredulis.

---

[1]) De utilitate credendi c. 16. n. 34. opusc. t. VI. Totus hic libellus huc spectat. Cf. etiam de moribus Ecclesiae cath. c. 7. opusc. t. XXVII.

[1]) Lit. encycl. 9. Nov. 1846. [2]) Rom. 12, 1.

[3]) Jo. 15, 24.

23. *Revelationis criteria.* — Criteria autem haec multiplicis sunt generis. Alia sunt interna, externa alia. Criteria interna sunt characteres quidam, notae atque praerogativae ipsi doctrinae inhaerentes, quae divinam doctrinae propositae manifestant originem, eaque partim sunt negativa, partim positiva. Criterium internum negativum illud est, cujus praesentia probat tantum propositam doctrinam posse esse revelatam, et cujus defectus evidenter probat, doctrinam propositam non esse revelatam, uti esset harmonia cum sana ratione vel cum morum honestate: si enim haec deesset i. e. si doctrina proposita pugnaret cum rationis principiis, ea censeri non posset revelata. Criterium vero internum positivum illa est doctrinae propositae dos et excellentia, quae sua praesentia originem prodit coelestem: cujusmodi esse potest doctrinae sublimitas, sanctitas, mira efficacia. Criteria externa consistunt in quibusdam factis sensibilibus, quae doctrinam propositam comitantur, quaeque cum sint originis divinae, ipsam etiam doctrinam, quam veluti stipant, divinae esse originis declarant, ut ex. gr. miracula et vaticinia.

24. *Criteria externa internis praeferenda.* — Porro inter criteria eminent externa, miracula scil. et vaticinia. Nam quamvis non spernamus criteria interna, multum enim juvare et prodesse possunt iis, qui vel sagacis sunt ingenii, vel qui jam credunt, ut magis magisque confirmentur in fide, ea tamen minus sunt opportuna et apta ad tuto cognoscendam veram revelationem. Sunt enim **1.** satis ambigua et incerta; nam quis determinabit sublimitatis gradum, qui requiritur, ut aliqua doctrina non sit amplius inventionis humanae, sed revelationis tantum divinae? Sunt **2.** subjectiva, ideoque sat arbitraria; quod enim videtur uni sublime, alteri videbitur vulgare et quotidianum, imo absurdum et contradictorium; ita mysteria, quae fidelibus videntur sublimia, absurda reputantur ab incredulis. Eadem **3.** paucis sunt accommodata, cum exculto tantum ingenio plerumque innotescant. Contra criteria externa, cum in oculos incurrant ac manibus veluti palpari possint, omnibus sunt accommodata magisque certa. Quam ob rem videmus populos quovis tempore miraculis aliisque criteriis externis ad fidem fuisse inductos. Denique **4.** ea ut vim exserant suam fidem plerumque jam supponunt [1]). Merito proinde concilium vaticanum sess. 3. cap. 3. de fide docet: „Ut fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus s. auxiliis externa jungi revelationis suae argumenta, facta scil. divina atque in primis miracula et prophetias, quae cum Dei omnipotentiam et infinitam

---

[1]) Cf. Kleutgen Theologie der Vorz. t. ult. n. 196 ss.; Heinrich dogmatische Theol. t. 1. § 39. Prae oculis quoque hic habeatur can. 3. conc. vat. sess. 3. de fide, qui ita habet: „Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cujusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere, A. S.“

scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata."

25. **Thesis V.** ***Miracula et vaticinia sunt possibilia.***

Declaratio. De miraculis statuit conc. vaticanum sess. 3. de fide can. 4: „Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proinde omnes de iis narrationes etiam s. Scriptura contentas inter fabulas vel mythos ablegandas esse, aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem rite probari, A. S." Miraculum a s. Thoma[1]) definitur: „Effectus, qui divinitus fit praeter ordinem communiter servatum." Duo sunt in primis miraculi charactes. Debet illud esse **1.** effectus supernaturalis, qui scil. excedat vires et exigentiam naturae[2]), unde in divinis literis miracula saepe dicuntur virtutes; **2.** debet esse effectus, qui sit extraordinarius scil. praeter ordinem communiter servatum i. e. praeter leges, quibus praesens rerum ordo regitur[3]). Ex defectu prioris characteris terrae motus quamvis eventus extraordinarius, non est miraculosus: ex defectu alterius conditionis justificatio per baptismum, transubstantiatio, licet sint effectus supernaturales, non dicuntur miracula, quamvis et alia ratio (secundaria) reddi possit. Exigunt enim **3.** nonnulli theologi, ut miraculum sit eventus sensibilis in oculos incurrens, ratione habita finis miraculi, qui in eo situs est, ut excitet attentionem, admirationem (unde et miraculi nomen traxit), ut sit signum divinum[4]).

---

[1]) Contra gentes l. 3. c. 101. Cf. 1. p. q. 105 et 110; de potentia q. 9.

[2]) Quia naturae ordo exigit in hypothesi creationis conservationem et generatio creationem animae, ideo conservatio et animae humanae creatio, quamvis a solo Deo fieri possint, inter miracula non censentur. Cum vero supernaturalis notio sit relativa, supponit enim ordinem naturalem, qui praesupponit creationem: creatio generatim neque est, neque dicitur operatio supernaturalis.

[3]) Non dicimus praeter leges naturae, quia praesens ordo regitur non solum legibus naturalibus, sed et supernaturalibus. Quapropter si quid fit secundum has leges, miraculum non dicitur: si vero quid fieret divinitus praeter eas, ut si quis citra sacramentum ordinis peccata baptizatorum posset remittere, miraculis id merito accenseretur, nisi urgeatur ad veri miraculi notionem tertia illa nota, cujus in textu mentionem facimus.

[4]) Ad hunc miraculi finem respicit Augustinus, cum scribit tract. 24 in Joan. n. 1: „Miracula, quae fecit D. N. J. Christus, sunt quidem divina opera, et ad intelligendum Deum de visibilibus admonent humanam mentem. Quia enim ille non est talis substantia, quae videri oculis possit, et miracula ejus, quibus totum mundum regit universamque creaturam administrat, assiduitate viluerunt, ita ut paene nemo dignetur attendere opera Dei mira et stupenda in quolibet seminis grano: secundum suam misericordiam servavit sibi quaedam, quae faceret opportuno tempore praeter usitatum cursum ordinemque naturae, ut non majora sed insolita videndo stuperent, quibus quotidiana viluerant. Majus

26. *Miraculorum variae species.* — Ratione prioris characteris distinguuntur miracula in ea, quae naturae vires superant aut ratione sui, aut ratione subjecti in quo fiunt, aut ratione modi quo patrantur, quam distinctionem s. Thomas[1]) ita explicat: »Excedit aliquid facultatem naturae tripliciter; uno modo quantum ad substantiam facti, sicut quod duo corpora sint simul, vel quod sol retrocedat, aut quod corpus humanum glorificetur, quod nullo modo natura facere potest. Secundo aliquid excedit facultatem naturae non quantum ad id, quod fit, sed quantum ad id, in quo fit. Sicut resuscitatio mortuorum et illuminatio coecorum et similia. Potest enim natura causare vitam, sed non in mortuo, et potest praestare visum, sed non coeco. Tertio modo excedit aliquid facultatem naturae quantum ad modum et ordinem faciendi. Sicut cum aliquis subito per virtutem divinam a febre curatur absque curatione et consueto processu naturae in talibus, aut cum statim aër divina virtute in pluvias densatur absque naturalibus causis . . . et hujusmodi tenent infimum locum in miraculis.« Ratione alterius characteris, vi cujus miracula sunt effectus praeter ordinem communiter servatum, distinguuntur in ea, quae sunt vel supra, vel contra, vel praeter naturam seu leges naturae. Miraculum est supra naturae leges, si excedit omnes vires naturales, ut cum Josue solem jussit stare; est contra leges naturae, si effectus est plane contrarius illi, qui in hisce adjunctis secundum naturae leges sequi deberet, ut cum tres pueri non comburebantur in fornace ardenti; est praeter leges naturae, si effectus viribus seu mediis naturalibus obtineri possit, obtinetur vero sepositis mediis naturalibus, ut sanatio infirmi sola invocatione nominis Jesu effecta.

Vaticinium vero solet definiri: praesensio et praedictio certa futuri alicujus eventus, qui in causis naturalibus praesciri non potest.

27. **Demonstratio.** Admissa semel Dei exsistentia, quam in hac disputatione supponimus, miraculorum possibilitas absurde negatur. Deus enim **1.** potentia infinite excedit omnem naturae virtutem. Poterit ergo pro libito facere quae sunt supra et etiam contra consuetum naturae ordinem i. e. miracula, cum ad hoc sufficiat, ut naturae vires elidantur vel vincantur; qua ratione vel ipse homo plura potest, quae sunt supra vel contra naturam se inferiorem. Quare sicut propter infinitam Dei eminentiam supra quamlibet naturam rationalem admitti debent in ordine logico mysteria seu veritates superrationales: ita haud immerito in ordine dynamico possibiles censendi sunt effectus, qui superent vires naturae, i. e. miracula. Et sane **2.** miracula eatenus tantum impossibilia affirmari possunt, quatenus negatur vel **a.** omnipotentia Dei et Deus asseritur dependens a legibus naturae;

---

enim miraculum est gubernatio totius mundi, quam saturatio quinque millium hominum de quinque panibus; et tamen haec nemo miratur; illud mirantur homines, non quia majus est, sed quia rarum est.«

[1]) 1. p. q. 105 a. 8; de pot. q. 6 a. 2 ad 3.

vel quatenus **b.** negatur dependentia hujus ordinis naturalis a Deo; vel quatenus **c.** statuitur praesens ordo naturae unice possibilis. Atqui quaevis harum hypothesium est absurda. Ergo cum Deus sit omnipotens, cum rerum ordo ab ipso sit plane dependens, cum alii ordines sint possibiles: poterit indepentender a legibus naturae praeter et supra eas agere i. e. patrare miracula. Quam ob rem **3.** homines omnium gentium, aetatum et locorum in necessitatibus constituti ad Deum precibus recurrunt, ut pericula avertat, in adversis juvet, beneficia conferat. Natura ergo ipsa duce censent, Deum non ita obnoxium esse hujus universi legibus, ut non pro libito praeter et supra consuetum naturae ordinem possit efficere quidquid velit, proinde etiam patrare ejusmodi opera, quibus miraculi characteres conveniant.

28. *Exceptiones contra miracula.* Et revera argumenta, quae magno eruditionis apparatu increduli, duce in primis Spinoza, afferri solent contra miraculorum possibilitatem, sunt admodum infirma et futilia; innituntur enim omnia vel pantheismo vel atheismo vel quod idem est fatalismo. Excipi vero in primis solet, miracula fieri non posse, tum quia naturae leges sint immutabiles, tum quia si fiant, ea Deum arguant in suis consiliis mutabilem ejusque opus imperfectum, quod emendatione veluti indigeat. Respondemus, omnia, quae fiunt praeter vel supra naturae leges, leges ipsas non mutare; quae vero contra leges ordinis naturalis contingunt, non legum mutationem, sed suspensionem tantum supponere; poterit autem creator leges a se positas suspendere, qui subtracto concursu et conservatione posset efficere, ut illae penitus cessent. Et si homo persaepe potest virium naturalium impetum elidere atque impedire potentia sua quantulacunque illarum effectum, quanto magis poterit idem sua omnipotentia Deus. Ceterum neque verum est, omnes leges naturae ita esse immutabiles, ut sint plane necessariae ac propterea independentes a creatoris nutu. Non enim omnes consequuntur rerum essentias, adeo ut nulla alia ratione se habere possint; sed fundantur etiam in virtute activa et passiva substantiarum primorumque elementorum, quam aliter atque aliter pro summa sapientia naturae creator distribuere poterit. Quod alteram exceptionis partem spectat, inepte affirmatur Deus mutabilis, si patret miracula. Eodem enim decreto aeterno, quo hunc rerum statuit ordinem, decrevit quoque, se praeter illum quod sibi videretur patraturum. Multiplex vero sapientissimaque assignari potest ratio, quare Deum deceat patrare miracula, scil. **a.** ut suam a naturae legibus independentiam ostendat: „nullo enim modo, inquit s. Thomas c. gentes III, 99, melius manifestari potest, quod tota natura divinae subjecta est voluntati, quam ex hoc, quod quandoque ipse praeter ordinem naturae aliquid operatur.“ **b.** ut homines quibus quotidiana viluerint excitet [1]); **c.** ut auctoritatem suis conciliet legatis; **d.** ut mysteriorum revelationem apposito veluti sigillo communiat.

---

[1]) Cf. supra in annot. 4. pag. 27 verba Augustini.

29. Facilius etiam probatur vaticiniorum possibilitas. Haec enim tantum Dei praevisionem actuum futurorum liberorum supponit, quam Deo competere vel ipsa sana ratio docet, testatur populorum consensus, qui se oraculorum consultatione [1]) prodidit.

30. **Thesis VI.** ***Miracula et vaticinia sunt revelationis criteria, eaque si non semper singillatim, saepe tamen, praesertim si plura concurrant, tuto ab effectibus mere naturalibus possunt dignosci.***

Demonstratio p. I. Miracula et vaticinia eventu completa, si in alicujus doctrinae confirmationem edantur, criteria esse seu sigilli rationem habere, quo divina illius origo et veritas comprobetur, ita **1.** evincitur: Nequit Deus testimonio suo doctrinam confirmare mendacem. Atqui si ipse ad invocationem illius, qui doctrinam mendacem tamquam divinam proponit, patraret miraculum i. e. effectum, qui ordinem a se constitutum excedit, quem proinde ipse solus potest producere, vel futurum liberum praediceret, eo ipso concurreret opere plane divino ad confirmandum mendacium. Ergo si qua doctrina miraculo confirmetur, miraculum censeri debet testimonium ipsius Dei pro illius doctrinae veritate: sicut sigillum diplomati appositum huic conciliat auctoritatem regiamque manifestat originem; eoque magis **2.** quod homines communi consensu miraculum pro divino habeant testimonio [2]). Idem **3.** probatur ex sentiendi ratione adversariorum. Ideo enim miracula fieri non posse adeo urgent, quia perspiciunt, miraculorum, quae ad probandam religionis christianae originem divinam adduci solent, exsistentiam concedi non posse, quin ejusdem origo divina revera sit admittenda.

31. **Demonstratio p. II.** Majoris momenti est altera pars. Non deerunt forte, qui concedant, miracula esse et possibilia et revelationis divinae criteria: sed contendant, nunquam nos posse tuto distinguere verum miraculum ab effectu mere naturali, ideoque nunquam nos tuto ex miraculis dignoscere posse doctrinam aliquam revelatam. Neque ipsis ad suum assertum suadendum ratio videtur deesse. Miraculum enim ex dictis effectus est, qui et naturae vires excedit atque praeter consuetas contingit leges. Atqui ut possimus cognoscere effectum, qui naturae vires excedit quique praeter consuetum naturae ordinem con-

---

[1]) Cf. Hettinger Apologie des Christenth. t. 1. diss. 13.

[2]) s. Thomas 3. q. 43 a. 1: „Quia ea, quae sunt fidei, humanam rationem excedunt, non possunt per rationes humanas probari: sed oportet, quod probentur per argumentum divinae virtutis, ut dum aliquis facit opera, quae solus Deus facere potest, credantur ea, quae dicuntur esse a Deo: sicut cum aliquis defert literas anulo regis signatas, creditur ex voluntate regis processisse quod illis continetur.“ Contra gentes l. 3. c. 99.

tingit, nosse deberemus et omnes naturae vires et omnes ejusdem leges, quod nulli mortalium est datum. Ergo nunquam tuto possumus cognoscere miraculum. Et sane ex virium legumque naturalium ignoratione factum est, ut plura haberentur olim miraculosa, quae modo naturaliter explicantur. Contingere ergo posset, ut aliquid in praesenti ex simili ignorantia judicetur superare vires legesque naturae atque idcirco esse miraculosum, quod tamen posteritas magis exculta effectibus naturalibus accensebit.

32. Verum hac speciosa exceptione non obstante contendimus, tuto nos posse discernere miracula ab effectibus mere naturalibus, si non singula, saltem si plura concurrant: si non omnibus in adjunctis, saltem certis in adjunctis, praesertim si in confirmationem alicujus doctrinae fiant [1]). Et **1.** quidem ad propositum argumentum respondemus, illud esse captiosum. Necesse enim non est, omnes vires et leges naturae positive cognoscere, ut tuto affirmare possimus, eventum aliquem esse supra vel contra easdem; persaepe sufficit cognoscere, quoadusque naturae vires non pertingant, et legem illam seu cursum naturae, qui hisce in adjunctis semper solet servari. Ita nescimus accurate, quantum oneris portare possit homo, sed certo scimus, montem ab illo transferri non posse; nescimus accurate limites noctem inter atque diem, utramque tamen ab invicem tuto discernimus; ignoramus forte totum legum codicem alicujus reipublicae, nihilominus saepe certo scimus hunc vel illum actum esse contra ejusdem legem. Ita constanti experientia tenemus, ignem comburere, neque homines in eo posse servari: si ergo videmus, tres juvenes in fornace babylonica non comburi, sed servari incolumes, manifestum est, aliquid fieri contra naturae legem. Hinc etiamsi aliquod opus non excederet per se omnes naturae creatae ex. gr. angeli vires, dummodo ostenderetur, illud hic et nunc esse contra constantem naturae cursum, sufficeret ad probandum specialem Dei interventum sive immediatum, sive mediatum per angelos suos bonos, qui citra specialem ejus per-

---

[1]) Dicimus, si non singula, saltem si plura concurrant. Fatemur enim saepe difficile, imo impossibile esse, certo affirmare, miram aliquam sanationem esse miraculosam; sed quo plura concurrunt, eo facilius redditur judicium, excluditur errandi periculum, clarius manifestatur interventus divinus. Dicimus, si non omnibus in adjunctis, saltem certis in adjunctis. Nam non est semper necesse, ut miraculum certo innotescat; nullumque profecto imminet damnum, etiamsi aliquis effectus naturalis, cujusmodi potest esse mira aliqua et subitanea sanatio, quandoque judicetur miraculosus. Hisce proinde in casibus Deus non tenetur impedire errorem; sed casus, de quo hic loquimur, alius est, nempe si quis in confirmationem doctrinae mira opera patraret.

missionem nequeunt turbare consuetum naturae ordinem, ideoque saepe etiam sufficeret ad confirmationem doctrinae propositae, si scil. concurrant adjuncta mox (n. 34) indicanda.

33. Ceterum **2.** nostrum non est demonstrare, miracula universim, semper, quibusvis in adjunctis discerni posse ab effectibus naturalibus: sed tunc tantum, cum criteria sunt vel esse dicuntur doctrinae revelatae, ut in casu singulari, cum agitur scil. de iis eventibus, quibus stipatur religio christiana. Quaestione autem ita circumscripta, probatio haud difficilis est. Facta enim illa omnem testimonii divini rationem evidenter continent. Attamen de his opportunius infra, cum de Christi miraculis agemus. Proinde nunc argumento tantum a priori ostendemus, miracula divina in confirmationem doctrinae patrata ab effectibus mere naturalibus et fraudibus distingui posse. Id enim exigit ipsa divina majestas, bonitas et providentia. Sicut enim indignum foret rege, si nunquam ejus sigillum posset distingui a sigillis confictis: ita a fortiori indignum esset Deo, si ejus opera in conconfirmationem doctrinae a se propositae patrata ab operibus naturae vel seductoris alicujus praestigiis nunquam tuto possent secerni.

34. Et revera **3.** omnem fraudis suspicionem excludunt haec adjuncta: si is, qui nomine Dei proponit doctrinam, **a.** vitae sanctimonia, modestia praesertim, humilitate, zelo gloriae Dei, abstinentia commendetur; si **b.** doctrinam proponat, quae fugam peccati virtutumque culturam serio et efficaciter promoveat; si **c.** testetur diserte vel aequivalenter, se opera mira ad doctrinae suae confirmationem in Dei nomine patrare; si **d.** naturam sibi ad nutum veluti famulantem habeat; si **e.** in patrandis miraculis decorem servet, neque ea ad lucrum capiendum vel solum ad pascendam curiositatem operetur; si **f.** ea quae proponit certae revelationi non adversentur [1]). Si enim vel hisce in adjunctis opera, quae (ex hypothesi) nullo modo cognosci possunt tamquam effectus naturales [2]), essent miracula fallacia, ac

---

[1]) Haec dicimus propter verba Christi (Matth. 24, 24): *Surgent pseudochristi et pseudoprophetae, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Nam etsi horum pseudoprophetarum opera mendacia per se non possent secerni ab effectibus supernaturalibus, non deberent ideo haberi pro veris miraculis, cum adversarii sint Christi, quem verum esse Dei legatum mox demonstrabimus. Etiamsi ergo hoc in casu deessent criteria interna, quibus dignoscamus signa mendacia, non deesset tamen criterium externum, vox scil. Christi nos hac de causa praemonentis. Utinam ad hoc criterium attenderent animae nonnullae alioquin bonae voluntatis, quae spiritismi phaenomenis et doctrinis mendacibus coece inhaerent.

[2]) Supponimus nulla diligentia humana opera illa posse naturaliter expli-

proinde institutio illius, qui Dei legatum se jactat, esset mendax: Deus censendus foret auctor erroris invincibilis in re summi momenti, quod admitti nequit. Cum enim homines teneantur Deo revelanti credere, cum revelationis criteria sint miracula et habeantur ab hominibus pro Dei loquela et testimonio, si in adjunctis supra enumeratis opera (ex hypothesi) non possent cognosci tamquam naturalia, sed speciem prae se ferrent operum Dei: homines, quo magis pii suaeque salutis memores, eo promptius propter reverentiam Deo debitam ejusmodi institutioni tamquam Dei revelationi crederent, atque ita pietas erga Deum causa efficax esset erroris.

35. Facilius autem vera vaticinia a conjecturis humanis naturalibusque praesensionibus discerni possunt, si scil. non dubitanter sed certa asseveratione, non aequivoce[1]) sed clare, non indefinite sed determinate proponuntur, si versantur circa eventus non propinquos sed remotos, non necessarios sed liberos, non simplices sed complexos, non circa unum tantum sed circa multos. Si ergo ejusmodi habeatur praedictio eaque accurate adimpleatur: concludendum, Deum haec praenunciasse.

36. *Exceptioni satisfit.* Contra ea, quae hucusque disputavimus, excipi posset: Omnis religio, etiam falsa, sua jactat miracula; id autem, ad quod omnes provocant, nequit esse verae religionis nota; vel saltem inde sequi videtur, miracula vera a falsis dicerni non posse. Verum **1.** retorqueri potest argumentum; nam omnis schola philosophica, imo error omnis vindicat suis assertis evidentiam: neque tamen propterea quis infert, evidentiam non esse veritatis criterium, vel evidentiam sinceram dignosci non posse a spuria. Sequitur tantum **2.** opus esse attentione et examine, ideoque etiam in discernendis miraculis veris a falsis. Imo **3.** ex hoc facto indubio potius sequitur, omnium gentium consensu miracula esse revelationis criteria; neque enim communi conspiratione ad illa provocarent, nisi de hoc principio prorsus constaret. Ceterum **4.** si inspiciantur facta, quae subinde jactabant gentiles tamquam prodigiosa, primo obtutu omnis in eis evanescit miraculi et criterii divinae revelationis species; vel quod

---

cari. Quam primum enim naturaliter explicari possunt, nullum in iis specialem Dei interventum locum habere innotescit, quaestio jam est soluta.

[1]) Propter aequivocationem seu sensus ambiguitatem famosa erant veterum oracula. Quam ob rem scribit Cicero de divinatione l. 2. c. 56: „Jam ad te venio sancte Apollo . . . tuis enim oraculis Chrysippus totum volumen implevit partim falsis, ut ego opinor, partim casu veris, ut fit in omni oratione saepissime, partim flexiloquis et obscuris, ut interpres egeat interprete et sors referenda sit ad sortes, partim ambiguis et quae ad dialecticam deferenda sint.“ Cf. de gentilium oraculis comparate ad vaticinia prophetarum Theodoretus serm. 10. de graec. affect. curatione et Eusebius demonstr. evang. l. 5. c. 1. ac generatim de hoc argumento Heinrich, dogmat. Theologie t. 1. § 43; Hettinger § 25.

nutet eorum veritas historica, vel quod in doctrinae cujuspiam confirmationem patrata non referantur, vel denique quod ejusmodi sint, quae virtutem divinam non exigant, cum a daemone fieri potuerint [1]).

Sectio II.

De revelationis divinae exsistentia.

37. Ne in quaestione, quae modo sponte sua oboritur, utrum exsistat aliqua revelatio divina, incerti vagemur, demonstremus, religionem christianam originis esse divinae in eaque revelationem divinam contineri. Atque originem quidem divinam religionis christianae duplici ex principio evincere possumus, scil. **1.** ex ejusdem auctore; si enim Christus est legatus divinitus missus, doctrina, quam Dei nomine proposuit, divina est; **2.** ex ejusdem religionis adjunctis historicis, quae si specialem Dei interventum exigant, ejus originem divinam manifestant. Quare in duo capita sectionem dividemus.

Caput I.

De divina Christi missione.

38. **Lemma.** Supponimus non quidem gratis, sed propter facti evidentiam, *Christum Jesum exstitisse* saltem quoad substantiam talem, qualem illum describunt evangelia, *eumque religionis christianae esse auctorem.* De quo enim facto constabit vel constare poterit, si hoc negetur, vel solum vocetur in dubium? Hoc negato historia 18 seculorum explicari nequit: paganismi enim imperio successit regnum Christi; scholis philosophorum Christi schola; vitae corruptissimae vita ad doctrinam Christi expressa. Atqui omnis effectus exigit causam et quidem adaequatam, omnis motus principium motui proportionatum. Hujus autem effectus adeo universalis, hujus motionis atque commutationis orbis, hujus novae creationis causa esse nequit fraus, deceptio, mendacium, ignorantia, Christus non exsistens, mythicus et confictus, sed tantum Christus vere exsistens et quidem talis, qualem illum sistunt evangelia. Quare Christus vere exstitit veraque est saltem quoad substantiam evangelica historia. Praeter quod testimonium reale accedit **1.** suffragium totius nominis christiani, quod non minori evidentia profitetur Christi exsistentiam ac lutherani, mohammedani, ariani etc. testantur exsistentiam Lutheri, Mohammedis, Arii, de qua nemo unquam dubitavit. Accedit **2.** testimonium sive disertum sive aequivalens judaeorum, ethnicorum aliorumque hostium religionis chri-

---

[1]) Cf. ejusmodi miracula, quibus gloriabantur gentiles, apud M. Felicem in Octavio n. 7. col. n. 26 s. in nostra edit. opusc. t. XV. cum annot. subjectis; et Origenes adv. Celsum l. 3. n. 26 ss.; l. 4. n. 92. et l. 8. n. 46; generatim vero de hac quaestione Storchenau Philos. der Religion t. 5. p. 1 ss.; Perrone praelect. theolog. t. 1. p. 1. c. 3. a. 1.

stianae, quibus nunquam visa dubia Christi exsistentia, imo semper certa fuit et indubia: et tamen nihil perniciosius fuisset nostrae religioni, quam si dubia reddi potuisset Christi exsistentia. Accedit **3.** novitas impii illius systematis, quod Christi exsistentiam vel negat vel in dubium revocat. Prodiit enim primum aetate nostra, nulli innixum testimonio vel documento historico antiquitatis, sed tantum hypothesibus et conjecturis pro arbitrio et a priori confictis. In re autem facti primum consulenda sunt testimonia et monumenta historica, quibus silentibus licebit forte indulgere conjecturis. Accedunt denique **4.** omnia, quae dicemus thesi sequenti.

39. Omnis missio authentica, qua quis pro altero legatione fungitur, publico testimonio est communienda: quare triplici ad demonstrandam divinam Christi missionem utemur maxime solemni et authentico testimonio: testimonio prophetarum praecedente, testimonio ipsum Christum comitante et testimonio apostolorum, imo ipsius historiae universalis subsequente. Cum vero in hac demonstratione praecipuum habeant momentum evangelia, quibus fere omnia, quae de Christo scimus, innituntur, ut eadem firma consistat, paucis saltem Evangeliorum authentiam comprobabimus.

40. **Thesis VII.** ***Genuinitas et authentia historica Evangeliorum saltem quoad substantiam nullatenus possunt in dubium revocari.***

Declaratio. Non agimus hic de evangeliorum inspiratione, quae nonnisi ex revelatione, cujus exsistentiam nondum demonstravimus, innotescere potest: sed de illorum genuinitate, quod sint vere ab illis conscripta, quorum nomina prae se ferunt, non illis supposita; agimus, quod majoris etiam momenti est [1]) de illorum authentia, quod scil. circa facta et dicta Christi sint veracia tantamque habeant auctoritatem historicam, ut fidem mereant saltem illam, quam testibus veracibus adhibemus. Quocirca huic assertioni non adversaretur, etiamsi quis demonstraret, evangelia inter se in rebus minoribus dissentire [2]). Qui dissensus

---

[1]) Etiamsi enim evangelia aliorum essent auctorum, possent tamen esse fide digna, quod nobis in hac controversia plane sufficeret. Quamvis fatendum sit, haud parum moraturum esse demonstrationis nostrae cursum, si quis evincere posset, ea esse spuria, sicut multum juvat authentiae probationem evangeliorum genuinitas.

[2]) Ad rem Chrysostomus hom. 1. in Matth. n. 2. objicienti: ‚Saepe inter se dissentire deprehenduntur (Evangelia)‘ respondet: „Certe illud ipsum, magnum est pro veritate argumentum. Si enim omnia accurate consonassent et quantum ad tempus et quantum ad loca et quantum ad ipsa verba, ex inimicis nemo crediturus erat, sed ex mutuo humanoque consensu haec scripta fuisse putassent, atque hujusmodi consonantiam non ex simplicitate sinceritateque procedere. Jam vero illa, quae in exiguis rebus deprehendi videtur diversitas, omnem ab ipsis suspicionem depellit scribentiumque fidem clare vindicat. Quod si quid circa tempora et loca varietatis protulerint, id nihil officit veritati narrationis.“

adversaretur quidem inspirationi, sed non officeret authentiae. Credimus enim scriptoribus historicis, etiamsi circa facta vel factorum adjuncta minora inter se discrepent.

41. **Demonstratio p. I.** Si vel minima pars illius sinceritatis adhiberetur, quae in dijudicanda genuinitate librorum profanorum veterum adhiberi solet, nullum unquam motum esset dubium de evangeliorum genuinitate. „Quae unquam literae, inquit ad rem s. Augustinus[1]), habebunt pondus auctoritatis, si evangelicae, si apostolicae non habebunt? De quo libro certum erit cujus sit, si literae, quas apostolorum dicit et tenet Ecclesia ab ipsis apostolis propagata et per omnes gentes tanta eminentia declarata, utrum apostolorum sint, incertum est?“ Horum enim genuinitati suffragatur **1.** consensus loco et tempore plane universalis, nunquam interruptus, nunquam interpolatus, nullo unquam dubio interturbatus; quovis enim seculo, si a nostro ad priora retrocedimus, jam seculo IV., jam III. et II. illum reperimus, imo jam seculo II. vergente ad primum; suffragantur praeterea versiones omnes, etiam vetustissimae, ut syriaca Peschito dicta et itala, quae saltem est sec. II., aliaeque sec. III. et IV., codices omnes (circa mille) quotquot supersunt, quorum duo sunt sec. IV., duo V., alii sec. VI. etc. (dum codices plerorumque auctorum classicorum sunt seculorum saepe longe posteriorum); celebre fragmentum a Muratorio repertum (fere medii sec. II.), in quo Hermae Pastor ut nuper conscriptus opponitur libris N. T. tamquam jam vetustis; scriptores christiani omnes vetustissimi, qui evangeliis usi sunt, ita Origenes († 253. vel 254), qui provocat ad traditionem et consensum universae Ecclesiae, quae sub coelo est[2]); Tertullianus traditionum adversus Marcionem (fl. c. a. 140) propugnator († c. a. 220. vel 245): „Nobis fidem ex apostolis Joannes et Matthaeus insinuant, ex apostolicis Lucas et Marcus instaurant[3]);“ Clemens alexandrinus († haud multo post a. 217), qui ea jam ex traditione repetit[4]); Irenaeus († c. a. 202), qui iis in suo adversus haereses op. quadringenties circiter utitur; ecclesiae viennensis et lugdunensis[5]) in sua ep. (c. a. 177), acta martyrum scyllitanorum, qui passi sunt a. 180; Theophilus antiochenus (c. a. 170) suo commentario in Evangelia, Tatianus Justini sectator suo diatesseron; saepissime vero iis utitur Justinus[6]), qui scripsit a. 138. vel 150; et Papias (fl. c. a. 140),

---

[1]) Contra Faustum l. 33. c. 6. [2]) Apud Eusebium H. E. VI, 25.
[3]) Contra Marc. l. 4. c. 2. [4]) Stromat. 3, 13; 1, 21; 2, 15; Paedag. 1, 8.
[5]) Cf. opusc. XIII, 89. 91.
[6]) Apol. I. n. 66. 67; dial. cum Tryph. n. 103 etc.

apostoli Joannis discipulus vel saltem discipulorum apostolicorum aequalis [1]). Imo possumus provocare ad testes adhuc antiquiores, ad s. Polycarpum, cujus epistola est a. 107. vel 108., Ignatium M. († 107); s. Clementem, qui scripsit vel mox a morte Neronis (a. 68) vel saltem a. 96; auctor ep. Barnabae (p. a. 79). Hi enim in suis epistolis utuntur uno vel altero ex evangeliis. Ita enim auctor τῆς διδαχῆς τῶν Ἀποστόλων (ineuntis sec. II., si non jam I.).

42. Qui consensus **2.** eo pluris etiam est faciendus, quod non sit tantum personarum singularium, privatarum, rudium nullaque auctoritate praeditarum, sed virorum doctorum, publica fungentium auctoritate, ipsius societatis; et quod non versetur circa libros nullius momenti, privatos, theoreticos, sed circa libros publicos, fundamentales religionis christianae. Atqui circa ejusmodi libros error longe est difficilior. Crescit **3.** consensionis hujus pondus, vel eo quod **a.** in illam tacite conspirent ipsi judaei et gentiles (ut ex. gr. Celsus sec. II., qui bene novit Evangelia iisque abutitur ad impugnandos christianos), quorum certe maximi interfuisset evincere hos libros esse spurios (si genuini non fuissent), quod tamen nunquam praestiterunt; vel quod **b.** diserte consentiant tot haeretici, religionis catholicae alioquin acerrimi hostes, ut Marcion, Valentinus (sec. II), Basilides († 130) etc.: unde jam Irenaeus seculo II. scribere potuit [2]): „Tanta est autem circa evangelia haec firmitas, ut et ipsi haeretici testimonium reddant eis, ut ex ipsis egrediens unusquisque eorum conetur suam confirmare doctrinam;“ vel quod **c.** eandem fulciant ipso facto adversarii hujus genuinitatis, ipsa scil. suae opinionis novitate (quae inaudita certe fuit ad nostra usque tempora) et argumentorum quibus illam impugnant imbecillitate: neque enim ea sunt historica, sed philosophica et a priori petita ex miraculorum scil. impossibilitate. Atqui critici paucorum codicum testiumque veterum auctoritate innixi confidenter de librorum genuinitate sententiam ferunt. Et revera pro genuinitate auctorum classicorum, de quibus nemo dubitat, raros admodum invocare possunt testes, eosque fere uno, imo saepe pluribus ab auctoribus seculis distantes. Quanto magis ergo nobis tali tantaque sibi succedentium testium contestatione continua fretis pronunciare licet, evangelia esse genuina [3])? Quod si tantum parvipendatur testimonium,

---

[1]) Apud Eusebium H. E. III, 39. [2]) L. 3. c. 11. n. 7.

[3]) Quae est argumentatio s. Augustini l. supra c. Ita enim habet: „Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis aliorumque ejusmodi auctorum libros unde noverunt homines, quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibi succedentium contestatione continua? Unde constat quid cujusque sit, nisi quia his

omnes sanae artis criticae regulae conculcantur universalisque inducitur scepticismus. Evangeliorum genuinitas vel saltem origo Christo synchrona confirmatur **4.** argumentis quoque internis. Narrationis enim adjuncta ita locis, moribus, tempori Christi respondent, ut scriptor nullus posterior adeo accurate omnia potuerit describere: praesertim quae spectant ad topographiam et rem numismaticam. Referuntur deinde vaticinia de delenda urbe et templo, nihil vero de eo quod praedicta evenerint, et praedictio de excidio urbis adeo est connexa cum praedictione mundi, ut manifestum sit, eam ante illud excidium fuisse editum, alioquin distinctius quae ad hoc quaeque ad mundi finem pertinent evangelista narrasset.

43. **Demonstratio p. II.** Evangeliorum authentia probatur **1.** ex comperta veracitate scriptorum, qui verum scire potuerunt, ut per se patet, cum referant facta plerumque publica, quae in omnium oculis gesta sunt, ad quae narranda requiruntur tantum oculi, aures, memoria; iique etiam dicere verum voluerunt. Quam veracitatem testantur **a.** animi candor, qui ex omni relucet narratione; **b.** ipsum scribendi genus ab omni fuco et affectatione quam maxime remotum; **c.** sinceritas, qua et propriam vilem conditionem, suos defectus tardi ingenii, timiditatis, aemulationis reprehensiones sibi a Christo datas, etc. referunt, nec ea, quae in dedecus sui magistri vergere poterant, silentio premunt. „Iidem ipsi, ait ad rem Chrysostomus[1]), qui narrarunt crucifixum et colaphis caesum, illi etiam haec (miracula) dixerunt. Cur ergo fide dignos in illis putas, in istis vero reprehendis quasi gesta non sint? Atqui si ad magistri gratiam haec scripserunt ac temere frustraque jactitarunt, ea tacuissent, quae tristia ignominiosaque apud multos habebantur. Jam vero illi horum veritatem declarantes in illis maxime immorati sunt, omniaque diligenter copioseque tractarunt, nec parvo nec magno quopiam praetermisso, sed in signis et miraculis plurima tacuerunt.“ Eandem **d.** veracitatem testatur eorum inter se consensus absque ulla conspiratione, alioquin argumentum narrationis magis inter se divisissent, non eadem diverso referrent modo, qui quandoque antilogiae speciem prae se ferre videtur;

---

temporibus, quibus ea quisque scripsit, quibus potuit, insinuavit atque edidit, et inde in alios atque alios continuata notitia latiusque firmata ad posteros etiam usque ad nostra tempora pervenerunt, ita ut interrogati, cujus quisque liber sit, non haesitemus, quid respondere debeamus.“ Cf. Pawlicki Der Ursprung des Christenth. pag. 57. ss.; Tischendorf Wann wurden unsere Evang. verfasst? Lipsiae 1865.

[1]) Quod Christus sit Deus n. 17. opusc. t. XV; cf. hom. 1. in Matth. n. 4; hom. 30 al. 31. n. 1; Storchenau Philosophie der Religion 4, 229—377.

maxime vero **e.** testatur confidentia, qua facta narrant coram judaeis, quibus nota erat Christi vita, quique proinde facile illos mendacii redarguere potuissent, siquidem retulissent falsa: idque eo certius fecissent, quo magis id profuisset suae causae adversus gentem ipsis adeo invisam i. e. christianam. Quare haec confidentia non nisi ex factorum veritate repeti potest. Accedit **f.** quod evangelistae suis scriptis plurimos ex aequalibus vel suppariibus Christi ad ejusdem attraxerint fidem adeo difficilem, naturae vitiatae adeo contrariam, quod incredibile, si narrassent ficta, non facta. Denique **g.** nulla sufficiens ratio assignari potest, cur evangelistae voluerint mentiri sine ulla spe lucri: nemo siquidem gratis mendax, nemo mendacium suum vita laboribus periculisque obnoxia imo et sanguine confirmare solet. Ejusmodi ratio certe non fuit vana gloria, nam tunc gloriosa tantum de Christo scripsissent. Quare de evangelistarum veracitate nullus relictus est ambigendi locus.

44. Probatur **2.** evangeliorum authentia inde, quod evangelistae, etiamsi voluissent, non potuissent confingere evangelia; haec enim **a.** continent doctrinam tum theoreticam tum practicam adeo sublimem, qualem nec Plato nec Socrates unquam excogitavit, multo minus viri rudes atque illiterati, quales fuerunt evangelistae, potuerunt excogitare. Exhibent **b.** virtutis exemplar nunquam antea visum, quod proinde a rudibus concipi non poterat; **c.** Messias, quem describuut, adversatur plane judaeorum indoli; judaei namque erant literae tenacissimi, angusti cordis, Messiamque exspectabant mundanum atque gloriosum; Messias vero evangeliorum est pauper et humilis, latissimi cordis, qui ubique legis spiritum rimatur atque sectatur. Quare evangeliorum confictio evangelistis plane erat impossibilis [1]).

45. Probatur eadem authentia **3.** ex eo, quod adversarii, quamvis nulli pepercerint diligentiae et labori, quamvis non defuerit vo-

---

[1]) Nota, sed praeclara, sunt Verba J. J. Rousseau, qui in op. *Emile* t. 3. l. 4. ita ad rem nostram scribit: „Quelle douceur (J. Christi), quelle pureté dans ses moeurs, quelle grâce touchante dans ses instructions! Quelle élévation dans ses maximes! Quelle profonde sagesse dans ses discours! Quelle présence d'esprit, quelle finesse et quelle justesse dans ses réponses! Quel empire sur ses passions! Où est l'homme, où est le sage, qui sait agir, souffrir et mourir sans ostentation? . . . Oui, si la vie et la mort de Socrate sont d'un sage, la vie et la mort de Jésus sont d'un Dieu. Dirons-nous que l'histoire de l'évangile est inventée à plaisir? Mon ami, ce n'est pas ainsi qu'on invente . . . . Au fond, c'est reculer la difficulté sans la détruire; il serait plus inconcevable que plusieurs hommes d'accord eussent fabriqué ce livre, qu'il ne l'est qu'un seul en ait fourni le sujet. Jamais des auteurs juifs n'eussent trouvé ni ce ton, ni cette morale; et l'évangile a des caractères de vérité si grands, si parfaitement inimitables que l'inventeur en serait plus étonnant que le héros.“

luntas, nullum unquam mendacium, nullam fraudem, nullum in sacris evangeliis errorem reperire potuerint.

„Quod si mendacia haec erant, inquit ad rem Eusebius (Dem. ev. III, 5), quae illi ex composito finxissent, operae pretium erit admirari, quonam pacto tantus numerus consensum illum inter se in rebus fictis vel usque ad mortem servaverit, neque ullus unquam earum rerum formidine, quae illis, qui prius sublati erant, accidissent, a societate desciverit, neque reliquis publice contradixerit, prodens ea, quae inter ipsos composuissent etc.« Unde merito infert: „Sane commode mihi dictum videtur: aut prorsus credere oportet Jesu discipulis, si reliquis quoque scriptoribus, aut si non his, ne reliquis quidem . . . Aut si dicis aliis quidem credere aequum esse, at his solis non credere, cur non hoc plane ad invidiam referatur?« Ceterum et illud adverte, innumeros convictos fuisse de Evangeliorum authentia et genuinitate, defecisse vero a fide christiana neminem, quod illorum agnoverit suppositionem et falsitatem, sed aliis omnino de causis!

46. Denique **4.** cum mendacium, fraus, iniquitas nequeat esse ratio propagatae ubique terrarum veritatis, virtutis, sanctitatis: per religionem autem christianam, quae tota innititur factis dictisque in Evangelio relatis, propagata fuerit saltem multiplex veritas, morum probitas et vitae honestas: dicta illa factaque in evangeliis relata nullo pacto conficta dici possunt.

Inducit Augustinus, ut ipsius verbis disputationem absolvamus, adversarium contra Christi effatum ex Evangelio depromptum excipientem „falsum esse scriptum.« „Quid hoc sacrilegio, reponit s. doctor indignabundus, magis impium reperiri potest? quid ista voce impudentius? quid audacius? quid sceleratius? Simulacrorum cultores, qui Christi etiam nomen oderunt, nunquam hoc adversus Scripturas illas ausi sunt dicere. Consequetur namque omnium literarum summa perversio, et omnium qui memoriae mandati sunt librorum abolitio, si quod tanta populorum religione roboratum est, tanta hominum et temporum consensione firmatum, in hanc dubitationem adducitur, ut ne historiae quidem vulgaris fidem possit gravitatemque obtinere. Postremo quid de scripturis ullis proferre poteris, ubi mihi uti hac voce non liceat, si contra meam ratiocinationem intentionemque proferatur? [1])«

47. **Scholion.** *Evangelia mansisse incorrupta,* pariter adeo est evidens, ut ad rem Augustinus contra manichaeos advertat [2]): „Nihil mihi videtur ab eis impudentius dici, vel, ut mitius loquar, incuriosius et imbecillius, quam Scripturas divinas esse corruptas, cum id nullis in tam recenti memoria exstantibus exemplaribus possint convincere.« Cur autem corrumpi non potuerint, hanc peremptoriam rationem reddit [3]): „Quisquis

---

[1]) De mor. Eccl. cath. l. 1. n. 60. Cf. Hettinger Apologie des Christenth. t. 1. disp. 14; Lehrbuch der Fundamentaltheologie p. 1. § 28 s.; Vigouroux de l'authenticité des évang. prouvée par l'étude critique du langage in Revue des quest. hist. XLVI, 355—99.

[2]) De util. cred. c. 3. n. 7. [3]) C. Faustum XXXII, 16.

enim hoc primitus ausus esset, multorum codicum vetustiorum collatione confutaretur, maxime quia non una lingua, sed multis eadem Scriptura contineretur.« Et iterum [1]): »Quis tandem, inquit, tanto furore caecatur . . . qui dicat hoc mereri non potuisse apostolorum Ecclesiam, tam fidam, tam numerosam fratrum concordiam, ut eorum scripta fideliter ad posteros trajicerent, cum eorum cathedras usque ad praesentes episcopos certissima successione servaverint, cum hoc qualiumcunque hominum scriptis sive extra Ecclesiam sive in ipsa Ecclesia tanta facilitate proveniat?«

Quibus praemissis jam ad primum, quo missio Christi divina comprobatur, testimonium accedamus, scil. ad testimonium praecedens prophetarum.

Articulus I. מָשִׁיחַ

De vaticiniis messianis. *Anointed from* מָשַׁח *to anoint.*

48. **Thesis VIII.** ***Factum est indubium, judaeos jam diu ante Christi nativitatem Salvatorem quendam seu Messiam exspectasse.***

Demonstratio. Judaeos Messiam quendam i. e. magnum Dei legatum exspectasse et prophetam, qui eos ad nobiliorem felicioremque proveheret conditionem et statum, dubio caret. Haec enim exspectatio et spes **1.** nota est propria hujus populi; ejusdem exspectationis **2.** plurima reperiuntur vestigia et argumenta in evangeliis, ut videri potest dum in Zachariae cantico [2]), tum in responso dato magis quaerentibus: *Ubi est qui natus est rex judaeorum?* Herodes enim a congregatis principibus sacerdotum et scribis populi sciscitabatur, *ubi Christus nasceretur?* Adventus ergo cujusdam Messiae tunc temporis nemini erat dubius; quo factum est, ut doctiores in populo nativitatis locum, unde exspectaretur, illico assignaverint [3]). Praeterea eadem ipsa exspectatio expressa est in cantico Simeonis [4]), in legationibus judaeorum ad Joannem [5]) et Joannis ad Christum quaerentis per discipulos: *Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus* [6])? Qua de causa judaei videntes ingens Chrisii miraculum multiplicationis panum inferebant: *Quia hic est vere propheta* (ὁ προφήτης), *qui venturus est in mundum* [7]); et alia occasione quaerebant: *Christus cum venerit, numquid plura signa faciet, quam quae hic facit* [8])? Huc etiam spectat eorundem responsum: *Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in aeternum* [9]), et quod Christo interroganti: *Quid vobis videtur de Csristo? cujus Filius*

---

[1]) Ib. XXX, 6. Cf. Petrum ven. c. sectam sacr. l. 1. n. 28. Mig. 189, 695 s.

[2]) Luc. 1, 76 ss. [3]) Matth. 2, 2. ss. [4]) Luc. 2, 25 ss.
[5]) Joan. 1, 19 ss. [6]) Matth. 11, 2 ss. [7]) Joan. 6, 14.
[8]) Ib. 7, 31. [9]) Ib. 12, 34.

יִתְיַצְּבוּ מַלְכֵי־אֶרֶץ וְרוֹזְנִים נוֹסְדוּ־יָחַד עַל־יְהוָה וְעַל־מְשִׁיחוֹ׃ *Ps. II. 2.*

Ejus Christum adv. et Dñum adv. eum in conveniunt et principes et terrae reges adstiterunt

est? illico responderent, *David* [1]). Quam exspectationem non tunc primum ortam esse, sed eo ipso, quod fuerit tam universalis, tam indubia, tam recepta, ex majorum traditione esse repetendam liquet [2]). Eadem **3.** penes samaritanos quoque reperitur; nam mulier samaritana Christo dixit: *Scio, quia Messias venit* [3]). Porro samaritani eam certe non hauserunt a judaeis post suam ab ipsis divisionem, sed ex communi fonte, ex communibus Scripturae libris etiam post suam ab illis separationem retentis. Hinc etiam **4.** aptissime explicatur, cur tot pseudomessiae tantas judaeorum turbas excitaverint; altas enim haec, de qua loquimur, spes in eorum mentibus egerat radices [4]).

49. **Thesis IX.** ***Hujus porro exspectationis fundamentum sicut et alimentum fuere prophetarum vaticinia genuina, quibus Messias non solum promittebatur, sed et magna adjunctorum varietate delineabatur.***

Demonstratio p. I. Judaeos prophetarum vaticiniis innixos Messiam exspectasse, patet ex testimoniis, quae n. praec. adduximus [5]); patet ex eorum confessione, ita enim ex. gr. in Talmude legimus [6]): „Omnes prophetae non vaticinati sunt nisi de diebus Messiae;“ Maimonides ad art. 12. inter vrticulos 13 fidei dicit: „Mendacem facit totam Scripturam, qui negat articulum de adventu Messiae.“ Et sane ejusmodi spes beneficii a sola liberrima Dei gratia pendentis tam late diffundi, tam altas agere radices, tamdiu conservari non potuisset, nisi divino quodam promisso seu vaticinio (vero vel ficto) inniteretur. Quo factum est, ut tam Christus quam apostoli eorumque successores contra judaeos disserentes confidenter ad prophetarum vaticinia provocarent, indeque Messiam jam venisse probarent. Utrique ergo parti persuasum fuit, ejusmodi vaticinia exstare.

50. **Demonstratio p. II.** Haec vero vaticinia esse genuina vel saltem diu ante Christum edita, non quidem contra judaeos, qui id ultro concedunt, sed adversus incredulos probandum est. Pro qua probatione sufficit provocare ad synagogae testimonium, quod hac in quaestione omni exceptione est majus, sive spectetur **a.** qualitas, numerus, conspiratio testium [7]); sive **b.** notissima eorundem tenacitas et

---

[1]) Matth. 22, 42; cf. Luc. 2, 38; Marc. 15, 43; Act. 26, 6 s.; 28, 20. etc.

[2]) Cf. 1. Machab. 4, 46; 14, 41. [3]) Joan. 4, 25.

[4]) Cf. Perrone praelect. theol. t. 6. p. 1. c. 1. prop. 1; Bade Cristologie Einleit. § 4. Vestigia ejusdem exspectationis penes gentes quoque reperiuntur. Cf. Hettinger l. c. § 35. 36; Hengstenberg Christol. Introd. c. 1. etc.

[5]) Cf. praesertim Luc. 1, 76; Matth. 2, 2 ss.

[6]) Tr. Sanhedrin cap. Chelek, in Ugolini thes. antiquit. hebr. t. 3. p. 666. et in Carpzovii disput. acad. p. 490 s.

[7]) Plura hic repeti possunt ex iis, quibus probavimus evangeliorum genui-

religio in sacris libris conservandis; sive **c.** quod testimonium ferant contra seipsos, cum illud mirum in modum promoveat causam christianam ipsis exosam, detrimentum vero inferat propriae.

51. Qua occasione non possunt non mirari patres sapientissimum Dei consilium, quo populum illum ingratum non deleverit, sed per orbem disperserit, ut testimonio suo certe non suspecto judaei genuinitatem confirment vaticiniorum, unde confundantur ipsi, convincantur gentiles de religionis christianae veritate. Ex innumeris effatis unum audiatur Augustini[1]): „Dispersi sunt per omnes gentes nusquam habentes stabilitatem, nusquam certam sedem. Propterea autem adhuc judaei sunt, ut libros nostros portent ad confusionem suam. Quando enim volumus ostendere prophetatum Christum, proferimus paganis istas literas. Et ne forte dicant duri ad fidem, quia nos illas christiani composuimus, et cum Evangelio, quod praedicamus, finxerimus prophetas: hinc eos convincimus, quia omnes ipsae literae, quibus Christus prophetatus est, apud judaeos sunt, omnes ipsas literas habent judaei. Proferimus codices ab inimicis, ut confundamus alios inimicos . . . Codicem portat judaeus, unde credat christianus. Librarii nostri facti sunt, quomodo solent servi post dominos codices ferre, ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant . . . Sic enim apparent judaei de Scriptura sancta quam portant, quomodo apparet facies coeci de speculo: ab aliis videtur, ab ipso non videtur.« Similia leguntur apud Justinum, Eusebium, Chrysostomum, Severianum Gabalorum episc., Theodoretum etc.

52. *Exceptioni satisfit.* — Neque objiciatur cum rationalistis, haec quae dicuntur vaticinia messiana antiquiora quidem esse Christo, sed non esse proprie dicta vaticinia; esse tantum quaedam populi vota et desideria liberationis sponte sua periculis et calamitatibus expressa atque forma prophetica enunciata. Nam obstat **a.** quod saltem plura fuerint accurate adimpleta; quod **b.** prophetae vaticiniorum genuinitatem passionibus propter ipsa toleratis confirmaverint; quod **c.** plura vaticinia praecesserint tempus calamitatum; quod **d.** Messiam praedicant patientem, ut Is. 53., proprii populi rejectionem et dispersionem, urbis templique destructionem Dan. 9, 26; quod **e.** tam expressa vaticinia solum apud judaeos reperiantur: si vero tantum calamitates essent illorum origo, penes omnes fere populos similia exstarent; quod **f.** post Christi adventum judaei, licet in graviorem diuturnioremque inciderint calamitatem, ejusmodi careant vaticiniis [2]).

53. **Demonstratio p. III.** In prophetarum vaticiniis Messiam non utcunque promitti, sed multiplici adjunctorum varietate delineari, manifestum erit cuicunque, qui eadem attente expenderit. Ut tantum ali-

---

tatem. Ceterum probationem vix innuere possumus; eam evolvere, confirmare et adversus omnes tueri exceptiones spectat ad introductionem in s. Scripturam.

[1]) In Psalmum 56. n. 9. Alia cf. opusc. VI, 111 ss. et XV, 154. in annot.

[2]) Cf. Reinke, Beiträge xur Erklärung des A. T. t. 2. introd. § 1. introd. § 12; Storchenau Zugaben zur Philosophie der Religion 10, 77—195.

qua innuamus [1]), praedicitur. **1.** Messias fore ex progenie Abraham, Isaac et Jacob: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae* [2]); quibus praedicitur magna benedictio redundatura ex semine horum patriarcharum in omnes gentes. Quamvis vero dubitari forte possit, si hoc vaticinium per se et seorsum ab aliis clarioribus, quae ejus sensum magis determinant et declarant, spectetur, utrum hoc semen de singulari aliqua persona, an de subjecto collectivo sit intelligendum: in lumine tamen subsequentium vaticiniorum patet, eatenus tantum in semine et per semen horum patriarcharum benedicendas esse omnes gentes, quatenus vel ipse Messias auctor benedictionis refundendae in populos est illud semen, vel ex illo semine oritur. Praedicitur ejus origo ex domo et familia David [3]): *Et egredietur virga de radice Jesse et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini.* Quod adeo verum est, ut cum Christus sciscitaretur a pharisaeis: *Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est,* illi incunctanter responderint [4]): *David;* et cum aliqui putarent Jesum esse Messiam [5]), reposuerint alii; *Numquid a Galilaea venit Christus? Nonne Scriptura dicit: Quia ex semine David et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus?*

54. Praedicitur **2.** nativitatis locus, quod sicut patet ex loco modo citato, ita luculenter constat ex ipsa judaeorum confessione. Cum enim magi inquirerent regem judaeorum et Herodes sciscitaretur a principibus sacerdotum et scribis populi, *ubi nasceretur Christus,* fidenter responderunt: *In Bethlehem Judae; sic enim scriptum est per prophetam* [6]): *Et tu Bethlehem, terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel* [7]).

55. Praedicitur **3.** tempus ejus adventus, ut mox accuratius ostendemus; ejus praecursor [8]): *Ecce ego mitto angelum meum et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis; et angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum.* Praedicuntur adventus indicia [9]): *Dicite pusillanimis: Confortamini et nolite timere; ecce Deus vester ultionem adducet retributionis, Deus ipse veniet et salvabit vos. Tunc aperientur oculi coecorum et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus*

אֱלֹהִים הוּא יָבוֹא וְיוֹשִׁיעֲכֶם

---

[1]) Cf. Huetium demonstr. evang. prop. 7.
[2]) Gen. 22, 18; cf. 12, 3; 18, 18; 26, 4; 28, 14.
[3]) Is. 11, 1; Jer. 23, 5 etc. [4]) Matth. 22, 42. [5]) Joan. 7, 41.
[6]) Mich. 5, 2. [7]) Matth. 2, 6. [8]) Mal. 3, 1; cf. Is. 40, 3 ss.
[9]) Is. 35, 4 ss.

claudus et aperta erit lingua mutorum, quia scissae sunt in deserto aquae et torrentes in solitudine etc. Jam vero ipsos judaeos habuisse miracula tamquam signa venientis Messiae, inde liquet, quod ex miraculo multiplicationis panum a Christo patrato ita statuerint[1]): *Qnia hic est vere propheta* (ὁ προφήτης), *qui venturus est in mundum;* et Joan. 7, 31. quaerunt: *Christus cum venerit, numquid plura signa faciet, quam quae hic facit?*

56. Praedicitur **4.** ejus munus[2]): *Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi et dicent: Venite et ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas et ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit lex et verbum Domini de Jerusalem.* Et alibi praedicitur Messias futurus in testem, ducem et praeceptorem gentibus. Quapropter judaei exspectabant magnum *prophetam*[3]).

57. Praedicitur **5.** conditio Messiae humilis omnem excludens fastum: *Exsulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem: ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator: ipse pauper et ascendens super asinam et super pullum filium asinae*[4]); item Messiae passio et mors[5]), praesertim Is. 53., quod caput esse messianum vetustiores ipsi judaei fatebantur: quam ob rem ad illud Christi discipuii saepe et admodum confidenter provocabant[6]).

58. Praedicitur **6.** passim gentium conversio, urbis et templi destructio et rejectio populi, de quibus vaticiniis agemus thesi XVI.

59. **Thesis X.** ***Comparatione inter vaticinia relata et J. Christi vitam instituta rite inferre possumus et debemus cum Philippo Joan. 1, 45: Quem scripsit Moyses in lege et prophetae, invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth. Proinde J. Christus censeri debet Messias seu legatus divinitus promissus.***

Demonstratio. Ad probandam assertionem sufficit conferre evangelia cum prophetarum vaticiniis, et liquido apparebit, ea in Christo mirum in modum fuisse adimpleta. Sane **1.** Christum esse ex semine Abrahae, Isaac et Jacob, nemo hucusque negavit, et per ipsum ejus-

---

[1]) Jo. 6, 14.

[2]) Is. 2, 2 s.; 55, 4; 61, 1; Deut. 18, 15 ss.; Mich. 4, 2. Cf. Eusebium demonstr. evang. l. 3. c. 1 s.; l. 5. c. 3; l. 6. cc. 13. 25; l. 8.

[3]) Jo. 6, 14; cf. n. 55. [4]) Zach. 9, 9. [5]) Ps. 21; Zach. 12, 10. (pag. 45. a.).

[6]) Act. 8, 33 ss.; 1. Petr. 2, 21 s.; Matth. 8, 17; Marc. 14, 28. coll. Luc. 22, 37. Judaeorum testimonia collegerunt plures exegetae protestantes, quos cf. apud Perrone praelect. theol. t. 6. de incarn. p. 1. c. 3. prop. 1. n. 187. Cf. Raym. Martini in pugione fidei p. 2. cc. 9. 11. 12.

que religionem magna beneficia redundasse in nationes omnes, is tantum negabit, cui generatim religio omnis est exosa; neque alius, qui sit ex illo semine, assignari poterit, ex quo tot commoda, spiritualia in primis, redundaverint in nationes et personas singulares, quot ex Christo ejusque religione in illas ubique locorum effusa sunt. Eum vero fuisse de domo et familia David, evincunt tabulae genealogicae Matthaei et Lucae; probat iter s. Josephi *in civitatem David, quae vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo et familia David* [1]), occasione descriptionis a praeside Syriae Cyrino factae; probant acclamationes, quibus toties *filius David* vel ab infirmis vel ab universo populo salutabatur [2]). Christum **2.** natum esse in Bethlehem Judae, manifestum est ex historia evangelica [3]), sicut etiam **3.** eum habuisse praecursorem, tantae sanctitatis virum, ut plures suspicati sint, ipsum esse Messiam. Tempus vero nativitatis Christi praeclare vaticiniis respondet, ut sequens thesis manifestabit. Miraculis plane refulsit adventus Christi, qua de re uberius infra th. XII. Messiae muneri **4.** divinitus praedicto omnino satisfecit Christus; verbo enim et opere, tam per se quam per suos legatos cursu jam XVIII seculorum doctrinam et legem coelesti sapientia refertam promulgavit atque eos, qui in tenebris et in umbra mortis sedebant, docuit et illuminavit atque docere et illuminare pergit. Ejus **5.** passio atque mors accurate respondet Ps. 21. et Is. c. 53, ac si hi prophetae non rem praedixerint futuram, sed testes oculati hujus lugubris spectaculi factum narrarint praeteritum [4]). Cum vero **6.** post gloriosam a mortuis resurrectionem

---

[1]) Luc. 2, 4. [2]) Matth. 9, 27; 21, 9. 15.

[1]) Ad rem Eusebius demonstr. evang. l. 6. c. 13. occasione vaticinii Michaeae 5, 2. (n. 54): „Si quis est, qui oraculum referre possit ad alium quempiam, ne cunctetur, prodat sane hunc, quisnam sit. Sed si alius praeter Salvatorem N. J. Christum inveniri non potest, qui solus post talem prophetiam inde profectus celebratur: quid tandem impedimenti superest, ne una cum prophetia veritatem fateamur, quae in unum illum suam dirigit praedictionem? Nam solus ille omnium, qui unquam exstiterint, ex eo Bethlehem loco . . . manifeste post ejus prophetiae tempora humanam subiens formam progressus est, atque illico una cum ejus adventu ea, quae jam praedicta fuerant, completa sunt. Itaque e vestigio sine mora quaecunque tristia et infesta judaicae genti praedicta fuerant, evenerunt: ac rursus ceteris gentibus oraculis consentanea, atque ipse hic Salvator et D. N. in Bethlehem progressus ejus Israel princeps, qui ad intelligentiam refertur, declaratus est etc.“ Cf. Scheeben § 210.

[2]) A. Zacharia 9, 9. praedicitur humilis Messiae in urbem Jerusalem ingressus (n. 57), qui ad literam adimpletus fuit in Christo Jesu (Joan. 19, 87; Matth. 21, 5 etc.). Haec vero vaticinia esse messiana, vel illud suadet, quod tam mirabiliter adimpleta sint in eo, ad quem tot alia vaticinia certo messiana spectant. In Zach. 12, 10: *Et effundam super domum David et super habitatores*

populos mirum in modum ad se converterit atque ad cognitionem cultumque veri Dei attraxerit, adimplevit vaticinia de gentium conversione; verum de hac sicut et de gentis judaicae reprobatione accuratius infra in th. XVI. disputabimus [1]).

60. **Thesis XI.** ***Diligenter expensis Gen. 49, 10., Dan. 9, 14. ss. et Aggaei 2, 7. s. patebit 1. tempus adventus Messiae jam esse elapsum; ideoque 2. eum jam advenisse: cum vero 3. in nullum praeter Jesum filium Mariae horum aliorumque vaticiniorum adjuncta quadrent: concludendum est, Jesum Christum esse Messiam divinitus promissum.***

Demonstratio p. 1. Ex innumeris vaticiniis messianis tria tantum seligimus accuratius expendenda, quae cum ipsum tempus adventus Messiae determinent, ad solutionem quaestionis, utrum jam advenerit et quis ille sit, magis sunt opportuna. Primum continetur verbis Jacobi benedicentis Gen. 49. filiis suis benedictionibus propriis et annunciantis quae ventura ipsis essent (v. 1—29). Ex quibus ad Messiam spectant in primis quae legimus v. 10: *Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est,* שִׁילֹה, *et ipse erit exspectatio gentium.*

61. Supponimus autem **1.** hoc vaticinium esse *genuinum,* quod sicut generatim iis omnibus probatur, quibus evincitur Pentateuchi genuinitas, ita nominatim ex confessione judaeorum, qui hoc ultro tuentur. Excipiunt quidem plures, Heinrichs, Vater, de Wette, Friederich, Justi, Bleeck etc. contra hujus vaticinii genuinitatem, Jacobum naturaliter non potuisse praescire futurum. Sed et nos hoc concedimus: negamus vero eum naturaliter praedixisse filiis ventura, praedixit ea siquidem ex inspiratione divina, ut eventus probat: nam quod hoc versu enunciatur, adimpletum est per Christum. Dicunt deinde, Jacobum describi moribundum, moribundum vero non esse amplius capacem loquelae tam poëticae. At forte **a.** haec vaticinatus est Jacobus non in ipso mortis articulo, sed aliquot diebus ante mortem. Neque **b.** rarum est, ut parentes in ipso mortis articulo praeclara verba ad filios loquantur. Nulla vero **c.** est difficultas supposita inspiratione divina. Urgent, Moysen Jacobi verba tantum ex traditione orali potuisse cognoscere, traditione vero orali dicta corrumpi solere. Sed seposita inspiratione po-

---

Jerusalem spiritum gratiae et precum: et aspicient ad me, quem confixerunt, et plangent eum planctu quasi super unigenitum, bene vertit vulgatus interpres dictionem דָּקְרוּ *confixerunt,* cum hic sit hujus verbi sensus: minus bene LXX interpretes *insultaverunt,* qui sensus est inusitatus. Cum vero ipse Deus loquens dicatur *confixus,* multo magis haec referre (sive immediate, sive saltem mediate) licet ad Messiam. Christi autem confixionem secutae sunt magna poenitentia et effusio charismatum hic praedicta Act. 2, 37.

[1]) Cf. Chrysostomus l. quod Christus sit Deus n. 2 ss. opusc. t. XV. Storchenau l. c. pag. 288—355: Hettinger l. c. disp. 16.

tuit Moyses Jacobi vaticinium et testamentum ex fontibus et monumentis scriptis haurire; dein facto ipso constat populos, qui literis carent, tenacis admodum esse memoriae: quare haud impossibile est, Jacobi testamentum ejus filiis certe pretiosum ab iisdem fideliter fuisse conservatum.

61[a]. Contendimus **2.** illud esse *messianum,* ut patet **a.** ex luculenta et antiquissima judaeorum traditione, cujus vestigia reperimus quoadusque pertingunt antiquitatis monumenta. Hoc etiam nobis concedunt recentiores et antiquiores rabbini; idem patet ex Talmude babylonico, ubi quaeritur: „Quodnam est nomen Messiae?“ et respondetur: „Schiloh est nomen ejus, sicut dictum est Gen. 49: *Donec veniat Schiloh;*“ ex Targum hierosol. et Pseudo-jonathanis (sec. forte VII), in quo legimus h. l. ita redditum: *Donec veniat rex Messias;* et ex paraphrasi chaldaica Onkelosi (aetatis apostolorum), qui horum verborum sensum ita expressit: *Donec veniat rex Messias:* et ad eum obedient vel congregabunt se populi vel gentium nationes [1]).“ **b.** ex ipsis verbis; neque enim alius poterit dici *exspectatio gentium* quam legatus divinitus missus in omnium gentium salutem; **c.** ex opportuna collatione cum Gen. 12, 3. hujusque locis parallelis. Neque enim verosimile est, splendidissimam omnium promissionem Abrahae factam et in Jacobi posteris adimplendam a Jacobo praedicente, quae filiis suis in novissimis diebus ventura essent, fuisse ommissam.

62. Quod vero **3.** hujus vaticinii *interpretationem* attinet, advertimus **a.** inciso priori ablationem sceptri et ducis non divisim, sed conjunctim ac simul eventuram significari; **b.** in altero autem hemistichio ejusdem oraculi pariter bimembri duplicem a patriarcha pro ablatione sceptri ducisque designari terminum, unum priorem scil. Messiae adventum, alterum posteriorem scil. vocationem gentium. Ex quo consequitur, totalem ducis sceptrique ablationem non necessario incidere in primum adventus Messiae tempus, sed compleri tum etiam potuisse, cum jam gentes Messiae (a judaeis rejecto) adhaerere atque obedientiam praestare coeperint.

63. Jam aliqua dicamus **4.** *de notionibus* praecipuorum terminorum, qui in hoc vaticinio occurrunt. **a.** Vox שֵׁבֶט designat sceptrum seu insigne potestatis, ideoque principatum Judae sive in Juda generatim et indefinite sub quacunque regiminis forma, hinc etiam autonomiam vel secundum alios ipsam tribum seu formam tribulem [2]), cui acceptioni favet usus loquendi biblicus: nam שֵׁבֶט fere centies et quadragies in divinis literis accipitur ad significandam tribum, septies tantum sonat insigne dominii et potestatis. Huic tamen acceptioni magis favent septuaginta interpretes, Symmachus, Theodotion, Onkelos, talmudistae babylonici, plures rabbini, patres plures graeci etc., qui vocem illam velut insigne potestatis et dominii interpretati sunt; quamvis nonnulli putent, ea significari tantum potestatem aliquam determinatam, scil. vel regiam, vel sacram etc. **b.** Voce *Juda* non designatur universa natio judaica duodecim constans tribubus, sed sola tribus Juda: quod colligitur tum ex eo, quod singuli filii propriam acceperint benedictionem, proinde

---

[1]) Tr. Sanhedrin c. 12. Cf. Raym. Martini in pugione fidei p. 2. c. 4.

[2]) Hanc sententiam tuetur Patritius de interpretet. ss. Scripturarum l. 2. q. 6. Cf. de variis sententiis Huetius prop. 9. § 5.

haec ad solam Judae propaginem spectet; tum ex eo, quod et superiora v. 8: *Juda, te laudabunt fratres tui,* evidenter spectent ad solum Judam ejusque propaginem; tum ex eo, quod dictio *de Juda* parallela sit illi incisi sequentis *de femore ejus:* ubi pronomen *ejus* (quomodocunque illud *de femore* explicetur) ad unum spectat Judam ejusque propaginem. **c.** Voce מְחֹקֵק designatur vel princeps in genere sub quacunque regiminis forma, proinde subjectum sceptri, non vero praecise sive legislator, sive dux bellicus, sive rex; vel ratione parallelismi cum priori inciso virga regnantis, quae symbolum est principatus sive juris autonomi, quo tribus Juda propriis legibus seu lege mosaica sese regebat etiam post ceteras tribus dispersas ac dissolutas. **d.** Ipsum ו voci מְחֹקֵק praefixum minime alternative vel disjunctive, sed correlative ac copulative est accipiendum. **e.** Propositio מִבֵּין רַגְלָיו secundum plures designat originem ducis et sceptri; secundum alios subjectum, a quo sceptrum et dux non auferendus praedicitur; probabilius vero sensu obvio accipiendum est. Intuetur scil. vates Judam baculum, potestatis insigne, more antiquorum ducum, dum sederent, inter pedes tenentem. **f.** עַד כִּי significat *donec,* ac proinde terminum, ante quem certe neutrum penitus sit auferendum; ex vi tamen particulae non potest colligi, utrum sit auferendum [1]) completo termino. De hoc tamen dubitare vix permittitur. **g.** non ingredimur quaestionem implexam, unde proprie derivetur[2]) nomen שִׁילֹה, sufficit enim nobis, quod eo designetur Messias, ut patet ex dictis. Denique quod attinet יִקְהַת, quam vocem reddit vulgatus interpres *exspectatio,* poterit ea magis reddi ad verbum *obedientia* seu *obsequium,* adeo ut sit sensus: *Et ei obedientia populorum* seu *et ei obtemperabunt populi.*

---

[1]) Potest verissime dici adveniente Messia et *ablatum esse* sceptrum a Juda et *non esse ablatum:* ablatum est sensu literali; non est ablatum sensu spirituali, sublimiori. Nam de Christo praedictum est: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus; et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis* Luc. 1, 32.

[2]) Secundum doctissimos Lagarde et Bickell שִׁילֹה est participium passivum a verbo שָׁאַל poscere, desiderare, petere, impetrare cum suffixo tertiae personae antiquo, quod ex. gr. adhuc in eodem hoc vaticinio occurrit in voce עִירֹה. Partiticipium passivum est שָׁאוּל *expetitus* vel שָׁאִיל et cum suffixo שְׁאִילֹה *Desideratus suus,* ex quo per elisionem sive contractionem fit שִׁילֹה. Haec vero contractio **1.** non fingitur, sed revera in derivatis hujus verbi frequenter occurrit ex. gr. 2. Reg. 1, 17 שְׁלָתֵךְ pro שְׁאֵלָתֵךְ petitio tua. Posita **2.** hac explicatione שִׁילֹה manet nomen personale, quin sit proprium. Omnibus igitur **3.** vetustis versionibus concordamus, quae nomen personae supponunt, nec ulla ipsum exhibet ad instar proprii, alios quoque locos **4.** allegare licet, in quibus quoad sensum eadem habetur Messiae appellatio, ut Ag. 2, 8. et Mal. 3, 1 (cf. infra n. 74 s.). Notandum tamen est, non deesse qui praeferant, lectionem שִׁלֹה cui favent etiam veteres versiones ex idiomate hebraico factae excepta hieronymiana: qua probata, reddendus est hic locus, is cujus seu cui est, supple sceptrum et virga.

64. Proinde **5.** *sensus vaticinii* est: non auferetur sceptrum de Juda h. e. dominatus (seu principatus et imperium seu jurisdictio) de tribu Juda, neque princeps de posteris ejus i. e. super ejus posteriores unam constituentes tribum cohaerentem (vel qui sit de ejus stirpe oriundus); vel secundum alios: Non auferetur politica forma tribus atque conditio et jus αὐτόνομον potestasque propriis sese legibus regendi a posteris Juda, donec advenerit Messias et huic obsequium praestare coeperint gentes.

65. Verum quidquid sit **6.** de accuratiori singularum vocum interpretatione, id evidentissimum est, quomodocunque intelligantur *sceptrum* et *dux*, omne sceptrum omnisque ducis umbram a tribu Juda esse sublata, nominatim ex quo civitas et templum hierosolymitanum funditus deletum fuit sub Tito universusque populus dispersus per orbem. Cum vero **a.** haec ad amussim incidant in tempus Christi nati susceptique avidissime per fidem a gentibus; cum **b.** et reliquorum vaticiniorum adjuncta in ipsum quadrent; cum **c.** nullus alius assignari possit, in quo haec omnia ita fuerint completa: concludendum est, Jesum, filium Mariae, esse divinitus promissum. Et sane Christo nascente respublica judaica ad interitum vergebat, divisa regione inter varios tetrarchas ipsoque nutante summo sacerdotio Luc. 3, 1. 2; tota vero eversa est per Titum, cum satis jam promulgatum erat Christi Evangelium per orbem, et undique innumeri obsequium mentis et cordis Christo exhibuerant. In Christo autem alia adimpleta esse vaticinia ostendimus thesi praecedenti. Nemo vero assignari potest, in quem tanta adjunctorum quae praedicta fuere varietas concurrerit. Quare nisi dicere velimus, Deum circa Messiae adventum falsum praedixisse, quod judaei saltem nunquam concedent: inferendum est, et Messiam jam advenisse, cum tempus adventui assignatum sit elapsum, et hunc non alium esse a Christo Jesu.

66. *Exceptioni satisfit.* — Neque excipiatur, jam ante Christi adventum defecisse sceptrum et ducem in tribu Juda, tempore nimirum captivitatis babylonicae, ideoque illud vaticinium censeri non posse messianum, vel saltem inde non probari, Jesum filium Mariae esse Messiam. Negamus enim totalem sceptri ducisque ablationem eo tempore contigisse, cum sceptri ducisque praerogativa tunc solum fuerit interpolata seu verius tantum attenuata; nam etiam in captivitate babylonica tribus Juda retinuit formam conditionemque tribulem, ut patet vel ex reditu hujus tribus; imo retinuit quandam autonomiam, ut ex judicio in Susannae causa lato Dan. c. 13. eruitur. Verum etiamsi fuisset penitus ablatus dux et sceptrum, cum tam clare praedicta fuerit per prophetas liberatio e captivitate et reditus in patriam, eo ipso praedicta fuit restitutio ducis et sceptri: ideoque haec ablatio rationem tantum habuit interpolationis seu suspensionis nullo modo comparandae cum ea ablatione, quae

modo obtinet. Ceterum propter dicta neque interpolationem hujus praerogativae admittimus, sed tantum si vis attenuationem [1]).

67. **Demonstratio p. II.** Luculentius est vaticinium Danielis 9, 24. ss.: *Septuaginta hebdomades,* ita solatur Gabriel angelus Danielem de populi captivitate afflictum, *abbreviatae* (decisae, resectae vel decretae seu statutae) *sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio* (f. ut desinat tandem aliquando apostasia illa universalis gentium a cultu Dei) *et finem accipiat peccatum* (posita causa qua id esse valeat et ut sit), *et deleatur* (expiatione) *iniquitas* (in primis originalis) *et adducatur justitia sempiterna* (vera, coram Deo, interior) *et impleatur* (obsignetur) *visio et prophetia* (ut cesset oeconomia prophetica V. T.) *et ungatur sanctus sanctorum* [2]). *Scito ergo et animadverte: Ab exitu sermonis* (ab edicti ema-

---

[1]) Cf. Tournemine in dissert. de hoc vaticinio in memoriis trivultiensibus mense Martio 1705 a. 45., latine versa a Zaccaria in append. ad Petavii l. 16. de incarn.

[2]) קֹדֶשׁ קָדָשִׁים *sanctitas sanctitatum* vel *sanctissimum* secundum alios. Duplex hujus loci est interpretatio. Alii haec verba intelligunt de persona scil. de Messia, quam interpretationem Theodoretus tamquam indubitatam penes christianos suo tempore proponit eaque nititur hisce rationibus: **1.** auctoritate versionis septuaginta, Theodotionis (quam tamen alii in dubium vocant), syriacae et vulgatae; **2.** auctoritate haud paucorum rabbinorum; quod **3.** non infrequens sit in s. Scriptura, nomina abstracta accipi pro concretis seu iis designari personas, neque infrequens nominis reduplicatio (cf. 2, 37. 47; 8, 25); verbum vero **4.** לִמְשֹׁחַ aptissime refertur ad eam personam, quae per excellentiam dicitur מָשִׁיחַ ac inungenda praedicitur Js. 11, 2; 42, 1; 61, 1; Ps. 44, 8; eoque magis **5.** quod oportuerit indicare auctorem et causam praecedentium mirabilium effectuum. Cf. Bade Christologie t. 3. p. 2. pag. 118 ss. Alii vero haec intelligunt de templo, non utique materiali, hierosolymitano, sed de templo spirituali, de Ecclesia deque inauguratione novi foederis. Non de templo hierosolymitano, quia gratis ejusmodi nova inauguratio fingitur, et quia illa pars hujus templi, quae dicebatur sanctum sanctorum, hebraice semper cum articulo enunciatur, qui hic deest, neque illa pars sola consecrabatur. Praeterea haec explicatio non cohaeret cum vaticinii chronologia: neque hoc promissum foret homogeneum ceteris vaticinii bonis, quae spiritualia sunt: et quod praecipuum est, templum praedicitur destruendum. Ea vero esse intelligenda de inunctione templi spiritualis, de Ecclesiae inauguratione, nituntur plures auctores suadere tum quia **1.** קֹדֶשׁ קָדָשִׁים quod saepissime occurrit in divinis literis, forte aut fere nunquam ad personam tamquam subjectum designandum usurpatur, sed semper de rebus adhibetur (forte 1. Paral. 23, 13 de persona, sed per modum praedicati): tum quod **2.** sermo hic sit de donis conferendis post elapsas 70 hebdomadas, inunctio vero Messiae antea futura sit, scil. in dimidio hebdomadae ultimae. Quare inunctio debet hic intelligi de re significata per materialem inunctionem, nimirum de collatione s. Spiritus ejusque charismatum, quibus inuncta fuit Ecclesia, quae dicitur sanctum sanctorum comparate ad vetus templum. Inunctio vero oppo-

natione), *ut iterum aedificetur* (ad restituendam et aedificandam) *Jerusalem, usque ad Christum* (unctum) *ducem hebdomades septem et hebdomades sexaginta duae erunt*[1]), *et rursum aedificabitur platea et muri in angustia temporum* (cf. Nehem 3, 33; 4, 1—6, 15). *Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus*[2]) (exstirpabitur, excidetur unctus); *et non erit ejus populus, qui eum negaturus est*[3]). *Et civitatem*

---

nitur destructioni templi secundi, de qua sermo est v. 26. 27. Cf. Hengstenberg Christologie des A. T. t. 2. in h. l. Quivis autem intelliget, licet haec forsan de Messia ipso immediate non dicantur, mediate tamen ad eum esse referenda, cum Ecclesia sine ipso non intelligatur et vere sit sanctissima ratione ipsius, sui scil. auctoris et capitis, qui solus horum omnium auctor esse possit et ex quo tamquam ex capite in eam omnis redundat sanctitas.

[1]) Eusebius demonstr. evang. l. 8. pag. 414. ed. Migne: „Septem igitur a Cyro ad templi aedificationem absolutam annorum hebdomades reperiuntur. Inde animos sumentes judaei ad Salvatorem nostrum dicebant: *Quadraginta et sex annis aedificatum est templum hoc et tu in tribus diebus excitabis illud* (Joan. 2, 20)? At illi quadraginta et sex annis aedificatum esse templum dixere: tot enim a regno Cyri prioris, qui primis judaeorum quibusque volentibus concessit de Babylone in patriam terram reverti, ad sextum Darii regni annum colliguntur, sub quo omnis aedificatio finem accepit. Sed Josephus, auctor hebraeus, alios tres annos adjungit ad ea, quae templo extrinsecus accedunt, ornameta absolvenda, ut propterea merito septem primas hebdomadas, quae summam quadraginta novem annorum conficiunt, a ceteris oraculum propheticum separaverit.“

[2]) Nomine מָשִׁיחַ נָגִיד non posse intelligi principem aliquem judaeorum patet, quia defuit post captivitatem babylonicam oleum unctionis; multo minus intelligi potest princeps aliquis ethnicus, qui non dicitur מָשִׁיחַ. Quod si Cyrus ita vocatur Is. 45, 1, rationes hujus appellationis esse possunt tum specialissima ejus relatio ad theocratiam, tum dona ipsi a Deo ad judaeorum salutem collata, tum typica ejus ad Christum Messiam relatio. Ipse vero hic intelligi nequit, tum quia effectus hic descripti nullo modo ipsi tribui possunt, tum quia hoc admisso omnis subverteretur chronologia in ipso vaticinio expressa. Hic autem Christus idem est cum illo, cujus ante facta est mentio, inepta enim est et contraria omni eventui quorundam opinio de duplici Messia.

[3]) Particula אֵין non est conjunctio negativa, quae indicet aliquod praedicatum non convenire subjecto, vel quae aliquod membrum propositionis neget: sed habet vim ipsius praedicati scil. verbi substantivi illudque a subjecto separat, ideoque significat: non est, non adest, non exsistit, non habetur. Itaque falsa est eorum explicatio, qui sic construunt et vertunt: *Excidetur Christus, (sed) non sibi* (vel propter se) scil. excidetur. וְאֵין לוֹ est propria propositio, aperte enuncians effectum excisionis Christi; ea vero est elliptica, non enim exprimitur subjectum, sed illud ex contextu supplendum est. Si Messias tamquam subjectum suppletur, tunc לוֹ refertur ad aliam rem, quae in superioribus memoratur, fortasse ad populum, cujus mentio facta est v. 24: sed cum propter nimiam distantiam durior sit haec ellipsis, convenientius לוֹ refertur ad Messiam, et subjectum propositionis est non tam populus (v. 24), sed magis generatim id omne, quod pertinet ad Messiam ejusque regnum, populus, urbs, templum, hostia etc., ita ut hic sit sensus hujus loci: Excidetur, (negatur, abjicitur, rejicitur, occiditur)

et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo (principis, qui venturus est): *et finis ejus vastitas* (finis hujus perditionis in exitio inexspectato) *et post finem belli statuta desolatio* (bellum usque ad exterminium, ad internecionem, ruinae irreparabiles). *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una* (quae est subjectum per prosopopoeiam), *et in dimidio hebdomadis deficiet* (et dimidium hujus hebdomadae auferet, cessare faciet), *hostia et sacrificium*[1]), *et erit in templo abominatio*[2]) *desolationis* (et super cacumen, culmen, supremam templi partem abominationis vastator, supple *veniet;* quare sensus est: totum templum usque ad supremam ejus partem, proinde penitus occupabit, penetrabit abominatio ab ipsis judaeis profecta, quae erit causa vastationis templi) *et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio* (et quidem usque completum et resectum pluet pluvia, utique analoga illi, quam Deus pluere fecit Gen. 19, 37. super Sodomam et Gomorrham, scil. usque ad ruinam et internecionem irreparabilem).

68. Hactenus Danielis vaticinium. Jam evincendum est **1.** *illud esse messianum.* Quod colligitur **a.** ex ipsis verbis; de eo enim tempore est

---

Messias, et hinc nihil est ei eorum, quae ad eum pertinere debuissent tamquam ad Messiam (desiit esse Messias, dux מָשִׁיחַ נָגִיד). Statim clarius dicit Gabriel, quid voluerit significare verbis istis וְאֵין לוֹ : *urbem et sanctuarium vastabit populus* (alius a populo, cujus ad id usque dux Messias fuerat) *ducis venturi.* Haec sunt, quae amisit Messias, quae jam non habet, nec habere vult: urbs, sanctuarium, foedus, sed ultima in hebdomade firmius foedus cum multis inibit horumque Messias fiet. Cum autem sit incertum, utrum in illa propositione elliptica tamquam subjectum supplendum sit populus an Messias (populus non amplius habet eum, nec vult habere; sive, Messias non amplius habet seu agnoscit populum), ideo forte s. Hieronymus ea verba latine ita vertit vel potius explicavit, ut utrumque enunciaretur: *et non erit ejus populus, qui eum negaturus est.*

[1]) Haec non necessario intelligi debent de abrogationis facto, quasi reipsa statim cessaverint sacrificia, sed de abrogatione juridica et legali, vi cujus Deus ab eo tempore non amplius eadem acceptaverit amiserintque sacrificia judaica omnem rationem atque pretium cultus religiosi. Cf. Eusebius demonstr. evang. l. 8. pag. 630. ed. Migne t. 22. patrol. gr. Palmieri tamen in suo egregio comment. in h. l. (in specimine critico exeg. de veritate historica l. Judit aliisque ss. Script. locis) censet hanc hebdomadam incidisse in ipsam destructionem urbis et templi, per quam revera penitus cessavit hostia et sacrificium.

[2]) Hic *abominationis* nomine maxime significantur judaeorum scelera, quibus templum ipsum polluerant; quare sicut illorum scelera et abominationes causa erant destructionis prioris templi 2. Reg. 21, 2 ss., Jerem. 7, Ezech. 5, 11. etc., ita causa erant secundae vastationis. Quam ob rem Christus respiciens ad Danielis vaticinium, templi abominationem exhibet ut signum instantis desolationis Matth. 24, 15 s. et Marc. 13, 14, quo fideles monerentur, ut sibi per fugam consulerent.

sermo, quo consummabitur praevaricatio, finem accipiet peccatum, delebitur iniquitas, adducetur justitia, implebitur visio et prophetia, novum inaugurabitur foedus: quae in primis efficienda erant per Messiam; hi enim maxime fructus ex ejus adventu sperandi, haec propria ejus munera. Confirmatur **b.** auctoritate veterum rabbinorum [1]). Accedit **c.** quod ante elapsas 70 hebdomadas annorum nemo se Messiam jactaverit; iisdem vero ad finem vergentibus jam exspectaretur Messias, plures etiam se Messiam venditarint. Hujus exspectationis eo tempore adeo diffusae testes sunt scriptores vel ethnici, ut Tacitus et Suetonius[2]), qui ita scribit: „Percrebuerat Oriente toto vetus et constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judaea profecti rerum potirentur. Id de imperatore romano, quantum eventu postea patuit, praedictum, judaei ad se trahentes, rebellarunt.“ Manifestum ergo est hoc vaticinium communi consensu habitum fuisse messianum.

69. Tenendum deinde est **2.** hoc vaticinio *determinari epocham adventus Messiae.* Quod patet **a.** ex primis vaticinii verbis: Septuaginta hebdomadae decisae, decretae sunt; **b.** ex respectu ad septuaginta annos captivitatis babylonicae, qui erant determinati atque fixi; ex eo **c.** quod Daniel etiam alias soleat eventus alicujus epocham determinare; cf. cap. 8. et 12; **d.** ex ipso vaticinio, in quo septuaginta hebdomadae in minora segmenta dividuntur et subdividuntur; quod absonum esset, si numerus definitus septuaginta poneretur pro indefinito. Denique **e.** si septuaginta hebdomades periodum designarent plane indefinitam, novi fere nihil hoc vaticinio significatum fuisset, nullum solatium attulisset angelus Danieli, qui jam a prima juventute noverat, Messiam quondam esse venturum. Hoc vel ipsi veteres rabbini concedunt; neque enim alia de causa juxta eos prohibitus fuit Jonathas Ben Uziel vulgare suam paraphrasin in Kethubim sive hagiographa, inter quae recensetur et Daniel, quam propter perspicuam determinationem epochae Messiae.

70. Tenendum est **3.** *has hebdomadas unam constituere periodum* coalescentem ex tribus epochis partialibus non indefinito intervallo ab invicem sejunctis, sed immediate sese excipientibus, ut patet ex iisdem fere rationibus. Ridiculum porro est ad hoc negandum urgere accentum athnach in textu hebraico interpositum inter septem priores hebdomadas et alias sexaginta duas, cum constet accentus textui appositos fuisse pluribus nonnisi seculis post Christum a judaeis religioni christianae infensis, quorum proinde auctoritas hac in re non tanti est facienda.

71. Tenendum est **4.** *has hebdomadas componi annis.* Quod suadetur **a.** ex subjecta materia; neque enim tam brevi temporis spatio 490 dierum commode fieri potuissent omnia, quae hoc vaticinio inter hanc epocham facienda praedicuntur; cum Deus non soleat tam ingentia patrare miracula et praecipiti modo magnas res moliri. Accedit **b.** apud judaeos haud infrequentem fuisse usum hebdomadarum, quae ex annis coalesce-

---

[1]) Cf. eorum testimonia ap. Raym. Martini in pugione fidei part. 2. c. 3. § 16. et Schoettgenium horae hebr. t. 2. p. 263 ss.

[2]) Ille Annal. l. 5. c. 3; hic in Vespasiano c. 4.

rent [1]); cum ergo praeter hebdomadas dierum et annorum nullae aliae in divinis occurrant literis, seclusis supra hebomadis dierum, omnia exigunt, ut has intelligamus de iis, quae componuntur annis; eoque magis **c.** quod rerum eventus hanc interpretationem confirmet [2]).

72. Quamvis vero implexa[3]) admodum sit quaestio, utrum hebdomadarum initium incidat in annum primum Cyri, an in annum sive septimum sive vigesimum Artaxerxis Longimani: ad rem nostram perinde est, quaecunque demum eligatur sententia. Evidenter enim constat, vaticinium jam esse impletum, cum defecerit hostia et sacrificium, et quae ultimo loco praedicitur, ingens urbis templique desolatio contigerit. Quare jam elapsae sunt septuaginta hebdomadae, jam Messias advenit. Atqui nullus assignari potest, qui circa harum hebdomadarum vixerit finem et ante urbis templique eversionem, in quem et hujus et aliorum vaticiniorum adjuncta concurrant praeter Christum Jesum filium Mariae; ipse enim solemnissime a populo fuit rejectus atque morti traditus, post ipsum vero nulla amplius visio, nulla prophetia penes judaeos. Ipse ergo, nisi omnem vaticiniorum rejicere velimus fidem, Messias divinitus praedictus censendus est.

73. Quare ad rem Augustinus scribit[4]): „Quis non eundem Salvatorem agnoscat apud Danielem, cum Antiquo dierum offertur filius hominis et accipit regnum sine fine, ut serviant ei omnes gentes [5])? Jam vero si locum illum, quem commemoravit Dominus ex ejusdem Danielis prophetia: *Cum videritis abominationem vastationis, quae dicta est a Daniele, stantem in loco sancto, qui legit intelligat* [6]), si supputatis etiam tem-

---

[1]) Cf. Lev. 25, 2 ss.; 26, 34 ss.; Num. 14, 34; 2. Paral. 36, 21; Ez. 4, 6.

[2]) Quibus excluduntur etiam judaeorum effugia, qui ad eludendam demonstrationis vim fingunt nescio quas hebdomadas jubilaeorum vel seculorum: nam cum excidium urbis atque templi post absolutas 70 hebdomadas subsecuturum jam contigerit, liquet, illas hebdomadas longe breviores et jam elapsas esse; neque etiam ejusmodi hebdomadae occurrunt penes judaeos veteres.

[3]) Ratio difficultatis multiplex est: **1.** quia saltem quadruplex occurrit decretum de reaedificando sive templo sive urbe, scil. Cyri 1. Esdr. 1, 1 ss.; Darii filii Histaspis ib. c. 6; Artaxerxis Longimani anno 7. ejus imperii 1. Esdr. 7, 11 ss. et a. 20. ejusdem 2. Esdr. 2, 5—8; et **2.** quia ipsi historici non satis conveniunt sive circa numerum regum persarum usque ad Alexandrum M., sive circa numerum annorum, quibus reges regnarint; numerus enim annorum quandoque computabatur a die, quo a patre consortes facti sunt imperii; quandoque a die, quo soli regnare coeperunt. Quapropter Pererius in h. l. 15 varias referre potuit sententias, quibus sextam et decimam addit. Cf. Tüb. folia trimestria 1868. p. 416 ss.; 535 ss., in primis vero Fraidl Die Exegese der 70 Wochen Daniels in der alten und mittleren Zeit, Graecii 1883, qui 107 varias interpretationes recenset, quae prolatae fuere usque ad Dionysium carthus. († 1471).

[4]) Contra Faustum XII, 44. [5]) Dan. 7, 13 s.

[6]) Matth. 14, 15; Dan. 9, 27.

poribus hebdomadum ille numerus pertractetur; non solum Christus, sed etiam tempus reperitur, quo eum oportuit venire passurum. Quamquam et sine computatione temporum manifestis rerum effectibus judaeos urgere soleamus, cum quibus nobis, non utrum in Christo sit salus nostra, sed utrum jam venerit passusque fuerit, disceptatio est. Convincuntur autem rebus ipsis apertissimis non solum de fide omnium gentium, quas ei servituras eadem, cui cedere coguntur, Scriptura praedixit, quae ita clarescit toto orbe terrarum, ut omnium tergiversantium oculos feriat: verum etiam de iis, quae in ipsa judaeorum gente jam facta sunt, quod sacrarium eversum est, quod cessavit hostia et sacerdos et unctio pristina; quae omnia Daniel tunc praenunciavit futura, quando ungi sanctum sanctorum liquide prophetavit. Cum igitur illa omnia jam facta sint, exigitur ab eis etiam unctus sanctus sanctorum, et quid respondeant, non inveniunt.«

74. **Demonstratio p. III.** Praeclarum quoque est vaticinium Aggaei, qui solaturus seniores judaeorum ex captivitate babylonica reduces moerentesque, quod templum secundum gloria tantum distaret a templo salomonico, cujus viderant splendorem atque magnificentiam, hunc in modum Dei nomine vaticinatur (2, 7 s.): *Adhuc unum modicum est, et ego commovebo coelum et terram et mare et aridam. Et movebo omnes gentes; et veniet desideratus cunctis gentibus*[1]*; et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum et meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimae plus quam primae, dicit Dominus exercituum: et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* Quasi diceret: Quid solliciti estis de auro et argento? meum est aurum et argentum, quae mihi praesto sunt, quoties mihi libuerit; gloria secundae hujus domus non ex magnificentia auri et argenti, non ex splendore externo quique incurrit in oculos est repetenda: sed ex eo quod in eam venturus sit Dominator, quem vos judaei impense exspectatis, et Angelus Testamenti, quem enixe desideratis et quaeritis (Mal. 3, 1), atque propterea templum hoc alterum priori domui longe praestabit.

---

[1]) Hebraice וּבָאוּ חֶמְדַּת כָּל־הַגּוֹיִם; alexandrini interpretes: ἥξει ἐκλεκτὰ πάντων τῶν ἐθνῶν. Hinc adversarii interpretationis messianae contendunt, secundi templi gloriam majorem prae priori repeti ex affluentia divitiarum, quas undique gentes collaturae essent in templum secundum Is. 60, 5. Sed etiam si sequamur versionem alex., vaticinium manet propter rationem allatam messianum. Augustinus vero illud ita explicat de civit. Dei l, 18. c. 45: „Septuaginta interpretes alium sensum magis corpori quam capiti h. e. magis Ecclesiae quam Christo convenientem prophetica auctoritate dixerunt: Venient quae electa sunt Domini de cunctis gentibus i. e. homines, de quibus ipse Jesus in Evangelio: *Multi,* inquit, *vocati, pauci vero electi* (Matth. 22, 14). Talibus enim electis gentium domus Dei aedificatur per T. N. lapidibus vivis, longe gloriosior quam templum illud fuit, quod a rege Salomone constructum est et post captivitatem instauratum.“ Cf. etiam Hieronymum in h. l.

75. De quo vaticinio tenendum est, *illud esse messianum;* quod fatentur vel ipsi rabbini [1]), quare et Paulus Hebr. 12, 26. eo utitur; suadent deinde argumenta interna. Praedicitur scil. secundi templi gloria major futura quam fuerit templi salomonici seu prioris splendor. Atqui templum secundum, si divitias spectes et splendorem, plurimum defecit a prioris majestate; eoque magis quod illi deerant, fatentibus saltem judaeis, quinque praerogativae [2]) nullo compensandae auro, Urim et Thummim seu rationale judicii, arca foederis, ignis et praesentia Dei in propitiatorio (Schechinah) et Spiritus sanctus (i. e. spiritus prophetiae). Quare non alia de causa major censeri debet templi secundi gloria, quam quod revera in illud, eo adhuc stante, venturus esset *desideratus cunctis gentibus,* seu, ut clare spondet Malachias 3, 3., *Dominator,* quem judaei quaerebant, et *Angelus testamenti,* quem desiderabant: qui personali sua praesentia, quam Schechinah adumbrarat, ita honoraret templum secundum, ut propterea longe praecelleret priori et revera judaei, qui hanc nolunt admittere causam, aliam praecellentiae templi secundi prae priori nequeunt assignare [3]). Insuper duo illa adjuncta: ingens gentium commotio et pacis collatio characteres sunt regni messiani [4]).

76. Ex quibus evidenter consequitur, *Messiam jam advenisse.* Praedicitur enim venturus stante templo secundo. Atqui hoc jam a seculis XVIII dirutum est. Ergo ante secula XVIII Messias advenit. Hic vero alius non est a Christo Jesu. Ejus enim adventum praecessit magna gentium commotio, vi cujus plurimae non citra diuturna bella et proelia cruenta sub unius Augusti redactae sunt imperium [5]); ipse vix natus quaesitus est a magis venientibus ex Oriente: vix per discipulos gentibus annunciatus ab innumeris ubique terrarum fide exceptus fuit, ideoque ipso eventu probatur desideratus cunctis gentibus; ipse

---

[1]) Apud de Rossi della vana aspettazione degli Ebrei c. 3. § 12. et Raym. Martini in Pugione fidei ed. Carpzovii p. 376 ss.; Schöttgenius hor. hebr. t. 2. p. 217. et 224 ss.

[2]) Cf. Gem. babylon. tract. Joma 21. b.; Mosis Maimonidis constit. de domo electa c. 4. cum nota 5. Ugolini in thesauro t. 8. pag. 806; Schulchan Aruch su radice כבד. Sed quidquid est, utrum revera defuerint omnes hae praerogativae secundo templo, certe defuit arca cum propitiatorio, ideoque inferioris fuit dignitatis quam templum primum.

[3]) Cf. Ugolini thes. antiq. t. 3. p. 168.

[4]) Cf. Dan. cc. 2. 7; Is. 9, 5, ubi Messias dicitur *princeps pacis;* Zach. 9, 9; Mich. 5, 1 ss. Cf. infra n. 78.

[5]) Quod si orbis commotio hic praedicta non praecedere, sed comitari debet Messiae adventum, ea pariter praeclare adimpleta fuit in Christi adventu. „Movit enim, inquit Augustinus de civit. Dei l. 18. c. 35, coelum angelorum et siderum testimonio, quando incarnatus est Christus. Movit terram ingenti miraculo de ipso virginis partu (et tot aliis, quae hunc sunt consecuta). Movit mare et aridam, cum et in insulis et orbe toto Christus annunciatur. Ita moveri omnes gentes videmus ad fidem.“

venit stante adhuc templo secundo; ipse innumeras gentes absque ullis armis in unam consociavit Ecclesiam atque idcirco pacem contulit; denique praeter ipsum nemo assignari potest, in quem haec aliaque conveniant vaticiniorum adjuncta. Quare Christus Jesus credi debet Messias divinitus praedictus.

77. **Scholion I.** *Judaeorum exceptioni satisfit.* — Sentiunt se premi, inquit Grotius[1]), his argumentis judaei, quae ut eludant, nonnulli ajunt, sua peccata in causa fuisse, quominus promisso tempore adveniret (Messias). Ut omittam in dictis vaticiniis definitum, non aliqua conditione suspensum decretum indicari: quomodo ob peccata differri adventus potuit, cum hoc quoque praedictum esset, ob plurima et maxima populi peccata urbem exscindendam paulo post Messiae tempora? Adde quod Messias venturus erat hac quoque de causa, ut corruptissimo seculo medicinam faceret . . . Plane autem a ratione abhorret dicere, ob morbum aliquem dilatum id, quod praecise ei morbo erat destinatum.«

78. **Scholion II.** *Exceptio contra vaticinia messiana.* — Adversus demonstrationem pro divina Christi missione ex vaticiniis derivatam illud excipi posset, plurima vaticinia messiana in Christo et per Christum non fuisse impleta, ipsum igitur haberi non posse pro Messia divinitus promisso. Huc spectant omnia illa vaticinia, quae gloriosum Messiam, potentissimum principem triumphis et cladibus de hostibus populi Dei clarum portendunt, tantae pacis auctorem, ut omne bellum sit cessaturum atque vel feroces bestiae sint futurae plane mansuetae[2]). Verum **1.** vaticinia intelligi possunt sensu vel proprio et ad literam, vel sensu translato et spirituali. Jam vero ut ea dici possint adimpleta, non requiritur necessario, ut adimpleantur in sensu proprio et ad literam, sufficit ut adimpleta fuerint sensu spirituali[3]), quo in sensu longe sublimiora esse solent. Hoc autem

---

[1]) De verit. relig. l. 5. § 14.

[2]) Speciminis gratia sint ista Is. 11, 6: *Habitabit lupus cum agno, et pardus cum haedo accubabit; vitulus et leo et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos. Vitulus et ursus pascentur; simul requiescent catuli eorum; et leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis; et in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Non nocebunt et non occident in universo monte sancto meo, quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquae maris operientes.* Cf. 2, 4; 65, 25; Ps. 71 etc.

Douay. Basilisk.

[3]) Quamvis ante eventum saepe definiri nequeat, utrum vaticinium accipi debeat ad literam et sensu proprio, an sensu translato: jam in antecessum praejudicio quodam conjici potest, plura vaticinia sensu metaphorico esse intelligenda: **1.** ex indole orientalium, qui imaginibus et metaphoris admodum delectantur; **2.** ex indole ipsius prophetiae, nam prophetae solebant saepe res futuras videre in quadam mentis ecstasi ac sub earum rerum vel personarum imaginibus seu symbolis, quae ipsis aliunde jam erant nota; **3.** ex accommodatione quadam ad lectores, qui res spirituales facilius sub visibilium rerum cortice apprehendunt.

sensu **2.** plura ex vaticiniis, quae objiciuntur, luculentissime sunt adimpleta in Christo Jesu. Et sane Christus Jesus gloriosus fuit belli dux eoque gloriosior, quod **a.** sibi non solum subjecerit hominum quondam Deo inimicorum corpora, sed et intellectum per fidem, voluntatem per sincerissimam, fortem, heroicam obedientiam, cor per amorem ad omne sacrificium paratum; quod **b.** sibi eos subjecerit non spargendo eorum sanguinem sed proprium; non inferendo damnum sed elargiendo gratiam; quod **c.** sibi subjectos non fecerit mancipia et servos, sed amicos, Dei filios et regni coelorum heredes; quod **d.** condiderit regnum non politicum, sed spirituale ex tot gentibus genio, moribus, studiis, cultu ab invicem diversis, invictum tamen jam per tot secula adversus omnes hostium impetus, ut infra videbimus. Simili ratione Christus pacis quoque princeps auctorque habendus est. Confert enim homini pacem cum Deo per remissionem peccatorum; hinc etiam secum ipso, pacem, quae superat omnem sensum et quam mundus dare non potest; confert pacem hominibus inter se, redigendo eos in unum ovile sub uno pastore atque faciendo omnes fratres inter se. Quod si adhuc sunt bella inter gentes, eatenus haec oriuntur, quatenus homines se subtrahunt influxui Christi. Quae vero de pace dicta sunt cum ipsis feris, luculenter adimpleta sunt sensu spirituali[1]): cum inermes missionarii gentes barbaras, feroces, anthropophagas jugo Christi subjecerint, et quandoque, ut legimus in vitis patrum, sensu etiam proprio adimpleta narrantur. Ceterum **3.** plura vaticinia totam complectuntur Messiae oeconomiam: quare non solum ad primum ejus adventum referuntur, sed etiam ad secundum extenduntur; qua de causa mirum esse non debet, eorum adimpletionem esse tantum inchoatam, imperfectam, cum eorum consummatio ad finem praesentis oeconomiae atque ad alteram vitam spectet[2]). Tunc plenissima erit justorum pax, plane consummata Christi de omnibus victoria. Quod si **4.** aliqua nondum sunt impleta, certissime adimplebuntur: quae enim jam

---

Revera autem **4.** vaticinia messiana accipienda esse sensu spirituali praeter rationem in textu allatam et illud probat, quod alioquin ad harmoniam revocari nequeant, quod unum praedicatum ad literam intellectum saepe alterum excludat. Cf. Reinke Beiträge zur Erklärung des A. T. t. 2. introd. gener. § 11.

[1]) Hieronymus in Is. 11, 6 ss. inter alia praeclara scribit: „Leo quoque prius ferocissimus et ovis et vitulus pariter morabuntur. Quod quotidie cernimus in Ecclesia, divites et pauperes, potentes et humiles, reges atque privatos pariter commorari, et a pueris parvulis, quos apostolos intelligimus et apostolicos viros, imperitos sermone, sed non scientia, regi in Ecclesia. Qui cum inter se disciplina Domini fuerint foederati, ita ut eorum quoque familiae conjungantur, tunc complebitur: *Simul requiescent catuli eorum.*"

[2]) Cf. Zingerle Zeitschr. für kathol. Theol., Oeniponte 1880. IV. 651 ss.

sunt adimpleta, totidem sunt pignora pro aliorum eventu. Neque **5.** illud praetermitti debet, quaedam vaticinia spectare ad solos judaeos et esse conditionata. Cum ergo judaei Messiam non solum non receperint, sed et reprobarint, mirum esse non debet, qnod conditione non posita fructu caruerint.

Articulus II.

De testimonio ipsius Christi pro divina sua missione.

79. De testimonio ipsi Christo inhaerente vel eum comitante vere affirmare licet, illud esse multiplex: cujus singula elementa, e quibus coalescit, divinam Christi missionem probant, omnia vero simul sumpta rem plane conficiunt. Jesus enim se Dei legatum testatus est verbis et sanguine, vita doctrinaque omnino coelesti, miraculis et vaticiniis, denique ipso quod complevit opere[1]: quibus veluti totidem radiis comprobavit se illam esse lucem, *quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*[2]), se revera datum esse in foedus populi et in lucem gentium[3]), in se impletum esse illud[4]): *Visitavit nos Oriens ex alto illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent.*

80. *Testimonium Christi de se.* — Ut breviter tantum testimonium illud attingamus, quod Christi verbis continetur, advertatur **1.** ipsum saepissime solemniter disertisque verbis se Dei legatum affirmasse[5]), eaque sibi adscripsisse, quae vix ullus hominum licet superbus, licet maxime fanaticus sibi tribuere unquam est ausus, scil. aequalitatem cum Deo, Patris comprehensionem, summam in universum potestatem, se esse viam, veritatem et vitam, aliasque praerogativas plane supermundanas et divinas[6]). Id vero **2.** testatus est confidenter coram omnis generis personis, coram amicis et inimicis, coram supremis magistratibus tam sacris quam politicis[7]); adeo **3.** ut pro eo confirmando sanguinem suum profunderet[8]). Ejusmodi autem testimonium **4.** ille

---

[1]) Cf. de hoc testimonio Heinrich dogmatische Theologie t. 1. § 49.

[2]) Joan. 1, 9. [3]) Is. 42, 6. [4]) Luc. 1, 78.

[5]) Matth. 11, 13 ss.; Jo. 6, 29. 38 ss. etc.

[6]) *Pater meus operatur usque modo, et ego operor: . . . Quaecunque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit . . . Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic dedit et Filio habere vitam in semetipso* Joan. 5, 17 ss.; *Antequam Abraham fieret ego sum* 8, 58; *Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est . . . Ego et Pater unum sumus* 10, 29 s.; *Ego sum via et veritas et vita* 14, 6; *Omnia, quaecunque habet Pater, mea sunt* 16, 15; *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* Matth. 11, 27; 21, 18 s. etc.

[7]) Cf. Jo. 19, 7; 18, 36; Matth. 26, 64. [8]) Jo. 19, 7; Matth. 26, 65.

edidit, qui ex tota vita alienus quam maxime apparet ab omni fastu, humilis [1]), gloriae Dei studiosissimus, tam purus et sanctus, ut confidenter adversarios suos non solum aequales, sed et omnium temporum, provocare potuerit [2]): *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Edidit vero **5.** illud summa animi tranquillitate et fiducia, licet omni potentia destitutus, pauper, spretus, ab omnibus relictus, morte jam damnandus fuerit.

81. Jam vero hoc testimonium vel verum est vel falsum. Si verum, jure ergo fideles Jesum Christum cum Petro Filium Dei profitentur atque adorant [3]), atque hac fide vitam se adepturos sperant aeternam [4]). Si autem est falsum, illud Christus vel deceptor et sciens protulit, vel deceptus et nesciens quid diceret: quod alterum certe nemo affirmabit; sequeretur enim Christum fuisse plane bardum et insipientem, et tamen docuisse religionem vere sublimem et coelestem (n. 97), docuisse sicut qui potestatem habet [5]), sicut nunquam locutus est homo [6]), confudisse pharisaeos, adeo ut non auderent ei respondere verbum [7]): quae cum tanta insipientia nequeunt conciliari. Quod si deceptorem egit et sciens falsum protulit testimonium, merito a synagoga captus, damnatus, in crucem fuit actus: quod vel cogitare impium est; immerito quoque rationalistae et increduli, quamvis Christum Deum Deique legatum esse negent, concedunt, eum fuisse virum saltem probum, sanctum, divinitus in humani generis utilitatem excitum, fuisse judaeis, quod Socrates vel Plato fuerit graecis etc., cum nullus vir probus, cum Socrates vel Plato nunquam tale quid de se affirmare sit ausus. Quare cum **a.** aliqua revelatio sit necessaria (n. 13 ss.), neque probabile sit Deum deseruisse humanum genus; cum **b.** a veritate hujus testimonii pendeat vita praesens et futura; cum **c.** nemo sanae probaeque mentis possit vel velit admittere sequelas, quas recensuimus; cum **d.** omnia adjuncta clament, testimonium illud non esse fructum sive fraudis sive fastus sive ignorantiae sive furoris fanatici; cumque **e.** prolatum sit ab eo, qui secundum omnes sanae rationis leges ob eximiam miramque plane vitae sanctitatem (n. 94 ss.) summam meretur reverentiam; merito affirmamus, illud Jesu Christi

---

[1]) Tertullianus de Christi patientia praeclare disserens in l. de patientia c. 3. (opusc. t. IV) haec inter alia scribit: „Despuitur, verberatur, foedis vestitur, foedioribus coronatur. Mira aequanimitatis fides. Qui in hominis figura proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est. Hinc vel maxime, pharisaei, Dominum agnoscere debuistis: patientiam hujusmodi nemo hominum perpetraret.“ Cf. infra th. XV. [2]) Jo. 8, 46.

[3]) Mitth. 16, 16. [4]) Jo. 20, 31. [5]) Matth. 7, 29.

[6]) Jo. 7, 46. [7]) Matth. 22, 46.

testimonium tanti esse momenti, ut attentione dignum sit, quo jure merito commoveatur quilibet veritatis salutisque propriae amator, quodque si nondum ipsi possit extorquere fidem ob hujus actus momentum et difficultatem, eum saltem efficaciter impellere debeat ad diligentiorem veritatis inquisitionem [1]).

82. Testimonium suum Christus confirmavit sanguine, ut jam diximus; confirmavit coelesti plane vita (cf. th. XV), confirmavit miraculis, de quibus statuimus:

Thesis XII. ***Quod vero Jesus verbis de se est professus, operibus, quae nemo alius fecit (Joan. 15, 24), seu miraculis omnis generis comprobavit: adeo ut coelum et terra in ejus testimonii confirmationem conspirasse dici possint.***

Declaratio. Ut argumentum ex Christi miraculis petitum valeat[2]), constare debet de eorum veritate historica, philosophica et relativa, seu constare debet facta illa mira **1.** revera contigisse, **2.** vera esse miracula, **3.** patrata fuisse in confirmationem missionis Christi divinae atque doctrinae illius, quam ipse Dei nomine promulgavit.

---

[1]) Cf. de hoc argumento egregie disserentem Hettinger disp. 17; Storchenau Zugaben zu der Philos. der Religion t. 2. (9) diss. 1; Heinrich Christus, ein Nachweis s. geschichtl. Existenz etc., Mainz 1864.

[2]) Contra hujus argumenti vim Tertulliani verba opponi possent (l. 3. adv. Marc. c. 3): „At ego negabo, solam hanc illi speciem (per documenta virtutum seu miraculorum) ad testimonium competisse, quam et ipse postmodum exauctoravit. Siquidem edicens (Matth. 24, 24) multos venturos et signa facturos et virtutes magnas edituros, eversionem etiam electorum, nec ideo tamen admittendos, temerariam signorum et virtutem fidem ostendit, ut etiam apud pseudochristos facillimarum. Aut quale est, si inde se voluit probari et intelligi et recipi (ex virtutibus dico), unde ceteros noluit, aeque et ipsos tam subito venturos, quam a nullo auctore praedicatos?“ Sed **1.** ratio, quam Tertullianus affert ad vim argumento ex miraculis Christi petito elevandam, post ea quae diximus supra (annot. ad n. 34), non satis est idonea. Ad haec **2.** falsum est, Christum exauctorasse argumentum ex miraculis veris petitum, quo tam saepe ad suam comprobandam missionem est usus. Quare **3.** haec explicari debent secundum hypothesim, quam ibi expendit, et ad hominem. Marcion enim supponebat Jesum esse Christum seu legatum Dei boni ad ea usque tempora incogniti, non vero Dei illius, qui ex sua hypothesi auctor erat V. Testamenti: hinc ejus adventum in V. T. non esse praedictum, sed Jesum suam missionem comprobasse *tantum* miraculis. Jam vero in hac hypothesi, in qua Jesus alius erat a Messia V. T., qui secundum prophetarum vaticinia etiam miraculis fulgere debebat, imo huic plane oppositus, sola mira Christi opera tam parum probare censet Tertullianus, quam antichristi prodigia. Satis clare vero **4.** mox significat, virtutum documenta, quae Christus praebuit, ejus missionem divinam probare, quod harmonice respondeant iis, quae de Messia praedicta leguntur in V. T.

83. **Demonstratio p. I.** De miraculorum Christi veritate historica constat **1.** ex iis omnibus, quibus evangeliorum authentiam in thesi VII. vindicavimus; constat **2.** ex tacita, imo expressa judaeorum confessione. Nunquam enim mira opera, quae Christus saepe coram ingenti hominum multitudine patravit, negare sunt ausi, licet illa sedulo diligenterque examini subjecerint [1]); imo *dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit* [2]), eaque Beelzebub adscribebant [3]); quocirca Tertullianus judaeos urget[4]), haec „operatum Christum nec vos diffitemini, utpote qui dicebatis, quod propter opera eum non lapidaretis, sed quoniam ista sabbatis faciebat[5]).“ Constat **3.** ex celeberrimo testimonio Jos. Flavii [6]): „Fuit autem hoc tempore Jesus vir sapiens, si tamen virum illum oportet dicere. Erat enim mirabilium operum effector, magister hominum, qui vera libenter amplectuntur. Et plurimos quidem ex judaeis, plurimos ex gentibus ad se pertraxit. Hic erat Christus. Cumque eum a primoribus gentis suae accusatum Pilatus ad crucem damnasset, ab eo diligendo non abstinuerunt qui primum coeperant, nam post tertium diem redivivus ipsis apparuit, cum divini vates haec aliaque quam plurima admiranda de eo praedixissent“ etc.

De hoc testimonio innumeri scripserunt: quorum plures ut Pagi, Huetius, Nat. Alexander, Valesius, Caveus et recentiori aetate Bretschneider, Langen, Danko, Hettinger etc. ejus genuinitatem pro viribus erudite et docte tuentur. Argumenta pro genuinitate Huetius demonstr. evang. prop. 3. § 11. paucis ita proponit: „Cur ita sentiam, facit **a.** constans et perpetuus codicum omnium Josephi . . . in eo retinendo consensus; facit **b.** et Eusebii auctoritas, qui illud et in libris demonstrationis evangelicae (4.) et in ecclesiastica historia (l. 1. c. 11) tamquam legitimum et genuinum repraesentavit. Expressit id quoque latine Hieronymus in l. de scriptoribus ecclesiasticis in Josepho (c. 13); retulit idipsum in epistolas suas Isidorus Pelusiota (l. 4. ep. 125); in historiis vero suis conservarunt Hermias Sozomenus (l. 1. c. 1), Georgius Cedrenus (hist. compend. p. 169) et Nicephorus Callistus (l. 1. c. 39) et in Lexico suo Suidas (Ἰωσήφ) et in historia sua Theodorus Metochita et in excidio urbis hierosolymitanae Hegesippus (qui l. etiam Ambrosio adscribi solebat l. 2. c. 12) . . . Suadet **c.** idem et ratio: nec enim probabile est, Josephum scriptorem non indiligentem, cum res judaeorum persequeretur, de eo viro tacuisse, qui maximos in ea gente ac per universum fere orbem excitavit motus . . . Consentit ad haec **d.** orationis filum et dictionis color, talis nimirum qualis hellenistarum esse solet. Locutiones etiam quasdam observare licet Josepho

---

[1]) Joan. 9, 13 ss. [2]) Ib. 11, 47. [3]) Matth. 9, 34; 12, 24.

[4]) Adv. jud. c. 9. [5]) Jo. 5, 16.

[6]) Antiquit. l. 18. c. 3. n. 3. Cf. Tüb. Qtlschr. 1823 p. 654—76; Katholik 1864. I. pag. 152 ss.; Danko, Historia revel. divinae N. T. p. 308—14.

familiares,« quod ultimum pluribus evincere nititur Carolus Daubus pro testimonio Flavii Josephi de J. Christo l. c., Londini 1706. Quibus non obstantibus hoc testimonium aliis (sed nonnisi a sec. XVI) visum est vel interpolatum, vel etiam suppositum, ita Huberto Gifanio (Giffen † 1604., qui forte omnium primus illud in dubium vocavit), Lucae Osiander, Tanaq. Fabro, Blondello, utrique Cappello Jacobo et Ludovico, Salmasio, Gronovio, et recentiori aetate Gerlach, Reuss, Höhne, Schürer, qui nituntur rationibus minus efficacibus et fere tantum negativis. Provocant scil. ad aliorum de hoc testimonio silentium, qui illo certe essent usi, siquidem illud novissent vel si illud jam eorum tempore exstitisset, scil. ad silentium Tertulliani, Origenis, Justini, Theodoreti et Photii. Verum hoc nihil probat contra tot alios doctos testes, qui illud legerunt atque eo sunt usi. Et si, ut alterius sententiae patroni supponunt, potuerunt omnes codices hac interpolatione ita corrumpi, ut nullus supersit, qui hoc testimonio careat: quare non potuit in paucis illis codicibus eradi vel omitti, quibus forte Origenes, Photius etc. sunt usi? 'Nec obest, quod haec verba nimis faveant christianis, cum evidentia veritatis quandoque ab adversariis vel invitis extorqueat aliquod pro ipsa testimonium. Quae ex stili diversitate et contextus serie petuntur, sunt sat vaga et arbitraria adeo, ut ad illa utriusque sententiae patroni provocent.

Constat de miraculorum Christi veritate **4.** ex confessione etiam posteriorum judaeorum, qui passim in Talmude mira Christi opera magicis adscribunt artibus, quas in Aegypto eum didicisse fabulantur. Constat **5.** ex gentilium confessione. Ita Origenes de Celso scribit[1]: „Assensum quodammodo praebet miraculis, quae Jesus fecit et quibus multos adduxit, ut ipsum tamquam Christum sequerentur. At miracula illa non virtute divina, sed magicis artibus facta fuisse calumniatur.“ Constat **6.** vel ex incredulorum impotentia evincendae illorum factorum falsitatis. Licet enim quam plurimi defecerint a religione christiana, ne unus quidem ideo ei renunciavit, quod compererit factorum Christi falsitatem: nemo unquam illam aperuit gentibus.

84. **Demonstratio p. II.** Constat quoque de veritate philosophica miraculorum Christi seu constat mira illa opera, quae patravit Christus, vere fuisse miracula. Sane **1.** id vel exinde colligitur, quod ad nostra usque tempora non obstante tanto disciplinarum naturalium profectu nulla unquam reperta fuerit causa vel lex naturalis, secundum quam vel minima illorum operum pars naturaliter possit explicari; facta enim Christi non minus nunc,quam olim praeter et supra omnes naturae leges esse conspiciuntur. Et tamen, ut bene advertit Per-

---

[1]) L. 1. adv. Celsum n. 38. Cf. etiam n. 28; l. 2. n. 9, 48. ubi haec habet: »Jam saepe Celsus, quia inficiari non poterat miracula, quae Jesus fecisse scribitur, illa praestigiis tribuenda esse calumniatus est; et nos contra saepe pro viribus pugnavimus.«

rone[1]), prodigiorum multitudo, commodam occasionem veritatis explorandae suppeditat, ac omne deceptionis periculum toties repetitis actibus eliminat; unum enim, in quo praestigiatoris opera deprehenderetur, reliqua suspecta redderet. Hinc etiam factum, ut increduli nunquam ausi sint opera Christi naturaliter explicare, sed vel evangelicae relationis veritatem sinceritatemque in dubium vocent vel verbis vim inferant atque in absurdum interpretentur sensum[2]). Verum **2.** demus facta illa mira effectus tantum naturales esse, semper tamen prodigio simile videri debet illud, quod filius fabri lignarii (ex incredulorum hypothesi), qui nunquam didicit literas (Joan. 7, 15), scientiam assecutus sit legum occultissimarum adeo accuratam, qualem nemo ante ipsum, nemo post ipsum, nisi forte illi, qui ipsi nomen dederint[3]). Ceterum **3.** sufficit vel inspicere modum, quo illa peregit, ut liquido appareat, eum egisse tamquam naturae Dominum, proinde ejus opera non fuisse humana, sed superhumana, supernaturalia, divina[4]).

---

[1]) Praelect. theol. t. 1. p. 1. c. 4. n. 246.

[2]) Cf. Storchenau 8, 141. 153. 158. 166 s., 175—78. Specimina interpretationis prorsus arbitrariae et violentae passim occurrunt in operibus rationalistarum seu incredulorum. Cf. ex. gr. Bunsen Vollständiges Bibelwerk für die Gemeinde p. 3. Lipsiae 1865. p. 14 ss.; 276, 259 ss.; 415 ss.; Renan les Apôtres, Paris 1866. pag. 11 ss.; 62 s.; 175. 291 etc.

[3]) Secundum illa Christi verba: *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quae ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet* (Joan. 14, 11). Qua occasione advertit Arnobius l. 1. adv. gentes c. 50: „Quid? quod istas virtutes, quae sunt a nobis summatim, non ut rei poscebat magnitudo, depromptae, non tantum ipse perfecit vi sua, verum quod erat sublimius, multos alios experiri et facere sui nominis cum affectione permisit? Nam cum videret futuros vos esse gestarum a se rerum divinique operis abrogatores, ne qua subesset suspicio magicis se artibus munera illa beneficiaque largitum, ex immensa illa populi multitudine, quae suam gratiam sectabatur admirans, piscatores, opifices, rusticanos atque id genus delegit imperitorum, qui per varias gentes missi cuncta illa miracula sine ullis fucis atque adminiculis perpetrarent.“ L. 2. c. 16 ss. Cf. Eusebius, qui demonst. evang. l. 3. c. 4 ss. egregie de hoc argumento disputat, et inter alia c. 6. advertit: „Nullus adhuc in tam multis annis discipulus Jesu praestigiator apparuit, tametsi diversis temporibus et reges et praesides per tormenta quidquid ad nos pertinet diligentissime exquisiverint: ita porro nullus praestigiator fuit, ut liber dimitteretur atque extra omne periculum constitueretur, qui modo ab ipsis coactus esset ipsorum ritu sacrificare. Quod si nullus unquam nostrorum tam illorum, quos ipsi videre potuimus, quam illorum, qui quondam ipsius Jesu discipuli fuerunt, veneficii aut praestigiarum damnatus est: ergo nec praeceptor quidem talis fuit.“ Cf. insignem disputationem Petri ven. tr. adv. Judaeos c. 4. Mig. 189, 594 ss.

[4]) Quapropter Arnobius merito ita alloquitur gentiles l. 1. c. 45: „Quid dicitis, o iterum! Ergo ille mortalis aut unus fuit e nobis, cujus imperium, cuius

85. Advertatur **4.** vera miracula **a.** efficax esse testimonium veritatis; **b.** Deum indolem hominum nosse, qui miraculis maxime ad fidem inducuntur; ideoque **c.** Deum permittere non posse, ut quis in alicujus doctrinae falsae confirmationem talia patret opera, quae tantam habeant cum miraculis similitudinem, ut nullus hominum par sit ad ea a miraculis discernenda. Quare **d.** si opera Christi non sunt miracula, deberet hominibus suppeditare via, qua id possint agnoscere. Ea enim Christus patravit in confirmationem suae doctrinae eaque omnes miraculi characteres ita referunt, ut merito quaerere liceat, cujusmodi esse debeat aliquis effectus, ut miraculosus sit judicandus, si illa non sunt miracula. Ad rem proinde advertit Grotius[1]): „Fuerunt semper inter cultores Christi plurimi judicio praediti et literarum non rudes . . . qui tales cum essent, cur homini ignominiosa morte affecto se cultores addixerint, praesertim cum prope omnes in aliis religionibus educati essent, nec in christiana quidquam esset aut honoris aut commodi, nulla potest causa reddi praeter hanc unam, quod diligenti inquisitione, qualis viros prudentes in maximi momenti negotio decet, comperissent, veram et firmis testibus subnixam fuisse famam, quae de miraculis ab eo editis percrebuerat.«

---

vocem popularibus et quotidianis verbis missam (seu emissam) invaletudines, morbi, febres atque alia corporum cruciamenta fugiebant? Unus fuit e nobis, cujus praesentiam, cujus visum gens illa nequibat ferre mersorum in visceribus daemonum, conterritaque vi nova membrorum possessione cedebat? Unus fuit e nobis, cujus foedae vitiligines jussioni obtemperabant pulsae statim et concordiam colorum commaculatis visceribus relinquebant? . . . Unus fuit e nobis, qui claudos currere praecipiebat? . . . Unus, inquam, fuit e nobis, qui debilitatibus variis morbisque vexatos centum aut hoc amplius semel una intercessione sanabat? cujus vocem ad simplicem furibunda et insana explicabant se maria? procellarum turbines tempestatesque sidebant? qui per altissimos gurgites pedem ferebat inlutum? calcabat ponti terga undis ipsis stupentibus in famulatum subeunte natura? qui sequentium se millia quinque, quinque saturavit e panibus, ac, ne esse praestigiae incredulis illis viderentur et duris, bis senarum sportarum sinus reliquiarum fragminibus aggerebat? Unus fuit e nobis, qui redire in corpora jamdudum animas praecipiebat efflatas, prodire ab aggeribus conditos, et post diem funeris tertium pollinctorum voluminibus expediri? Unus fuit e nobis, qui quid singuli volverent, quid sub obscuris cogitationibus continerent, tacitorum in cordibus pervidebat? etc.«

[2]) L. c. l. 2. § 4. Idem jam animadverterat Arnobius l. 1. c. 54, ubi affirmat miraculorum Christi testes esse „gentes, populos, nationes et incredulum (si scil. agitur de objectis, quae cupiditatibus adversantur) illud genus humanum, quod nisi aperta res esset et luce ipsa, quemadmodum dicitur, clarior, nunquam rebus hujusmodi credulitatis suae praeberet assensum. At numquid dicemus, illius temporis homines usque adeo fuisse vanos, mendaces, stolidos, brutos, ut, quae nunquam viderant, vidisse se fingerent? et, quae facta omnino non erant, falsis proderent testimoniis aut puerili assertione firmarent? cumque possent vobiscum et unanimiter vivere et inoffensas ducere conjunctiones, gratuita susciperent odia et exsecrabiles haberentur in nomine?«

86. **Demonstratio p. III.** Constat denique de relativa miraculorum Christi veritate, Christum scil. eadem patrasse in confirmationem suae missionis suaeque doctrinae; quod manifestum est ex repetitis ejusdem effatis, quibus ad sua opera provocat, ut fidem sibi conciliet. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite,* Joan. 10, 37; *Verba, quae ego loquor vobis, a me ipso non loquor . . . Non creditis, quia ego in Patre et Pater in me est? alioquin propter opera ipsa credite* etc. 14, 10. „Quid enim aliud, inquit Augustinus[1]), agunt tanta et tam multa miracula, ipso etiam dicente illa fieri non ob aliud, nisi ut sibi crederetur? . . . Ergo ille afferens medicinam, quae corruptissimos mores sanatura esset, miraculis conciliavit auctoritatem, auctoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem, multitudine obtinuit vetustatem, vetustate roboravit religionem, quam non solum haereticorum ineptissima novitas fraudibus agens, sed nec gentium quidem veternosus error violenter adversans aliqua ex parte convelleret.“ Unde Christus testatur: *Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent* (Jos. 15, 24).

87. *Exceptioni satisfit.* — Quod si Christus videtur non tanti subinde facere miracula, recusare probationem per miracula, vel illorum prohibere potius quam optare promulgationem: advertimus **1.** Christum non solum esse doctorem veritatis, sed et virtutis exemplar et magistrum, quam malebat exemplo quam verbis inculcare; quare, ut humilitatem doceret, noluisse, ut semper opera sua mira palam manifestarentur, praesertim cum ii, quos sanasset, jam crederent, et aliis satis esset consultum per alia prodigia. Noluisse **2.** pascere quorundam curiositatem, qui cuperent signa tantum videre[2]). Noluisse **3.** ut alia, quae suppeditabat, credibilitatis motiva negligerentur. Tot vero **4.** exhibuisse miracula, ut nova patrare vel patrata divulgare esset superfluum. Damnasse denique **5.** quorundam iucredulitatem, quae nisi omnia manibus velut palpet vel oculis propriis videat, credere recusat[3]).

88. Cum ergo Christus omnis generis patraverit signa in confirmationem suae missionis eaque vere sint miracula, merito propter signorum multitudinem coelum et terra dici possunt in approbanda hac veritate, *quia Jesus est Filius Dei* (Joan. 20, 31), conspirasse. „Inter flumina, inquit Cyrillus hierosolymitanus[1]), testis est Jor-

---

[1]) De util. cred. n. 32. [2]) Matth. 12, 38. [3]) Joan. 20, 29.

[4]) Catech. 10. n. 19. Ita quoque praeclare antiquus auctor serm. de symb. contra judaeos, paganos et arianos (inter op. Aug. t. 8. append.) c. 17: »Credo jam vos, o inimici judaei, tantis testibus ita obrutos confutatosque, ut nihil ultra quaerere debeatis: qui ipsi Veritati nimia insipientia vel potius amentia, cum omnia nossetis, quae de Christo essent dicta atque conscripta, inverecunda fronte dicebatis: *Tu de te ipso testimonium dicis, testimonium tuum non est verum* (Joan.

danis, inter maria Tiberiadis mare. Testantur coeci, testantur claudi, testantur mortui ad vitam revocati. Testimonium ferunt daemones ajentes: *Quid nobis et tibi Jesu? Novimus te quis sis, Sanctus Dei* (Marci 1, 24). Testificantur venti ejus imperio pressi et refrenati; testantur quinque panes in quinque virorum millia multiplicati etc.«

89. **Scholion.** *Exceptio ex spiritismi phaenomenis.* — Neque ad vim hujus argumenti infringendam provocetur ad miros magnetismi et spiritismi effectus; quamvis enim horum veritas historica generatim in dubium vocari nequeat, tantum tamen inter illos et Christi opera est discrimen, ut eo potius augeatur vis argumenti. Distant enim **a.** varietate et magnitudine; cum Christus ea egerit, quae erant praeter, supra, contra naturam, omnis generis inque omni ordine miracula: spiritismi vero phaenomena revocentur ad pauca, quae non imperio in leges naturae, sed applicatione earum occulta fiunt. Differunt **b.** facilitate, dixit enim Christus et facta sunt, solo nutu, solo verbo vel absens maxima patravit miracula [1]); **c.** certitudine, semper enim ejus praecepto respondit effectus;

8, 13). Verumtamen ut divinae majestatis veritas lucescat, supra tot testium (prophetarum) praeclaras voces suo Creatori universa creatura testimonium se dixisse proclamet. Nonne coelum testimonium dixit, quando novum sidus in nova hominis progenie velut lingua et digito, quo potuit, natum Deum hominem gentibus demonstravit? Nonne mare testimonium dixit, quando oblitus quodam modo naturae suae liquidus humor soliditate suscepta sui Domini portavit impressa vestigia, ut impleretur illud quod dictum est: *In mari est via tua et semitae tuae in aquis multis* (Ps. 76, 20)? Quod elementum servum Christi supra se ambulare cupientem, ut demonstraret quantum interesset inter creaturam et Creatorem, labili unda Petrum absorbuisset, nisi Dominus rerum mergenti Petro manum porrexisset. Nonne terra testimonium dixit, quando ejus conspersa saliva ex ea coeci nati oculos inungens, lumen non videnti restituit, et fabrica quod minus habuit ex limo terrae artifex reparavit, qui totum hominem de terra ante formavit? Nonne inferna Christo testimonium perhibuerunt, quando jure suo perdito Lazarum, quem dissolvendum acceperant, integrum per quatriduum reservarunt, ut incolumem redderent, cum vocem Domini sui jubentis audirent? Quid in ipsa ejus passione? nonne contra vestram impudentiam ferocemque amentiam ipsam quodam modo publicam lucem testem citabo? Sicut putabatis, homo tum interficiebatur Christus: quod et si tantum esset, vobis parcere debuistis, ut manus vestras alienas redderetis a sanguine innocentis. Quae coecitas infusa est cordibus vestris, ut nec illa vos tanta deterreret medio die solis obscuritas, et inter ejus radios claros amputata lux? Nox recondita in diem, imo nox usurpavit diem, nec cursum sui ordinis natura servavit: sed obtenebratur coelum, luget terra, velum templi conscinditur, petrae scinduntur, inferna reserantur, omnis paene creatura expavescit mortem Christi. Nec tamen in his tantis aperti sunt oculi cordis vestri? O judaei, daemones, qui corda vestra possederunt, dixerunt: *Scimus qui sis, quia venisti ante tempus perdere nos* (Marc. 1, 24); et vos: *Tu de te ipso testimonium dicis, testimonium tuum non est verum.*« Cf. etiam Petri Damiani serm. 1. de Epiph.

[1]) Repetere hic possumus, quae respondet Arnobius gentibus tribuentibus miracula Christi magicis artibus (l. 1. c. 43): »Potestis aliquem nobis designare,

in magnetismo vero et spiritismo spes saepe frustratur, intentioni non semper respondet eventus; **d.** stabilitate, nam miri magnetismi effectus cessante magnetizantis influxu mox cessant: qui vero a Christo sanati sunt, diu fruebantur sanitate; differunt **e.** fructu, Christi enim miracula in corporis animique cedebant salutem: magnetismi atque spiritismi phaenomena curiositatem pascunt [1]), nullamque solidam corpori vel animae praebent utilitatem, imo saepe afferunt damnum; differunt **f.** adjunctis, quae in Christi operibus gravitatem spirabant, animi modestiam atque decentiam, qua certe haud raro spiritismi atque magnetismi carent phaenomena. Differunt **g.** fine, qui in Christi operibus Dei gloria animarumque fuit salus, de quibus haud multum solliciti sunt illorum phaenomenorum auctores. Differunt **h.** ex subjecto operante, quod in phaenomenis spiritismi fere viri vel feminae sunt nullius vel dubiae famae, qualis autem fuerit Christus mox dicemus n. 94 ss. Denique **i.** Christus opera sua palam atque aperte fatebatur esse miracula et opera Dei; illorum mirabilium auctores ea non audent pro operibus ipsius Dei jactare, sed si quem prae se ferunt candorem, ea adscribunt causis naturalibus, magnetismo etc., vel fatentur se eorum nondum nosse causas, ea esse phaenomena mira quidem, sed naturalia [2]). »Itaque, concludere possumus cum Zachaeo christiano [3]), si echo loquenti, aut fontibus spuma, vel vero lumini umbra coaequanda est; non indigna comparatione junguntur opera hominum virtutibus Dei, cum hic haec tantum remediorum mora sit [4]), ut prodesse jubeantur: illic praestita per laborem prius paene quam sentiantur evanescant.«

---

monstrare ex omnibus illis magis, qui unquam fuere per secula, consimile aliquid Christo *millesima ex parte* qui fecerit? qui sine ulla vi carminum, sine herbarum et graminum succis, sine ulla aliqua observatione sollicita sacrorum, libaminum, temporum?« Cf. capita seq., ubi praeclare de Christi operibus disserit.

[1]) Hoc criterium ad discernenda vera miracula a praestigiis urget maxime Origenes c. Celsum l. 1. n. 68; l. 2. n. 51—53; l. 3. n. 27 s.; 33, et pseudo-Clemens hom. 2. n. 33 s., ubi Petrus inducitur ita disserens: »Simon (magus) »mira facit ad stuporem ac deceptionem, non tamen signa salutaria ad conversionem ac salutem. Quocirca vos oportet ex miraculis, quae fiunt, factores attendere, quis cujusnam sit operarius. Si inutilia miracula edit, malitiae est minister; sin vero utilia, boni est praeses. Porro inutilia miracula sunt, quae edidisse Simonem dixistis, quod, inquam, statuas faciat ambulare, quod supra carbones ignitos volutet se, quod draco fiat, in capram transformetur, quodque in aëre volet, ac similia alia, quae cum ad sanandos homines non fiant, ad multos fallendos natura comparata sunt. Miracula vero misericordis veritatis humanitate plena sunt, qualia Dominum fecisse audistis etc.«

[2]) Cf. Wieser Der Spiritismus und das Christenth. in Zeitschr. für kathol. Theologie 1881. pag. 99 ss. Quod si qui spiritismi fautores suas revelationes pro divinis jactent, ea prae oculis habeantur, quae supra n. 34. annotavimus occasione verborum Christi Matth. 24, 24.

[3]) Consultationum cum Apollonio philos. l. 1. c. 13. (ed. Mig. 20, 1081). Ceterum de hoc argumento cf. Storchenau l. c. 5, 1—161.

[4]) Scil. in operibus Christi nihil aliud requirebatur, ut fierent, quam ejus

90. **Thesis XIII.** ***Splendidum pro divina Christi missione argumentum praebet gloriosa ipsius a mortuis resurrectio.***

Demonstratio. Inter Christi miracula eminere ejusdem a mortuis resurrectionem, nemo est qui dubitet. Cujus veritas historica tantum probanda est, de qua si constet, nemo illam maximum miraculum esse negabit; ea vero cum religionis christianae veritate adeo connexa est, ut Paulus dicere potuerit: *Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides vestra* (1. Cor. 15, 14).

Porro Christi resurrectio utpote factum testibus est comprobanda. Probatur ergo **1.** testimonio apostolorum. Quod ne cui suspectum videatur, advertimus, illi omnia competere, quae sana, imo rigidissima ratio critica pro alicujus testimonii veracitate exigere possit. Sane **a.** adsunt testes numero plures, undecim, imo plus quam quingenti, qui non referunt factum, quod ante plurimos contigerit annos (mythum), sed quod propriis viderunt oculis (1. Cor. 15, 6); qui **b.** ad tantam confingendam fabulam neque apti propter imperitiam, neque dispositi propter animi candorem, neque capaces erant propter vitae sanctitatem, quae in eorum scriptis et gestis ubique se prodit; nedum **c.** pares ad eam tanta confidentia atque constantia ubique divulgandam, cum antea adeo essent pusillanimes, ut capto Christo dilapsi sint, eoque mortuo se occultaverint: quae sola animorum mutatio facti veritatem probat; neque etiam **d.** ulla spes lucri affulgebat, sed summum libertatis vitaeque imminebat periculum, et **e.** summa erat tam impiam fraudem detegendi facililitas [1]), cum Christi resurrectionem non praedicaverint in remotissimo aliquo terrae angulo, sed ibi ubi erat mortuus videbaturque ejus sepulcrum. Hinc quoque factum est **f.**, ut nullus haereticorum unquam quid simile confingere ausus sit: quod incredibile, si fraus apostolis ex sententia successisset.

Neque excipiatur apostolos bona quidem fide sed deceptos praedicasse Christi resurrectionem phantasma pro Christo redivivo arbitrantes. Nam **a.** apostoli erant increduli et proni potius ut Christum redivivum haberent pro phantasmate [2]), et nonnisi post varias apparitiones, postquam eum audierunt loqui, viderunt manducare, tetigerunt, abjecta hac opinione

---

nutus et praeceptum; in hisce vero praestigiis saepe multiplex requiritur apparatus ac praeparatio, et mox iterum miri effectus evanescunt.

[1]) Egregie hoc argumentum evolvit Chrysostomus hom. 4. in 1. Cor. n. 4. s.; h. 5. n. 3. ss., ubi invicte omnes hypotheses excludit; quod scil. apostoli Christi resurrectionem finxerint vel praedicaverint aut ex stultitia, aut ex astutia, aut ex amore erga suum magistrum, aut ex vana gloria etc. Cf. etiam hom. 89. in Matth. n. 1; hom. 90. n. 1; de mutatione nomin. n. 5. s.

[2]) Luc. 24, 37; Joan. 20, 25.

Christi credunt resurrectionem. Adversatur **b.** multitudo testium et varietas apparitionum: quod omnes et semper fuerint hallucinati temere quidem affirmari potest, probari nunquam. Ceterum **c.** facillime judaei hos visionarios ad silentium redegissent ostenso corpore in sepulcro: neque **d.** apostoli Christi praedicassent resurrectionem utpote incredibilem, sed tantum ejus apparitionem, quae magis fuisset probabilis et credibilis: mortuos enim apparere non adeo exsuperat omnem fidem ac mortuum propria virtute ad vitam redire immortalem.

91. Accedit **2.** silentium disertum synagogae, quae **a.** postquam omnia fecit ad quamlibet impediendam fraudem [1]), nunquam **b.** falsitatem testimonii apostolici apostolorumqne fraudem, si qua essent usi, detegere potuit; nunquam **c.** ausa est milites propter socordiam punire; quare **d.** nil ei reliquum fuit, quam custodes, resurrectionis testes, data pecunia inducere, ut dicerent, se *dormientibus,* apostolos furatos esse corpus Domini [2]); nunquam **e.** ausa est apostolis propter fraudem dicere causam eosque in jus vocare, contenta **f.** silentio ipsis indicto [3]). Evidens argumentum apostolorum testimonium fuisse omni exceptione majus. Facti credibilitatem probat **3.** ingens eorum, etiam ex sacerdotibus [4]), qui in Christum crediderunt, multitudo: neque enim tot hominum millia credidissent factum tam inauditum amplexique essent fidem in ipsum, nisi ejus discipuli auditoribus persuasissent, rem ita esse gestam. Quod profecto persuadere non potuissent hominibus aliquo saltem judicio praeditis eo tempore, quo fides maximis periculis et malis erat obnoxia, nisi de summa testium veracitate atque sinceritate omnis dubitatio prorsus esset exclusa. Et sane si Christus vivus verbis et miraculis paucos vix attraxit ad constantem in se fidem: quanto minus mortuus sibi animos conciliasset, nisi resurrectio ipsius certissima fuisset? Tandem **4.** provocare possumus ad miracula, quae sive apostoli sive discipuli per fidem Christi a mortuis resuscitati patrarunt, quaeque erant adeo publica, ut principes judaeorum et seniores et scribae conferrent ad invicem *dicentes* [5]):

---

[1]) Matth. 27, 62 ss.

[2]) Ib. 28, 13. [3]) Act. 4, 17 s. [4]) Ib. 6, 7.

[5]) Act. 4, 16 s. Cf. Augustinus de civ. Dei XXII, 5., qui de hoc argumento praeclare disserit atque inter alia scribit: »Resurrectio certe Christi et in coelum cum carne, in qua resurrexit, ascensio, toto jam mundo praedicatur et creditur; si credibilis non est, unde toto terrarum orbe jam credita est? Si multi nobiles, sublimes, docti eam se vidisse dixerunt, et quod viderunt diffamare curarunt, eis mundum credidisse non mirum est . . . si autem, ut verum est, paucis, obscuris, minimis, indoctis eam se vidisse dicentibus et scribentibus credidit mundus: cur pauci obstinatissimi, qui remanserunt, ipsi mundo jam credenti adhuc non credunt? Qui propterea numero exiguo ignobilium, infirmorum, imperitorum hominum credidit, quia in tam contemptibilibus testibus multo

Quid faciemus hominibus istis (apostolis)? *quoniam quidem notum signum factum est per eos omnibus habitantibus Jerusalem: manifestum est et non possumus negare. Sed ne amplius divulgetur in populum, comminemur eis, ne ultra loquantur in nomine hoc* (Jesu) *ulli hominum.*

92. *Christus vere est mortuus.* — Nimis vero temerarium foret contendere, Christum in cruce non esse vere mortuum, sed tantum deliquium passum esse, atque adeo naturaliter restauratis viribus rediisse ad vitam. Nam de vera Christi morte certos nos reddit **a.** sollicitudo Pilati, qui miratus quod jam obiisset, accersivit centurionem interrogans eum, *si jam mortuus esset* (Marc. 15, 44); **b.** sollicitudo militum, qui licet illum viderint jam mortuum, lancea tamen latus ejus aperuerunt vulnere inflicto letali [1]); **c.** sollicitudo in primis principum sacerdotum et pharisaeorum, qui ejus resurrectionem timentes sane sedulo illum inspexerunt, utrum revera esset mortuus, ne novissimus error pejor esset priore [2]); **d.** sollicitudo piarum feminarum et virorum, qui eum sepelierunt; **e.** conditio ipsius sepulçri unguentorumque copia [3]), cujus odore vel sanus exstinctus fuisset; **f.** silentium totius antiquitatis atque ipsorum nominis christiani hostium de fatis Christi redivivi, de cujus curatione, quae certo sollicitudine et prolixo tempore indiguisset, deque gestis atque morte finali post reditum ad vitam mortalem rumor saltem aliquis ad posteros esset perlapsus, cum a suis discipulis adeo coleretur, diligeretur, adoraretur. Ad haec **g.** Christi adeo deformati et vulneribus confossi e deliquio reditus par non fuisset replendis apostolis tanta laetitia, alacritate, constantia, qua illos in praedicanda Christi resurrectione praeditos videmus. Commiserationem quidem excitasset, non animum et fiduciam. Denique **h.** quomodo Christus in tanta virium imbecillitate ex deliquio evigilans potuisset lapidem revolvere? quomodo custodes eum non vidissent e sepulcro egredientem? quomodo Christus tanta accuratione praedicere potuisset suam e sopore reditum? Quare adeo temerarium est hoc dubium de vera Christi morte, ut nulli unquam mortalium venerit in mentem, nisi nostrae aetatis incredulis, quibus pro ratione est impietas.

93. **Thesis XIV.** ***Christus divinam suam missionem comprobavit quoque vaticiniis, quibus eventus praeclare respondit.***

Demonstratio. Christum non solum patrasse miracula stupenda sed etiam luculenta edidisse vaticinia [4]), patet ex Evangelio. Praedixit

---

mirabilius divinitas ipsa se persuasit. Eloquia namque persuadentium quae dicebant, mira fuerunt facta, non verba. . . . Homines quippe, quos unius vel ut multum duarum linguarum fuisse noverant, repente linguis omnium gentium loquentes audiebant etc.« Provocat dein ad alia apostolorum miracula, quae in eorum actis narrantur.

[1]) Cf. 19, 33. Cf. medicorum peritorum de vulneris gravitate judicium ac generatim de hoc argumento Wiseman Zusammenhang der Ergebnisse wissenschaftlicher Forschung mit der geoffenbarten Religion diss. 5. § 1. ss. Ceterum egregie de hoc argumento disputat Roh in diss. ‚Was ist Christus?‘

[2]) Matth. 27, 62 ss. [3]) Jo. 19, 39.

[4]) Quare Christus non solum miraculis, sed etiam vaticiniis suam missionem

siquidem accurate passionem mortemque suam [1]), Judae traditionem, discipulorum fugam, Petri negationem, suam resurrectionem [2]), discipulorum suorum persecutiones [3]), Evangelii per orbem propagationem [4]), quae naturaliter ne conjici quidem potuit, perennem Ecclesiae impugnationem, necnon ejus invictam constantiam [5]), urbis templique eversionem et quidem secundum omnia sua adjuncta [6]). Quae adimpleta fuisse historia manifesto docet. Nominatim vero quae contigerunt sub Juliano apostata, qui restauratione templi hierosolymitani Christum comprobare voluit mendacem, veritati vaticinii Christi splendidissimum praebuerunt testimonium. Quamvis enim judaei, gentiles, ministri caesarei omnem adhibuerint conatum, non solum templum non restaurarunt, verum etiam contulerunt, ut magis magisque complerentur verba Christi praedicentis: *Non relinquetur hic lapis super lapidem* (Matth. 24, 2). „Videsne, infert merito Chrysostomus, qui hoc

---

confirmare voluerit, praeclare explicat Chrysostomus in l. quod Christus sit Deus (opusc. XV, 157) n. 11: »Cum advenisset igitur et salutis hominum negotium ageret, tum eorum, qui tunc in vivis, tum etiam eorum, qui post futuri erant, variis illam modis procurabant. Vide, quaeso, quid faciat. Miracula edit et quaedam praedicit longis postea temporibus eventura: ac per ea, quae tunc fiebant, iis, quae diu postea futura erant, auditoribus praesentibus fidem faciens; futuris quoque ex eventu praedictionum credibilia reddens miracula illo tempore edita; atque ex hac duplici demonstratione fidem faciens iis, quae ad regnum pertinebant.» Cf. n. 17; Augustinus de fide rerum etc. n. 5. ss. opusc. VI.

[1]) Luc. 18, 32 ss. [2]) Matth. 20, 19 etc. [3]) Ib. 10, 16 ss.; 24, 9 ss. etc.

[4]) Ib. 24, 14; 26, 13. [5]) Ib. 16, 18.

[6]) Sane Christus praedixit **1.** terminum ante quem Luc. 21, 32, et post quem urbis destructio futura esset Matth. 24, 14. Praedixit **2.** adjuncta et quidem remota: **a.** persecutiones Luc. 21, 11; **b.** bella et seditiones, ib. 9—11; **c.** pseudochristos Matth. 24, 4. s.; **d.** famem, terrae motus, pestilentias aliasque calamitates Luc. 21, 11; **e.** signa terroresque de coelo ib.; **f.** templi pollutionem Matth. 24, 15. Praedixit et adjuncta proxima: **a.** vallo circumdandam esse urbem Jerusalem Luc. 19, 43; **b.** horrendam calamitatem et famen Luc. 21, 23; **c.** ingentem cladem ib. 21, 24. Praedixit **3.** exitum scil. destructionem urbis et templi Luc. 19, 44. et quidem perennem Matth. 23, 38. populique dispersionem Luc. 21, 24: quae omnia adamussim contigisse testis est J. Flavius de bello judaico, ex quo potiora Eusebius in H. E. III, 5 ss. recepit. Cf. Perrone de vera relig. p. 1. c. 4. prop. 1. Insignioribus vaticiniis, quibus probetur divina Christi missio, jure merito accensentur verba Christi de facto Mariae ungentis ipsum Matth. 26, 13: *Amen dico vobis, ubicunque praedicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur et quod haec fecit in memoriam ejus.* Nam quae unquam probabilitas, factum tam minutum adeo fore ubique promulgandum? Merito accensentur et verba Mariae Luc. 1, 48: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes,* quod splendidissime adimpletum omnes cernimus, miramur omnes.

argumentum praeclare evolvit[1]), quomodo, quae ille aedificavit, nemo destruxit, et quae ille destruxit, nemo aedificavit? Aedificavit Ecclesiam et nemo ipsam destruere potuit: destruxit templum et nemo ipsum restaurare valet, idque jam diuturno tempore[2]): quamvis illam destruere tentaverint, non potuere tamen; quamvis hoc denuo excitare conati sint, id frustra moliti sunt. Id vero permissum fuit, ne quis diceret, si id tentatum esset, fieri potuisse: ecce tentaverunt et non potuerunt . . . Nam virtus Christi, quae Ecclesiam aedificavit, eadem et templum destruxit."

93a. *Exceptio ex judaeorum incredulitate.* — Judaeorum incredulitas non obstante tanto vaticiniorum et miraculorum Christi splendore vim probandi hujus argumenti non minuit. Ad rem enim advertit Chrysostomus l. quod Christus sit Deus n. 11: »Nam et hunc mundum in medio proposuit (Deus) instrumentum omni concinnitate elaboratum, vocem undique emittens et creatorem praedicans; et tamen quidam homines sunt, qui vel automata esse dicunt, vel horum creationem atque providentiam hominibus adscribunt; alii vero fortunae, fato, genesi vel stellarum conversionibus . . . Quanta doctrina non imbutus est Judas? et tamen proditor factus est. Quam admonitionem habuit latro? attamen in cruce Christum confessus est et regnum ejus praedicavit . . . Non crediderunt judaei, crediderunt gentiles . . . Alioquin vero si non omnes, nihil sane novum aut mirabile: talis quippe est ingratus animus, talis mens ratione vacua, talis anima malis affectibus occupata.« Et revera, cum fides sit libera, simul vero difficilis tum ratione sui, tum ratione eorum quae praecipit et exigit, sufficit ad explicandam tot hominum incredulitatem innata ipsis ad malum propensio. Quare hac in re plus probat fidelis unus propter fidei difficultatem, quam mille increduli propter incredulitatis quandam facilitatem[3]).

94. **Thesis XV.** ***Omnem porro fraudis suspicionem excludit imago Jesu Christi, quae Evangeliis depicta continetur, ipsaque doctrina plane coelestis a Christo proposita.***

Demonstratio p. I. Si mira Christi opera veri nominis sunt miracula ut ostendimus, nullum est dubium, eum esse Dei legatum. Om-

---

[1]) In l. quod Christus sit Deus n. 15 s. Cf. n. 12; in Matth. hom. 4. Hoc factum autem plane stupendum, quo judaei divina virtute prohibiti sunt a restauratione templi sub Juliano apostata, non solum testantur historici christiani in H. E. Socrates III, 20; Sozomenus V, 22; Theodoretus III, 20; Rufinus I, 37. 38; Ambrosius ep. 40. ad Theodosium; Chrysostomus l. c.; in Ps. 90, hom. 76. in Matth., or. 2. 3. in jud.; Gregorius naz. or. 2. et 4. invectiva in Julian. n. 2. etc., sed etiam scriptor gentilis Ammianus Marcellinus rer. gest. l. XXIII. 1. Cf. Dieringer System der göttl. Thaten. § 37.

[2]) Si haec argumentatio jam tempore s. Joannis Chrysostomi erat efficax, quanto magis post duodeviginti secula?

[3]) Cf. Tertullianum adv. Marcionem l. 3. c. 6. et Hilarium in Ps. 51. n. 10, qui voluntariae coecitatis et perversitatis judaeorum exempla refert.

nem tamen suspicionis umbram excludit consideratio personae ipsius Christi, quacum nullum fraudis vestigium conciliari potest; imo tota Christi vita, prouti in Evangeliis legitur depicta, novum suppeditat credibilitatis motivum. Sane consideretur **1.** ejus ad Deum Patrem relatio; hunc unum cogitabat, amabat, loquebatur, plenus profundissima erga eum reverentia tenerrimoque amore. Ne momentum quidem vitae ipsius praeteribat, quo sui pene oblitus non totus Patris gloriae intentus fuerit ejusque voluntatem fecerit; cibus ipsius erat facere voluntatem ejus, qui misit ipsum, ut perficeret opus ejus (Jo. 4, 34). Neque quidpiam in Patris gloria promovenda eum deterrere potuit: non omnium mediorum humanorum defectus, non calumniae, odia, persecutiones, non succrescentes in dies difficultates et (apparens) omnis successus defectus, quibus omnibus occurrebat imperterrita animi pace, tranquillitate, fiducia.

95. Si vero **2.** consideremus ejus ad homines relationem, quam universalis ejus in homines amor, qui neminem excluderet, in primis vero complecteretur parvulos, pauperes, contemptos, inimicos; quam tener affectus et dulcedine plenus; quam efficax, mansuetudine quaerens, alliciens et suscipiens peccatores, beneficiis omnes cumulans, sanans omnem languorem, ad sanguinis usque per crudelissimam mortem effusionem de omnium salute sollicitus, et tamen simul tam remotus a quavis etiam specie studii commodique proprii, remotus a quavis aversionis, irae, vindictae umbra, cum vel inter atrocissima tormenta veniam exoraret suis carnificibus, eos apud Patrem etiam excusando. Quanta dein Christi erga omnes, etiam inimicos, etiam erga traditorem[1]) suum mansuetudo et benignitas.

96. Consideretur **3.** Christus in se: tam alienus est ab omni defectu vel affectione inordinata, ut et olim inimicos suos licet sagacissimos confidenter provocare potuerit: *Quis ex vobis arguet me de peccato* (Joan. 8, 46)? et modo etiam provocare possit omnes adversarios religionis suae, ut vel unum naevum, imo vel defectus umbram in tota sua agendi conversandique ratione indicent. Nihil invenient. Hinc etiam nunquam peccatorum suorum miseriaeque humanae meminit poenitentisque animi signa prae se fert, cum contra prophetae V. T. sanctique omnes peccatorum suorum conscii veniam jugitur de-

---

[1]) Hic vel illud unum advertatur, Christum, qui certe praesciebat suum traditorem, nam hujus traditionem praedixit, tam blandum et benignum erga Judam semper fuisse, ut ceteri discipuli ne suspicati quidem sint (Joan. 13, 22), quisnam futurus esset traditor: quod facile conjicere potuissent, si Christus vel parum austerius eum quam ceteros tractasset. Cf. Hettinger disp. 18.

precantur scelerum suorum[1]). Nulla in eo infirmitas, singularitas vana, excessus, fucus nullus. Unde tanta animi pace fruitur, ut nulla hominum ingratitudo, nulla calamitas, nulla aemulorum malitia et persecutio eum vel minimum commoveat aut serenissimam ipsius mentis tranquillitatem turbet. Quin, quod plus etiam est, vita Christi non solum ab omni macula immunis est, verum omnis virtutis idea, exemplar omnis perfectionis secundum totam vocis latitudinem et amplitudinem: adeo ut nulla assignari possit virtus, quam non plene graduque heroico possederit, quam non mirabili constantia semper exercuerit, omnesque licet specie tenus sibi saepe adversantes mira harmonia conjunctae in ipso reperiuntur: ex quo fit, ut nulla sit hominum classis, conditio nulla cujusvis temporis, loci et nationis, quae in ipso absolutissimum perfectionis sibi convenientis exemplar non reperiat, quod quo accuratius in se expresserint, meliores, perfectiores, eo sanctiores quidem erunt, licet ante fuerint vitiosissimi, nunquam tamen adamussim illud assequentur. Quae praerogativa adeo est ei propria, ut nulli alii hominum, qui alioquin magnus praedicari solet, conveniat: nullus eorum est omnibus imitabilis. Quod si jam in tota sua vita omnis virtutis fuit exemplar, eminentissime in morte reluxit sanctitas ejus: patientia dirissimos inter cruciatus nunquam alias visa; mansuetudo stupenda, quae nullum edidit animi vel minime commoti signum; caritas de ipsa carnificum salute aeterna sollicita. Vere *Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis* ejus (Ps. 44, 3). Atqui cum tali vita sanctitatisque idea conciliari nequit ulla fraus; ideoque signa, quae Christus in doctrinae suae confirmationem edidit, non sunt mendacia, sed veracia i. e. vere divina; doctrina, quam ipse Patris nomine proposuit, non est inventum humanum sed doctrina coelestis, cum vitam ejusmodi is tantum agere potuerit, qui esset vel Deus vel Deo quam propinquissimus maximeque conjunctus.

97. **Demonstratio p. II.** Ut Christus legatus divinitus missus censeri possit, merito exigitur, ut Deo dignam attulerit doctrinam. Atqui doctrina, quam nomine Dei promulgavit, Deo est quam dignissima. Siquidem **1.** de Deo docet sublimia, in quorum lumine homo sibi vilescit, ac Deum principium, finem et centrum vitae suae agnoscit; de mundo, quae sola sana ratio probare possit; de homine ea, ex quibus summa utilitas in omnem redundat ordinem socialem. Prae oculis enim habeantur tantum quae ex. gr. docet de imagine Dei in homine, de ejus destinatione in filium Dei adoptivum et heredem beatitudinis coelestis, de praecepto dilectionis etc., et illico apparet mo-

---

[1]) Cf. Heinrich § 49. qui hoc merito inculcat; Weiss Apol. I. d. 18.

mentum praesentis vitae, pretium verum bonorum hujus vitae, creaturarum usus faciendus, homicidii gravitas, excluditur servitus, aequatur uxor viro, filiorum institutioni providetur, familiae bono consulitur, mitigatur tyrannis, promovetur operosa beneficentia et liberalitas.

98. Praeterea **2.** sanctissima pro omni personarum conditione, rerum temporumque adjunctis praecepta tradit, ut nulla sit persona nullusque vitae status vel casus, cui non sit plene consultum; praecepta, quae totum complectuntur hominem, vitiorum radices attingunt, in ipsa penetralia cordis descendunt, omnia reformando altissimamque sanctitatis ideam ob oculos ponendo. Accedit, quod **3.** efficacia simul suppeditet motiva servandi praecepta: inter quae motiva eminet ipsa legislatoris vita (n. 94 ss.), in qua omnia adimpleta cernuntur; judicis omnipraesentia, poenarum praemiorumque pro minimis etiam bonis operibus aeternitas; auxilia quoque necessaria et invicta, quibus innixi omnia possint, promittit; homines vel pessimos et relapsos in spem erigit: sanctos ne unquam in via perfectionis consistant, ad altiorem semper sanctitatis gradum (Matth. 5, 48) urget et promovet; ne extollantur seque aliis praeferant, cavet. Proponit **4.** summum virtutis apicem amorem Dei usque ad odium sui, amorem proximi usque ad dilectionem inimici, subjectionem sub voluntate Dei usque ad amorem persecutionis propter justitiam, contemptum divitiarum usque ad amorem paupertatis, contemptum deliciarum usque ad studium jugis mortificationis, abnegationem propriae voluntatis usque ad amorem dependentiae ejusdem ab alterius voluntate. Ad haec **5.** defectus et lacunas religionis naturalis ex. gr. circa modum colendi Deum, obtinendi peccatorum veniam etc., abunde explet; tot tenebras et dubia circa hominis destinationem, fata in altera vita, mali originem, officia hominum etc. dissipat [1]); praemium homini conveniens Deoque dignum promittit, ordinem socialem et moralem quaquaversus promovet, perficit, elevat; ea vero, quae majoris sunt momenti omnibusque necessaria,clare et certo proponit. Excellit scil., ut omnia paucis complectamur, doctrina Christi sublimitate, puritate, integritate, catholici-

---

[1]) Quam ob rem s. Thomas in exposit. symboli art. 1. (opusc. VI, 166): „Nullus philosophorum, inquit, ante adventum Christi cum toto conatu suo potuit tantum scire de Deo et de necessariis ad vitam aeternam, quantum post adventum Christi scit una vetula per fidem, et ideo dicitur: *Repleta est terra scientia Domini* (Is. 11, 9).“ Vere modo fideles dicere possunt: *Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in aeternum mihi est. Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est. Super senes intellexi: quia mandata tua quaesivi* (Ps. 118, 98 s.). Cf. Athanasius de incarn. Verbi n. 47; Chrysostomus hom. 2. in Joan. n. 1. 2. 3.

tate i. e. universalitate, qua complectitur totum hominem, omnes homines, hominumque conditiones, nationes, nulla exclusa, tempus et aeternitatem, praestat certitudine, efficacia.

99. Quae praestantia confirmatur **6.** collatione instituta inter doctrinam Christi et scholas opionionesque philosophorum[1]), quas illa praecellit sicut dies noctem, umbram veritas. Eam enim exigit vel a minimis perfectionem (Matth. 5, 48), quam philosophi ne maximis quidem imponere sunt ausi. Caret ea verborum fucu, quo illi suam venditant sapientiam. Non est contenta ingeniosis dictis et specie splendida, sed postulat opera, vitam novam praesertim internam, quae hominum oculos fugit. Satis non habet excolere vel solum intellectum, vel solam voluntatem, vel solum affectum, sed intendit et satagit totum instituere hominem, ut undequaque pro sua vocatione et statu sit perfectus, non ex parte tantum christianus. Et quantum praebet suis pacem et solatium? Quis vero philosophorum unquam animum erexit afflictum vel solatus est cor omnibus destitutum vel unam unquam abstersit lacrymam? Sola Christi religio ostendit paupertatis lucrum, laboris nobilitatem, passionum pretium et utilitatem; ipsa sola omnibus promittit: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (Matth. 11, 28), et promissis stat. In memoriam enim revocentur tot pauperes in summa inopia vi hujus religionis contenti, tot aegroti et afflicti in acerbissimis doloribus et angustiis fortes, tot miseri, quibus est hujus religionis impulsu solatium et auxilium exhibitum; nullum excogitari potest malum sive physicum sive morale, cui vel in ipsa religione paratum non sit remedium, vel ad quod tollendum et temperandum animae hac religione perfecte imbutae non impellantur. Et quo magis quis hac religione imbuitur, eo majori fruitur pace interna, mundana contemnit, in omni virtutum genere excellit, caritate vere benefica in alios fertur usque ad sanguinis profusionem, magnanimus redditur ad durissima quaeque pro virtute toleranda. Jam vero origo sufficiens tam sapientis religionis assignari nequit praeter divinam; non praecedens aliqua doctrina humana, cum adeo sublimis et pura nulla exstiterit ante Christum; non institutio humana vel studium, cum Christus literas non didicerit. Quare nisi effectum citra causam admittere velimus, non alia hujus doctrinae est causa praeter eam, quam magister noster ipse sanctissimus judaeis mirantibus assignavit dicens: *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me*[2]), proinde coelestis.

---

[1]) Hanc bene instituit Theodoretus in suis sermonibus de curat. graecarum affection.; brevius Tertullianus Apologetici (opusc. t. XIX) c. 46; cf. etiam Weiss Apologie III, diss. 5. et passim in seq.

[2]) Jo. 7, 15. 16. Quare ad rem infert Lactantius Institut. l. 3. c. 30:

100. Quemadmodum 7. Christus adversarios suos provocare potuit: *Quis ex vobis arguet me de peccato*[1]); et iterum: *Scrutamini Scripturas . . . et illae sunt, quae testimonium perhibent de me* (ib. 5, 39): *Si mihi non vultis credere, operibus credite*[2]) etc.; ita et ejus religio confidenter adversarios provocare potest: Quis me arguit de errore? Non timet rationis discussionem, qua serio in credibilitatis motiva inquiratur, et investigetur rationis cum revelatione conspiratio atque harmonia: imo ad hanc excitat, certo sciens, bonum rationis usum ope revelationis et gratiae ad fidem perducere atque in fide semel suscepta confirmare eos, qui bonae sint voluntatis. Qua fiducia omnem aliam religionem praecellit: ideoque confidenter hortatur suos cultores, ut parati sint semper ad satisfactionem omni poscenti ab ipsis rationem de ea quae in ipsis est spe (1. Petr. 3, 15). Quo magis autem ratio ipsa revelationis mysteria ea qua par est modestia scrutatur, eo pleniori refunditur luce qua dissipantur dubiorum nebulae, solvuntur implexa scientiae problemata, dilucidantur ordinis praesentis aenigmata, perficitur rationalis cognitio: adeo ut mysteria, quae antea videbantur tenebrae, astrorum lucidorum instar reddantur ipsaque sua sublimitate rationis admirationem extorqueant. Quare concludere licet verbis Balduini cantuariensis[3]): „Quomodo potuerunt in uno homine convenire tanta signorum potentia, tanta verborum sapientia, tanta virtutum gratia, tanta vitae puritas, tam manifestae doctrinae veritas, nisi a Deo esset, nisi bonus et justus esset?“

101. Reliquum esset, ut etiam aliqua diceremus de opere, quod Christus complevit, quo pariter continetur luculentum divinae Christi

---

»Hic, hic est illud, quod philosophi omnes in tota sua vita quaesierunt, nec unquam tamen investigare, comprehendere, tenere valuerunt, qui religionem aut pravam retinuerunt, aut totam penitus sustulerunt. Facessant igitur illi omnes, qui humanam vitam non instruunt, sed turbant. Quid enim docent? aut quem instruunt, qui se ipsos nondum instruxerant? Quem sanare aegroti, quem regere coeci possunt? Huc ergo nos omnes, quibus est cura sapientiae, conferamus. An exspectabimus, donec Socrates aliquid sciat? aut Anaxagoras in tenebris lumen inveniat? aut Democritus veritatem de puteo extrahat? aut Empedocles dilatet animi sui semitas? aut Arcessilas et Carneades videant, sentiant, percipiant? Ecce vox de coelo veritatem docens, et nobis sole ipso clarius lumen ostendens. Quid nobis iniqui sumus et sapientiam suscipere cunctamur, quam docti homines contritis in quaerendo aetatibus suis nunquam reperire potuerunt? Qui vult sapiens ac beatus esse, audiat Dei vocem, discat justitiam, sacramentum suae nativitatis norit: humana contemnat, divina suscipiat, ut summum illud bonum, ad quod natus est, possit adipisci.« Cf. etiam c. 26. et egregia verba Augustini de moribus Eccl l. 1. c. 30. n. 63. opusc. XXVII; de utilit. credendi c. 17.

[1]) Jo. 8, 46. [2]) Ib. 10, 38. [3]) De commend. fidei, Mig. 204, 631.

missionis suffragium. Cum autem Christi opus sit Ecclesia, de cujus characteribus divinis cap. sequenti loquemur, illud in praesentia silentio praeterire satius esse ducimus.

Articulus III.

De testimonio, quod secula postera Christo perhibuerunt.

102. Triplex posteritatis testimonium pro divina Christi missione distingui potest: testimonium scil. apostolorum, synagogae et gentilium. Apostoli divinam Christi missionem contestati sunt verbis, sanguine et miraculis, a quibus miraculis verborum sanguinisque testimonium invictam vim probandi mutuatum est. Cum vero de his eadem fere repeti possint et debeant, quae de miraculis Christi thesi XII. diximus, de testimonio apostolico agere supersedemus. Jam ad aliud illudque duplex accedamus testimonium.

103. **Thesis XVI.** ***Hinc laetissima gentium ad Christum conversio, illinc synagogae mortem Christi mox secuta jamque per duodeviginti secula durans tristissima conditio ostendunt 1. J. Christum esse illum, qui in oraculis prophetarum dicitur desiderium cunctarum gentium et lumen populorum; 2. vetus Testamentum esse rescissum novumque ei substitutum; 3. synagogam gravissimi criminis esse ream, quod 4. aliud esse nequit, quam rejectio Messiae i. e. Christi Jesu, proindeque 5. ipse exitus comprobat divinam missionis Christi originem.***

Demonstratio p. I. Legantur quae de conversione gentium per Messiam prophetae saepe vaticinati sunt [1]). Atqui haec adimpleta esse in Christo et per Christum, quem vix natum magi ex Oriente quaesierunt, vix praedicatum fines orbis agnoverunt, non tantum testantur apostoli vel scriptores antiqui, sed nos ipsi hujus eventus sumus testes.

104. Plane ad rem est invicta Augustini disputatio[2]): „Me attendite, vobis dicit Ecclesia, me attendite, quam videtis, etiamsi videre nolitis. Qui enim temporibus illis in Judaea terra fideles fuerunt, ex virgine nativitatem mirabilem ac passionem, resurrectionem, ascensionem Christi, omnia divina dicta ejus et facta praesentes praesentia didicerunt. Haec vos

---

[1]) Ps. 2, 8; 21, 28; 71, 8; Is. 2, 2; 11, 9; cc. 41; 54; 55; 60; Jer. 3, 17; 16, 19; Mich. 4, 1; Ag. 2, 7; Mal. 1, 10. etc. Cf. Huetii demonstr. evang. prop. 9. c. 158 ss.

[2]) De fide rerum, quae non videntur c. 4. opusc. t. IV; cf. etiam c. 3. et 7; serm. 116. n. 6; serm. 86 in bibl. nova PP. ed. Mai n. 2; de catechiz. rudibus c. 27. n. 53. opusc. t. VIII; Chrysostomum in Is. 7. n. 1; Theodoretum serm. 10. de graec. affect. curatione.

non vidistis, propterea credere recusatis. Ergo haec aspicite, in haec intendite, haec quae cernitis cogitate, quae vobis non praeterita narrantur, nec futura praenunciantur, sed praesentia demonstrantur. An vobis inane vel leve videtur, et nullum vel parvum putatis esse miraculum divinum, quod in nomine unius crucifixi universum genus currit humanum? Non vidistis quod praedictum et impletum est de humana Christi nativitate: *Ecce virgo in utero accipiet et pariet filium*[1]); sed videtis quod praedictum et impletum est ad Abraham Dei verbum: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*[2]). Non vidistis quod de mirabilibus Christi praedictum est: *Venite et videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram*[3]); sed videtis quod praedictum est: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te: postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae*[4]). Non vidistis quod praedictum est et impletum de passione Christi: *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea; ipsi vero consideraverunt et conspexerunt me; diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem;* sed videtis quod in eodem psalmo praedictum est, et nunc apparet impletum: *Commemorabuntur et convertentur ad Dominum universi fines terrae, et adorabunt in conspectu ejus universae patriae gentium, quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium*[5]). Non vidistis quod de resurrectione Christi praedictum atque completum est, loquente psalmo ex persona ejus prius de traditore et persecutoribus ejus: *Egrediebantur foras et loquebantur simul in unum; adversum me insusurrabant omnes inimici mei, adversum me cogitabant mala mihi; verbum iniquum disposuerunt adversum me.* Ubi, ut ostenderet nihil eos valuisse occidendo resurrecturum, subjecit atque ait: *Numquid qui dormit non adjiciet ut resurgat?* Et paulo post, cum de ipso suo traditore per eandem prophetiam praedixisset, quod in Evangelio quoque scriptum est: *Qui edebat panes meos, ampliavit super me calcaneum,* hoc est, conculcavit me, continuo subdidit: *Tu autem Domine miserere mei, et resuscita me, et reddam illis*[6]). Impletum est hoc, dormivit Christus et evigilavit, hoc est, resurrexit; qui per eandem prophetiam in alio psalmo ait: *Ego dormivi et somnum cepi, et exsurrexi, quoniam Dominus suscipiet me*[7]). Verum hoc non vidistis, sed videtis ejus Ecclesiam, de qua similiter dictum et impletum est: *Domine Deus meus, ad te gentes venient ab extremo terrae et dicent: Vere mendacia coluerunt patres nostri simulacra et non est in illis utilitas.* Hoc certe sive velitis sive nolitis aspicitis, ut si adhuc aliquam putatis esse vel fuisse in simulacris utilitatem, certe tamen innumeros gentium populos relictis vel abjectis vel confractis hujusmodi vanitatibus audistis dicere: *Vere mendacia coluerunt patres nostri simulacra, et non est in illis utilitas; si faciet homo deos, et ecce ipsi non sunt dii.*[8]). Non vidistis quod praedictum et impletum est de ascensione Christi: *Exaltare super coelos Deus;* sed videtis quod continuo sequitur: *Et super omnem terram gloria tua*[9]). Illa de Christo jam facta atque transacta omnia non vidistis, sed ista praesentia in ejus Ecclesia videre vos non negatis. Utraque vobis praedicta mon-

---

[1]) Is. 7, 14. [2]) Gen. 12, 3. [3]) Ps. 45, 9. [4]) Ps. 2, 7 s.
[5]) Ps. 21, 17 ss. [6]) Ps. 40, 7 s. [7]) Ps. 3, 6. [8]) Jer. 16, 19.
[9]) Ps. 107, 6.

stramus: utraque autem vobis impleta propterea demonstrare videnda non possumus, quia revocare in conspectum praeterita non valemus.«

105. **Demonstratio p. II.** Rescissum esse vetus Testamentum novumque auctore Christo ei substitutum, sicut praedictum fuit[1]), ex eventu patet. Abrogatum siquidem **1.** est sacerdotium leviticum non tantum de facto, sed ita radicitus est exstinctum, ut restitui amplius non possit. Nam ut quis legitimus esset sacerdos leviticus, ex tribu Levi, ex familia Aaron originem trahere debebat. Atqui propter totalem tribuum confusionem et permixtionem[2]), jam nemo suam originem ab Aarone poterit probare; quapropter judaei a destructione templi rabbinos forte habent, sacerdotibus veris carent. Ubique vero locorum circa illud tempus et ab eo tempore invaluit et viget hierarchia christiana constans episcopis, presbyteris, diaconis servientibus Deo Abrahami, Isaac et Jacobi, cujus cultui destinatum erat sacerdotium leviticum. Abolita sunt **2.** sacrificia V. T., et non solum de facto, sed vel ipsa possibilitas eadem offerendi sublata est propter defectum templi, in quo solo legitime eadem licebat offerre, et propter sacerdotium exstinctum; successit vero iis Christo auctore aliud sacrificium, quod ab ortu solis usque ad occasum in omni loco eidem Deo Jehovah celebratur[3]). Impossibilis **3.** reddita est magna ex parte observatio legis mosaicae propter templi destructionem dispersionemque populi; cultus vero Dei Israelis Christo auctore propagatus est usque ad fines orbis terrarum, ut patet ex p. I. Neque **4.** ipse Deus servat amplius promissiones foederi veteri annexas de felicitate temporali, si judaei ipsius servarent mandata, de liberatione e captivitate aliisque calamitatibus, si seriam agerent poenitentiam[4]) etc. Cum autem haec essent elementa veluti veteris foederis et Testamenti, quae omnia manifesto abrogata sunt, et cum circa illud tempus, quo eadem penitus evanuerunt, Christo auctore, qui est ex genere Abraham, ex familia David, ex Sion exiverit nova lex[5]), novum sacerdotium, novum sacrificium,

---

[1]) Jer. 31, 31: *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda foedus novum: non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti, pactum, quod irritum fecerunt* etc.

[2]) Vel sola haec tribuum et familiarum permixtio probat, Messiam jam advenisse. Nam Messias praedictus est oriundus de radice Jesse, filius David: modo autem se Davidis filium per librum aliquem generationis vel documenta publica comprobare amplius non posset.

[3]) Mal. 1, 11 s. [4]) Deuter. cc. 28—30.

[5]) Is. 2, 1 s.: *Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, et dicent: Venite et ascendamus ad montem Domini, et ad domum*

novus cultus non novi Dei sed Dei Israelis, qui se V. T. abrogaturum novumque instituturum ad omnes gentes propagandum praedixerit atque promiserit: ipso hoc manifesto eventu comprobatur J. Christus legatus divinitus missus atque propheta ille ex gente judaica suscitandus juxta Moysis vaticinium.

105a. Deut. 18, 15: *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies . . . Qui autem verba ejus, quae loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor exsistam.* Falso exegetae protestantes, quos nonnulli exegetae catholici secuti sunt, hoc vaticinium collective seu de omnibus prophetis post Moysen missis intelligunt. Obstat enim **1.** constans usus singularis נָבִיא propheta, quod verbum (in singulari) non solet adhiberi collective; neque ulla ratio reddi potest, quare Moyses non adhibuerit formam pluralem, quae alioquin tam frequens est: praesertim cum de sacerdotibus, qui longe facilius accipi potuissent collective, in contextu immediate antecedenti disserens, semper utatur forma plurali. Obstat **2.** comparatio cum Moyse *(sicut me),* qui fuit persona singularis et eximiae praecellentiae non communis reliquis prophetis: familiarissime enim conversatus est cum Deo Num. 12, 6—8; fuit simul populi dux, legislator, salvator (e captivitate), mediator, sacerdos, judex. Obstant **3.** verba Deut. 34, 10: *Et non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses.* Obstant **4.** traditio vetustissima et solemnis. Huc enim referri possunt verba mulieris samaritanae Joan. 4, 25; verba Philippi ib. 1, 45: *Quem scripsit Moyses in lege . . . invenimus Jesum* etc.; verba turbae ib. 6, 14; 7, 40; verba Christi ad pharisaeos 5, 46: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit;* verba Petri ad populum Act. 3, 22 s. et s. Stephani ib. 7, 37. Nec praetermitti debet praeclarus parallelismus inter verba Moysis de hoc propheta Deut. 18, 15: *Ipsum audies,* et verba Patris de Christo Matth. 17, 5: *Ipsum audite* [1]).

106. **Demonstratio p. III.** Tristissimam esse jam a duodeviginti seculis synagogae populique judaici[2]) conditionem, historia ipsa docet. Adimpleta siquidem sunt verba Oseae 3, 4. praedicentis: *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege et sine principe et sine sacrificio et sine altari et sine ephod et sine therapim,* i. e. secundum Hieronymum „sine instrumentis sacerdotalis habitus et sine simulacris idolorum.“ Ad quae respiciens Tertullianus ita scribit de ipsis: „Dispersi, palabundi, et coeli et soli sui extorres vagantur per orbem, sine homine,

---

Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit lex et verbum Domini de Jerusalem.

[1]) Cf. Patritii de interpret. Script. sacrarum l. 2. q. 8; Kurtz Geschichte des alten Bundes t. 2. § 97. n. 3.

[2]) Loquimur hic non de singulis hujus populi membris seu individuis, sed de synagoga et populo judaico formaliter, quatenus constituit populum sui juris, et in comparatione ad statum, quem habebat in V. T.

sine Deo rege, quibus nec advenarum jure terram patriam saltem vestigio salutare conceditur[1]." Adimpleta sunt quae praedixit Daniel 9, 26. de destructione urbis et templi; quae praedicta sunt de populi dispersione et reprobatione[2]), et de eorum excoecatione[3]): unde carent omni prophetia, eorum libri praecipui fabellis indignis sunt referti; impleta quoque sunt illa[4]): *Et dimittetis nomen vestrum in juramentum electis meis: et interficiet te Dominus Deus, et servos suos vocabit nomine alio.* Ex quibus grave ad rem nostram erui potest argumentum. Nam, ut subsumit Grotius[5]), „promisit Deus foedere per Moysen inito ipsis felicem possessionem terrae Palaestinae, quamdiu vitam suam ad legis praescriptum componerent: contra si adversus eam graviter delinquerent, exsilium aliaque id genus mala ipsis minatus est. Quod si tamen aliquo tempore pressi malis et poenitentia

---

[1]) Apol. c. 22. Cf. patrum effata apud Nourry diss. in Apol. Tertull. c. 6. a. 1; in primis consulendus Hieronymus in Sophoniae l. 15, unde haec tantum delibamus: „Usque ad praesentem diem perfidi coloni . . . prohibentur ingredi Jerusalem: et ut ruinam suae eis flere liceat civitatis, pretio redimunt; ut qui quondam emerant sanguinem Christi, emant lacrymas suas . . . adhuc fletus in genis et livida brachia, et sparsi crines, et miles mercedem postulat, ut illis flere plus liceat.« Cf. Chrysostomus Quod Christus sit Deus n. 17.

[2]) Cf. Eusebius demonstr. evang. l. 8.

[3]) Cf. Storchenau Zugaben zu der Philosophie der Religion 10, 373 ss., ubi refert fabellas plane pueriles, imo stultas, quibus Talmud, liber eorundem praecipuus post Scripturas, inficitur; Rohling Der Talmudjude ed. 6. Münster 1877. et jam Petrus ven. tr. adv. judaeos c. 5. Mig. 189, 607. 631. etc.

[4]) Is. 65, 14. Quae ita explicat Hieronymus in h. l.: „Quod autem dicit hoc est: aliis in vestrum succedentibus locum nomen vestrum erit juramentum electis meis, ut pro malorum exemplo vos habeant et detestentur talia sustinere et jurent sic: non haec patiar, quae passus est populus judaeorum. Sive nomen vestrum erit in satietatem: quod in his dici solet, quorum odiosa est recordatio et memoria, ut qui usque ad saturitatem et nauseam venerunt. Vel certe hoc dicendum, quod nomen suum derelinquant electis Domini, ut pro illis gentium turba succedat, et ipsi appellentur filii Abraham et Israel.«

[5]) De verit. relig. christ. l. 5. § 16. Fuse et invicte hoc argumentum evolvit Chrysostomus in Ps. 8. n. 3. ss., orat. 5. et 6. adv. judaeos. Cf. Rabbi Samuel (sec. XI) de adventu Messiae praeterito (Migne 149, 335 ss.); Petrus Alphonsus ex judaeo christianus dial. tit. 1. 2. (Migne 157, 541 ss.), qui bene advertit innixus Deut. 24, 16; Ezech. 18, 20. coll. Ex. 20, 5. et Thren. 5, 7., Deum in deserto et in captivitate babylonica poenam extendisse quousque generatio peccatrix esset exstincta; tum vero filios quoque eadem qua parentes afflixisse poena, cum illi in horum consentirent peccatum. Atqui modo filii eadem qua parentes affliguntur desolatione. Ergo in idem cum his conspirant peccatum. Nihil antem assignari potest, in quo adeo omnes conspirent, praeter reprobationem J. Christi, quae ipsis adeo est communis et propria, sicut exspectatio Messiae. Propterea ergo dicendi sunt a Deo reprobati.

peccatorum ducti ad obedientiam rediissent, se misericordia populi tactum iri, effecturumque, ut quamvis in ultimas mundi plagas dispersi redirent in patriam, ut videre est tum alibi, tum Deut. 30. et Nehem. 1. Atqui jam anni sunt mille et ultra quingentos (modo octingentos), quod judaei patria carent, templo carent, et si quando novum aedificare voluerunt, semper sunt impediti. Cum olim populus gravissimis sceleribus se contaminasset . . . passus est exsilium, sed non diutius annis septuaginta, atque interea non omisit Deus per prophetas illos alloqui et solari spe reditus, indicato etiam ejus tempore. At nunc, ex quo semel patria ejecti sunt, manent extorres, contempti; nullus ad eos venit propheta; nulla futuri reditus significatio; magistri ipsorum quasi spiritu vertiginis afflati ad turpes fabulas et ridicula dogmata delapsi sunt, quibus scatent libri talmudici . . . . et tamen tanto tempore judaei nec ad falsorum deorum cultus deflexerunt ut olim, nec caedibus se contaminant, nec de adulteriis accusantur; Deum vero precibus et jejuniis certant placare, nec exaudiuntur etc.“ Quare merito inferimus gravissimi cujusdam criminis eos reos esse.

107. **Demonstratio p. IV.** Crimen vero, cujus judaeos n. praec. reos agnovimus, aliud non esse quam *quod Messiam non receperint,* colligitur **1.** ex natura et duratione poenae, cujus ratio sufficiens nonnisi in illo crimine reperitur; poena enim triplici charactere distinguitur; excedit **a.** longe poenam captivitatis babylonicae; est **b.** plane singularis nulli populo communis; continetur **c.** reprobatione hujus populi ex parte Dei, adeo ut videatur excidisse illa missione, quam divinitus accepit. Quare et crimen, propter quod eadem inflicta est, majus esse debet omnibus prioribus delictis, singulare et proprium hujus populi, quo Deum penitus deseruit suaeque defuit vocationi. Atqui hae notae in una Messiae reprobatione reperiuntur; nam populus iste totus erat ordinatus et destinatus ad Messiam, ideoque divinitus ceteris populis praelatus; ipsa Messiae missio ultimus et supremus divinae bonitatis conatus fuit in ejusdem salutem: quam ob causam Messiae reprobatio crimen erat summum, hujus populi singulare, quo penitus sua missione et destinatione excidit. Merito proinde illud ejusmodi poena consecuta est.

108. Idem sat clare colligitur **2.** ex Dan. 9. 25 s., ubi exterminium urbis et templi subjicitur occisioni Messiae tamquam poena crimini (cf. n. 67 ss.); ex Os. 3, 4 s., Ez. 34, 28 ss., quibus praedicitur[1]), judaeos, postquam tot perpessi sunt mala, tandem reversuros

---

[1]) Ita Ose. 3, 5. post verba n. 106. allata subjicitur: *Et post haec rever-*

et quaesituros esse Dominum Deum suum et *David regem suum* i. e. Messiam, qui passim a prophetis sub Davidis regis imagine et typo describitur. Ergo hunc, antequam in tantam inciderint calamitatem, reliquisse arguendi sunt.

109. Rejecisse autem judaeos Messiam, eo ipso quod *J. Christum recipere noluerint,* patet **1.** ex omnibus iis, quibus hucusque ostendimus, J. Christum esse Messiam divinitus praedictum; **2.** ex tristissima populi judaei conditione, quam ostendimus poenam esse rejecti Messiae. Atqui nullus assignari potest, quem universus populus solemniter reprobaverit quique tot veri Messiae characteres prae se tulerit, praeter Jesum Christum; et revera **3.** calamitas illa solemnem Christi reprobationem mox est consecuta. Accedunt **4.** luculenta Christi ipsius verba judaeis horrendam hanc calamitatem in poenam suae incredulitatis praedicentis [1]).

110. Igitur merito s. Hieronymus judaeos sic perstringit [2]): »Multa, judaee, scelera commisisti, cunctis circa te servisti nationibus. Ob quod facinus? Utique propter idololatriam. Cumque servisses crebro, misertus tui est Deus, et misit judices et salvatores, qui te . . . liberarunt. Novissime sub regibus offendisti Deum et omnis tua provincia, gente babylonica vastante, deleta est. Per septuaginta annos templi solitudo permansit . . . Ad extremum sub Vespasiano et Tito urbs capta templumque subversum est. Deinde civitatis usque ad Hadrianum principem per quinquaginta annos mansere reliquiae. Post eversionem templi paulo minus per quadringentos annos et urbis et templi ruinae permanent. Ob quod tandem facinus? Certo non colis idola, sed etiam serviens persis atque romanis et captivitatis pressus jugo ignoras alienos deos. Quomodo clementissimus quondam Deus, qui nunquam tui est oblitus, nunc per tanta spatia temporum miseriis tuis non adducitur, ut solvat captivitatem? . . . Ob quod, inquam, facinus et tam exsecrabile scelus avertit a te oculos suos? Ignoras? Memento vocis parentum tuorum: *Sanguis ejus super nos et super filios nostros,* et: *Non habemus regem nisi Caesarem* [3]). Habes, quod elegisti: usque ad finem mundi serviturus es Caesari, donec gentium introeat plenitudo et sic omnis Israel salvus fiat [4]).«

111. **Demonstratio p. V.** Cum ergo hinc quidem solus Christus Jesus et praeter hunc nullus gentes secundum prophetarum vaticinia

---

tentur filii Israel, et quaerent Dominum Deum suum, et David regem suum: et pavebunt ad Dominum et ad bonum ejus in novissimo dierum. Cf. Deut. 18, 18 s. (cf. annot. ad n. 105); Is. 65, 1 ss.; Ps. 68, 23 ss. Cf. de hoc argumento Storchenau l. c. t. 10. sect. 6; Granderath Stimmen aus Maria Laach 1879. II, 42 ss.

[1]) Matth. 21, 33 ss., 23, 27 s., 8, 11 s., Luc. 19, 41 ss., 21, 6 ss. (cf. annot. ad n. 93).

[2]) Ep. 129. n. 7; cf. etiam Origenes adv. Celsum IV, 22.

[3]) Matth. 27, 25; Jo. 19. 15. [4]) Rom. 11, 25.

ad veri Dei cognitionem adduxerit, inde vero Deus hujus legati reprobationem horrendum in modum a judaeis vindicaverit: merito dici potest, divinam Christi missionem ipso ejusdem exitu comprobari sive terribili inter judaeos sive laeto inter gentes. Suo igitur jure Christus dicere potuit: *Confidite, ego vici mundum*[1]), et de eo unus seniorum apud Joannem: *Ecce vicit Leo de tribu Juda, radix David*[2]). Vicit scil. daemonem, qui vel nomine ejus audito fugit[3]); vicit gentes sibi subjiciendo; vicit judaeos conterendo. Adimpletum est illud: *Dominare in medio inimicorum tuorum*[4]). Sed consideres velim **a.** quam ampla fuerit haec victoria, **b.** quam rapida, **c.** quam diuturna, **d.** quam suavis et efficax simul, **e.** quam omnis boni fecunda, **f.** quam universalis, cum totum sibi subjecerit hominem, intellectum scil. per fidem, voluntatem per obedientiam, cor per amorem, omnia membra per mandatorum suorum exsecutionem, in omni scil. ordine, intellectuali, morali, sociali etc., attende insuper **g.** quam fuerit divina respectu judaeorum.

Caput II.

De divina religionis christianae indole atque origine.

112. Religionis christianae veritatem ex divina auctoris missione probavimus. Jam illius fructus consideremus, arboris enim qualitas et bonitas ex fructibus dijudicari potest, et cuilibet effectui par respondeat causa necesse est. Proinde si effectus doctrinae a Christo promulgatae atque Ecclesiae a se institutae sunt suprahumani, supernaturales, sunt tales, quibus explicandis solus sufficit divinus interventus, religio christiana non inventum credi debet humanum, sed institutio divina. Quapropter consideremus latitudinem, longitudinem, profunditatem necnon sublimitatem effectus hujus religionis; et latitudinem quidem in *rapiditate propagationis*, longitudinem in *conservationis diuturnitate* mediis in saevissimis procellis; profunditatem *persuasionis*, quam nulla persecutorum tormenta convellere poterant; sublimitatem in vitae *sanctitate,* ad quam ex profundo vitiorum coeno haec religio cultores suos provexit. Quibus miraculis in ordine morali patratis adjecit Deus in ordine quoque physico prodigiorum *splendorem,* unde quintuplici saltem radio christianae religionis origo manifestatur divina[5]).

---

[1]) Jo. 16, 33.

[2]) Apoc. 5, 5. Quam victoriam eloquentissime describit Chrysostomus in l. quod Christus sit Deus n. 9. 10. opusc. XV, 145 ss.

[3]) Cf. diss. nostram: Daemon vel invitus testis veritatis opusc. I, 105 ss.

[4]) Ps. 109, 2; cf. similia Ps. 2. 7 s.

[5]) Quamvis quaelibet ex his dotibus accurate inspecta sufficiens praebere

113. **Thesis XVII.** ***Rapidissima religionis christianae per orbem propagatio, omnibus consideratis ejus adjunctis, manifesto digitum Dei hic fuisse ostendit.***

Demonstratio. Tria circa hanc rapidissimam propagationem sunt praestanda, sicut etiam circa reliquas tres proprietates. Probandum est prius factum, quod affirmatur; expendendi dein sunt facti characteres, quibus consideratis ostendendum est, factum illud naturaliter explicari non posse, sed recurrendum esse ad specialem Dei interventum; tunc demum inferre licet, interventu Dei comprobari doctrinam seu religionem illam, de qua agitur.

114. Consideretur ergo **1.** quam late quamque celeriter religio christiana fuerit propagata. Altero post Christum seculo, imo haud multis ab ejusdem morte annis ultra imperii romani terminos, ad fines usque urbis tunc noti diffusa fuit, ubique locorum plurimos numerans asseclas, non solum ex plebe, sed etiam ex conditionibus cultioribus[1]); et quo romanorum arma penetrare non poterant, ipsa hominum maxime barbarorum animos sibi subjecit.

Hujus tam rapidae propagationis testis est Paulus[2]), testes sunt patres; triumphantis in modum scribere potuit Tertullianus ad romani imperii praesides[3]): „Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum; sola vobis templa reliquimus;« testes sunt vel

---

possit pro divina religionis christianae origine argumentum: ut hoc tamen sit plane invictum, juverit eas non nimis ab invicem sejungere, sed potius copulare; neque enim rapida propagatio multum probat, nisi sit diuturna et constans; neque diuturnitas multum probat, nisi altas egerit radices; neque persuasio profunda efficax est ad probandum, nisi bonos proferat fructus. Cf. de argumento, quo utimur, Heinrich dogmat. Theologie t. 1. § 50.

[1]) Quapropter Arnobius adv. gentes l. 2. n. 5. inter varia motiva credibilitatis hoc quoque utitur: „Nonne vel haec saltem fidem vobis faciunt argumenta credendi . . . quod tam magni ingenii oratores, grammatici, rhetores, consulti juris ac medici, philosophiae etiam secreta rimantes magisteria haec expetunt, spretis quibus paulo ante fidebant?« Et revera religioni christianae nomen dederunt sacerdotes judaici Act. 6, 7; magistratus Act. 13, 12; 17, 34; viri nobilissimi ut Flavius Clemens cum uxore Domitilla quique essent de domo Caesaris Philip. 4, 22; philosophi ut Justinus, Athenagoras etc. Ceterum vel hic ipse conatus intrepidus propagandi religionem per orbem nonnisi ex impulsu divino repetendus videtur, cum tunc omnis religio esset nationalis.

[2]) Rom. 1, 8: *Fides vestra annunciatur καταγγέλλεται in universo mundo;* 15, 18 s.; Coloss. 1, 15: *Quod* (verbum veritatis Evangelii) *pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat et crescit.*

[3]) Apologetici c. 37. n. 124, Cf. n. 125; adv. jud. c. 7; Lactantius de mort. persec. c. 4 (opusc. XXII); institut. div. l. 5. c. 2; Justinus dial. cum Tryph. n. 117; Irenaeus adv. haer. l. 1. c. 10. n. 2.

ipsi gentiles, ut Plinius junior ad Trajanum scribens[1]): „Visa est mihi res digna consultatione propter periclitantium numerum; multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum et vocabuntur; non civitates tantum sed vicos etiam atque agros christianae superstitionis contagio pervagata est; prope jam desolata templa deorum et solemnia diu intermissa.« Secundum Senecam[2]) „usque eo consuetudo convaluit sceleratissimae gentis (christianae, quam cum judaica confundebat), ut per omnes jam terras recepta sit: victi victoribus leges dederunt.« Advertatur porro non tot praesto tunc fuisse media diffusionis, uti modo propter artem typographicam, nec tam facile expeditumque commercium populorum inter se, quale nunc est post tot inventa. Quare etsi propagatio religionis christianae absolute rapida forte dici nequeat, relative tamen spectatis adjunctis rapidissima est judicanda.

115. Considerentur **2.** impedimenta, quae religionis christianae diffusioni undique obstabant eaque tam interna quam externa. Et interna quidem, cujusmodi erant incomprehensibilitas doctrinae, praeceptorum sanctitas sublimitasque virtutum, quarum ne nomina quidem, nedum usum noverant gentiles, uti sunt humilitas, abnegatio, dilectio inimicorum, puritas interdicentis pravum affectum vel aspectum. Ad impedimenta interna revocari praeterea possunt etiam defectus omnis lucri praesentis, imo certa exspectatio contemptus, persecutionis, damnorum, mortis; humilitas auctoris, qui in crucis patibulo ab omnibus exsecrato vitam finierit. Gravissima quoque erant impedimenta externa, qualia erant incredibilis morum corruptio, cum vel scelera colerentur cultusque religiosus impuros complecteretur ritus[3]); superstitionis error inveteratus atque cum lacte materno haustus, philosophorum irrisio atque tumor, praejudicia penitus infixa atque calumniae nefandae adversus religionem christianam studio divulgatae[4]), verbo spiritus illius aevi religioni tam superhumanae plane infensus, qui omnem ordinem invaserat et infecerat, cui religio Christi nulla in re cedebat, quocum nullum inibat pactum; ad haec persecutionum per tria secula immanis furor.

116. Considerentur **3.** media, quibus religio christiana fuit propagata; quam insufficientia, quam imparia, imo quam nulla, si ita loqui fas est, ad tantum effectum producendum. Pauci siquidem Christi discipuli tantum opus aggressi sunt iique omnibus iis destituti, quibus modo abundamus mediis rapidae propagationis, et dotibus,

---

[1]) L. 10. ep. 97. [2]) Apud Augustinum de civ. Dei VI, 11.

[3]) Cf. Minucium Felicem opusc. XV. n. 21 ss.

[4]) Cf. ib. n. 9 s. et Storchenau Philos. der Religion t. 5. s. 4 ss.: em. card. Hergenröther Handb. der allg. Kirchengeschichte 1. Per. n. 103., qui recenset viginti impedimenta.

quae vim aliquam ad auditorum animos inflectendos habere possunt, uti sunt scientia, eloquentia, divitiae, gloria, nobilitas etc.; qui ita potius comparati erant, ut auditores facilius a se avertere, quam Christo lucrari potuerint, rudes, illiterati, judaei omnibus invisi. Vere *quae stulta sunt elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea, quae non sunt, ut ea, quae sunt destrueret*[1]. „Adverte coeleste consilium, inquit ad rem Ambrosius[2], non sapientes aliquos, non divites, non nobiles, sed piscatores et publicanos, quos dirigeret elegit (Christus), ne traduxisse prudentia, ne redemisse divitiis, ne potentiae nobilitatisque auctoritate traxisse aliquos ad suam gratiam videretur, ut veritatis ratio, non disputationis gratia praevaleret.“

119. Consideretur **4.** effectus, qui non fuit momentaneus sed perennis; non superficie tenus humanum genus pervadens sed totum hominem, totam societatem humanam renovans, in melius commutans atque perficiens, adeo ut innumeri in flore juventutis, medias inter divitias et omnes hujus mundi blanditias omnia desererent, omnem mundi gloriam arbitrarentur ut detrimentum, sequerentur pauperes et humiles Christum pauperem et humilem, atque in deliciis haberent ea, a quibus ante abhorruerant: illa vero, quae ante adamaverant, super omnia detestarentur. Quod **5.** prodigium alias quoque repetitum fuit, ut quando s. Franciscus Xaverius cum sociis Indiis orientalibus atque Japoniae lumen intulit Evangelii. Quare **6.** cum quilibet effectus causam exigat adaequatam, media vero naturalia tanto effectui explicando paria non sint: concludendum est, eum suo lumine suaque gratia praesto fuisse, cui facillimum est et intellectus tenebras dissipare et duritiam frangere voluntatis.

118. Novo lumine **7.** argumentum perfundetur, si praeterea consideretur **a.** difficultas, quam vel in unius hominis corrupti emendatione quotidie experimur: quanta ergo censenda est tot gentium conversionis difficultas? Si consideretur **b.** sterilitas tum institutionis philosophicae licet eloquentissimae[3], tum missionum protestantium, qui tamen tot mediis humanis, ut pecuniis etc. abundant[4]. Si consideretur **c.** accuratius propagatio religionis christianae. Spectari enim ea potest certaminis (duelli) instar cum pagana superstitione romano-

---

[1]) 1. Cor. 1, 27 s.

[2]) In Luc. l. 5. n. 44; cf. Originem c. Celsum I, 62; III, 39.

[3]) Cf. Chrysostomus h. 2. in Rom. n. 5; Theodoretus de gr. aff. cur. s. 9.

[4]) Quo de argumento cf. Marshall, Die christlichen Missionen, ihre Sendboten, ihre Methode und ihre Erfolge, Moguntiae 1862.

que imperio initi. Diu tenuit pugna, caedes christianorum ingentes factae sunt, torrentes sanguinis christiani effusi: sed victa demum cecidit pagana superstitio, suffulta licet armis omnis generis humanis, vicit religio christiana egitque de illa triumphum[1]). Nisi ergo principium causalitatis negare velimus, inferendum est, Deum ipsum pro religione christiana pugnasse.

119. *De propagatione sectarum.* — Neque ad vim hujus argumenti infringendam provocetur ad celerem sive mohammedanismi sive protestantismi propagationem, cum ingens sit discrimen inter utriusque diffusionem et propagationem religionis chrisianae. Differunt enim **a.** latitudine; **b.** duratione, cum utraque illa secta fines, quos semel initio attigit, multum deinde non excesserit, religio vero christiana quovis fere seculo alias atque alias occupaverit regiones; **c.** mediis, illarum enim propagationem multa media mere humana atque naturalia promovebant, ut vis illata, voluptates permissae, spes bonorum temporalium (ecclesiasticorum) et licentioris vitae per promulgatam, quam ajebant, libertatem evangelicam, hominum pronitas ad nova et ad excutiendum auctoritatis jugum etc.; **d.** effectu, neque enim utraque illa secta eos quos pervasit, e vitiorum coeno ad summam provexit sanctitatem, sicut religio christiana gentes domuit barbaras omnemque edocuit virtutem, sed illius propagatio consistebat fere in defectione multorum a fide catholica vel in superstitionis mutatione. Atqui deficere ab uno coetu christiano ad alium vel mutare tantum ritus quosdam externos multo facilius est quam proficere ab idololatria et summa corruptione ad religionem christianam et vitam probam[2]).

---

[1]) Hanc victoriam atque triumphum eloquentissime describit Chrysostomus l. quod Christus sit Deus n. 1. 10. 12 s.; h. 1. in Matth. n. 5 s.; h. 33. n. 4; h. 3. in 1. Cor. n. 5; describunt quoque Hieronymus ep. 107. n. 2. (opusc. t. XI. p. 263); Athanasius or. c. gentes n. 1; de incarn. n. 30 ss. (opusc. XLIV); Prudentius Apotheosis v. 400 ss. (opusc. t. XXXIII) etc. Ut veluti manibus palparemus inefficaciam mediorum humanorum ad explicandam propagationem religionis christianae permisit Deus, ut Julianus apostata superstitionem paganicam omni conatu et sagacitate restaurare niteretur, utens hunc in finem sua auctoritate et exemplo, divitiis et honoribus, disserendi arte et eloquentia philosophorum, minis et promissis, poenis et praemiis etc., nullo tamen solido exitu.

[2]) Cf. infra n. 441; Storchenau l. c. t. 7. diss. 6; Döllinger, Die Reformation t. 1., ubi testimonia ipsorum coryphaeorum reformationis adducit, qui vel de tristibus reformationis fructibus queruntur, vel causas mere naturales indicant (cf. ex. gr. Bucerus de regno Christi, Basileae 1551. pag. 35., ib. t. 2. pag. 54) illius celeris propagationis; in primis Janssen Geschichte des deutschen Volkes t. 2. 4. Vere scribere potuit Erasmus ep. ad Vulturium Neocomum: „Circumspice populum istum evangelicum et observa, num minus illic indulgeatur luxui, libidini et pecuniae, quam faciunt ii, quos detestamini. Profer mihi quem istud evangelium ex commessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego

120. **Thesis XVIII.** ***Argumentum ex admirabili religionis christianae propagatione confirmatur ejusdem religionis mediis in saevissimis tempestatibus diuturna conservatione et invicta constantia.***

Demonstratio. Argumentum hoc similis fere est formae cum praecedenti[1]). Ut vero illius appareat vis, considerentur **1.** religionis christianae, et ut statim rem in concreto consideremus, Ecclesiae catholicae hostes; in ejus exitum conjurarunt judaei, gentiles, haeretici, mohammedani, schismatici, increduli, societates secretae, imo tot filii immorigeri et rebelles. Consideretur **2.** conjurationis amplitudo: nulla enim regio, nullum fidei christianae dogma, ritus, institutum, praeceptum, ab impugnatione fuit immune; omnia Deo permittente acerrimae impugnationis censuram subiere ac velut per caminum ignis transierunt. Recenseantur **3.** adversariorum arma, quae fuerunt omnis generis eaque efficacissima: potentia, scientia, opes, necnon fraudes, calumniae, mendacia, corruptio et seductio in omni ordine,

---

multos tibi ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores etc.« Merito de novatoribus sec. XVI. repetere possumus, quae exprobat jam Tertullianus de praescr. n. 42. (opusc. t. IX) haereticis sui temporis, hoc illis fuisse negotium „non ethnicos convertendi, sed nostros evertendi.« Deby Die eine wahre Kirche § 19. De propagatione sectae mohammedanae bene disputat Petrus ven. tr. adv. judaeos c. 4. Mig. 189, 589. 594.

[1]) Praeclare Chrysostomus ad primum illustrandum argumentum comparationem instituit inter diffusionem humani generis rapidam per orbem et diffusionem religionis christianae, eaque instituta infert unum fuisse utriusque auctorem. »Quemadmodum, inquit expos. in Ps. 147. n. 4., cum dixisset in principio: *Crescite et multiplicamini et replete terram* (Gen. 2, 28), universam terram sermo pervasit; ita et postea: *Ite et docete omnes gentes* (Matth. 28, 19), et: *Praedicabitur Evangelium hoc in toto mundo* (ib. 26, 13), atque ipsos etiam fines orbis terrae brevi momento temporis jussus ejus occupavit.« Ad alterum vero illustrandum confert Chrysostomus in l. quod Christus sit Deus n. 13. verba Salvatoris: *Aedificabo Ecclesiam meam* (Matth. 16. 18) cum verbis: *Fiat coelum* (seu firmamentum Gen. 1, 6). Quae enim stabilitas firmamenti, haec et Ecclesiae est. Ita et auctor anonymus s. 2. in Genesim (inter op. spuria Chrysostomi in Migne patrol. graeca 56, 525): „Duo verba pronunciavit Dominus: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* etc. Non est usus magno verborum ambitu: non dixit: Firmabo Ecclesiam et nec reges, nec principes, neque tyranni, neque sapientes, neque rustici, neque oratores superabunt Ecclesiam: nam invictum et inexpugnabile est regnum Christi; verum uno verbo vim et potentiam declaravit ac simplici dictione promissionem munivit: *Super hanc petram* etc. Duo verba, non nuda et tenuia verba, sed Dei verba. Nam qui verbo coelum firmavit et terram fundavit verbo, etiam Ecclesiam aedificavit.« Denique ad illustrandum argumentum, quod sequenti exponemus thesi, provocat Chrysostomus l. c. n. 13. ad verba Dei (Gen. 1, 11): *Germinet terra herbam virentem* etc.

vis aperta, insidiae atque machinationes secretae. Ratio habeatur **4.** procellarum internarum, quae vel solae civitatem alioquin inexpugnabilem, regnum etiam munitissimum concutere, evertere, perdere possunt. Ejusmodi procellae sunt oborientes haereses, schismata, dissidia de capite i. e. pontifice legitimo etc. Hisce procellis internis adde **5.** pericula ruinae naturaliter inevitabilis domestica oborta ex ignavia et corruptione, quae magnam subinde membrorum partem invasit ex malis exemplis officiorumque neglectu pastorum, quos sal terrae esse oportebat. Quae vero **6.** fuere religionis christianae arma? Sola plerumque patientia. Destituebatur enim principum protectione aliisque mediis naturalibus ad impetus repellendos, malum pro malo reddere ei non licebat. Perpendatur **7.** impugnationis diuturnitas, cum ea sit ab incunabulis ad nostros usque dies religionis christianae, speciatim Ecclesiae catholicae comes, et quidem perpetua, cum nullum seculum, decennium forte nullum assigari possit, quo ipsa ubique pace sit gavisa.

121. Quis vero **8.** hujus impugnationis exitus? Laetissimus plane. Quamvis enim religio christiana pressa saepe gemuerit interitumque innumerorum filiorum integrarumque provinciarum non raro deploraverit, e pugna tamen putata vegetiorque prodiit atque ruinas mox aliis in regionibus reparans, inimicis interim deficientibus et tabescentibus refloruit, ejusque dogmata et instituta comprobata sunt aurum purissimum, adeo ut evidenter impletum cernatur: *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* „Hoc enim Ecclesiae proprium est, inquit Hilarius[1]), ut tunc vincat, cum laeditur; tunc intelligatur, cum arguitur; tunc obtineat, cum deseritur.“ Nisi ergo effectum admittere velimus sine causa adaequata, cum vires contra religionem christianam exsertae viribus humanis et naturalibus sane majores fuerint: dexteram agnoscamus Omnipotentis suam coelitus protegentis Ecclesiam.

122. Confirmatur argumenti vis triplici consideratione, si scil. **1.** comparationem ineamus inter christianam religionem et tot scholas vel philosophica systemata, aliaque instituta humana; Ecclesiam catholicam inter et tot imperia olim florentissima atque potentissima, quae pro insita sua mutabilitate nullo fere impugnante hoste senuerunt demumque collapsa sunt, dum Ecclesia virescit semper et juvenescit, atque secundum substantiam semper manet immutabilis. Advertatur **2.** religionem christianam, speciatim Ecclesiam catholicam non diffundi per unam tantum provinciam vel regionem, sed latissime suos extendere fines gentesque indole, cultu, moribus maxime differentes, saepe inter se inimicas, sinu suo complecti,

---

[1]) De Trin. l. 7. n. 4.

neque tamen hanc elementorum varietatem diversitatemque conservationi ejus adversari. Consideretur **3.** haec impugnatio seu potius odium, in quo ea radicatur, aliquantum attentius, est enim phaenomenon unicum adeo et singulare in suo genere, ut nequeat naturaliter explicari. Est enim odium **a.** universale subjective et objective i. e. omnium eorum, qui non sunt christiani, contra omne, quod est proprium hujus religionis; est **b.** perenne, comes religionis chrisianae inseparabilis; est **c.** intensum et quam maxime efficax, non theoreticum, sterile, sed se prodens omni quo se odium manifestari potest modo; est **d.** hoc etiam sensu singulare, quod simile odium non reperiatur adversus alias sectas licet malas, licet impias, licet irrationales. Tale odium non viget adversus judaismum, mohammedanismum, buddhismum, paganismum etc. Caret vero **e.** ratione sufficienti, neque enim religio christiana ulli infert damnum, pertransit vero benefaciendo (cf. n. 120 s.; 313). Quare aliter explicari nequit hoc odium, ut ita dicam, phaenomenale, seu odii mysterium nisi admisso principio malo et rebelli, quale illud docet ipsa religio christiana, contrarium et inimicum Deo, quod omne quod est Dei adversatur, odit, persequitur, et ad idem odium homines sibi obsequentes excitat. Hoc admisso omnia naturaliter explicantur, sed simul etiam merito concluditur, religionem christianam talis odii objectum, esse veram, sanctam, ideoque coelestis originis.

123. *Exceptio ex aliarum sectarum conservatione.* — Neque opponatur diuturna conservatio religionis judaicae, superstitionis mohammedanae aliarumque sectarum. Seposita enim religione judaica, cujus conservatio potius inservit probandae religionis christianae veritati specialique Dei providentiae est adscribenda (cf. n. 51), aliarum sectarum diuturnitas multum distat a constantia religionis christianae: haec enim **a.** illis latius patet; praeterea **b.** ea semper degit inter bella, illae profunda ut plurimum pace perfruuntur; **c.** ipsa plerumque destituitur protectione humana, qua illae fruuntur foventurque; Ecclesia **d.** juvenescit impugnata suamque servat a potestate politica independentiam: illae vero se accommodant potestati politicae eique blandiuntur ideoque nationales fieri solent, senio vel internis dissidiis deficiunt atque collabuntur, et speciem corporis languentis et pene jam emortui prae se ferunt. Merito proinde ex invicta religionis christianae, in primis Ecclesiae catholicae constantia origo illius coelestis divinaque auctoris Christi virtus infertur.

124. **Thesis XIX.** ***Quemadmodum pulcherrima hujus mundi species, quae chaos excepit, sapientissimi Dei conditoris gloriam enarrat: ita evidens humani generis ex vitiorum colluvie in melius per religionem christianam transformatio opus annunciat Spiritus faciem terrae renovantis.***

Demonstratio. Ad argumenti vim percipiendam consideretur **1.** ingens morum corruptio omnisque ordinis subversio, quae tempore adventus Christi ubique gentium viguit, cujus testes sunt non solum apostoli[1]), non solum patres, ut Tertullianus[2]), Cypria-

---

[1]) Rom. 1, 24 ss.; 1. Cor. 6, 9 ss. etc. [2]) Apol. cc. 9. 15. 46 s.

nus[1]), Minucius Felix[2]) etc., sed vel ipsi scriptores gentiles[3]). Consideretur **2.** evidens innovatio subsecuta in omni ordine, intellectuali, sociali, maxime morali, quaeque se prodidit eximia virtutum cultura, cujus facti testes sunt non solum **a.** patres[4]), verum **b.** ipsi etiam gentiles, qui passim fassi sunt de christianis accusatis, quod Pilatus de Christo, se nullam in ipsis sive mortis sive poenae causam invenire[5]). Huc referri quoque possunt gentilium accusationes, quod christiani abstinerent a spectaculis, pompis, ludis circensibus etc. Quapropter **c.** confidenter Tertullianus, ad acta provocans, judicialia, praesidibus romani imperii dicere potuit[6]): „Vestros jam contestamur actus, qui quotidie judicandis custodiis praesidetis . . . de vestris semper aestuat carcer; de vestris semper metalla suspirant: de vestris semper bestiae saginantur, de vestris semper munerarii noxiorum greges pascunt. Nemo illic christianus, nisi hoc tantum (i. e. non propter aliud crimen, quam quod fidem profiteatur christianam), aut si et aliud, jam non christianus (aut si est ibi propter aliud crimen, certe jam defecit a fide christiana).“ Et ad Scapulam Africae praesidem scribens affirmat, christianos non aliunde esse noscibiles, quam de emendatione vitiorum[7]). Huc spectat **d.** admiratio gentilium, si quando audirent christianum aliquem esse fraudulentum, immitem etc., ut idem testis est[8]).

125. Verum **3.** considerentur singulares aliquae virtutes, quas non quomodocunque sed gradu heroico exercebant tot christiani. Quas inter eminent **a.** castitas angelica, quam plurimi colebant et quidem nobilissimis ex familiis virgines, quae tormenta ipsamque mortem praeferebant, spretis etiam splendidis licitisque nuptiis, potius quam eam violari paterentur. „Multi quidem, inquit Justinus de hoc argumento praeclare disserens[9]), et multae annos 60 et 70 nati, qui a pueris Christi disci-

---

[1]) Ep. 1. n. 6 ss. [2]) In Octavio c. 28 ss.

[3]) Cf. Nourry in diss. ad Tertulliani Apologetic. c. 13. a. 4. 5; Döllinger passim in op. Heidenthum und Judenthum.

[4]) Abstinebimus in re evidenti ab afferendis patrum testimoniis, sed legantur inter opuscula a nobis edita ep. ad Diognetum cc. 5. 6; Minucii Felicis Octavius cc. 31 ss. (t. XV), Tertulliani Apolog. c. 36 ss. (t. XIX) et Augustini l. de moribus Ecclesiae catholicae cc. 31 ss. (t. XXVII).

[5]) Cf. Epistol. 97. l. 10. Plinii ad Trajan. in opusc. t. XIX. p. 217. et Graniani ad Hadrianum imp. apud Eusebium H. E. l. 4. c. 8.

[6]) Apol. c. 44. [7]) Cap. 2; cf. Apol. c. 3. [8]) Ad nationes l. 1. c. 1.

[9]) Apol. I. n. 14. Ne opponantur virginibus christianis virgines vestales; nam **1.** hae fuerunt paucae, illae innumerae; **2.** harum virginitas fuit honoribus et commodis compensata, illarum vero injuriis et martyrio exposita; **3.** harum virginitas non fuit perpetua; poterant post certum exactum tempus inire matrimonium, illarum fuit perpetua; **4.** harum virginitas fuit coacta ac poenis custodita, illarum vero plane spontanea omnique seductioni exposita. De quo discri-

plina imbuti sunt, incorrupti perseverant, talesque in omni genere hominum monstraturum me profiteor. Quid enim innumerabilem eorum multitudinem dicam, qui ex lascivia sese receperunt atque haec (pudicitiae praecepta) didicerunt?« Refert vero Tertullianus[1]), virgines christianas magis timuisse, si ad lenones quam si ad leones damnarentur. **b.** Patientia heroica mediis in saevis tormentis et persecutionibus adeo, ut fideles Salvatorem imitati, cum pro acceptis injuriis possent ulcisci, nunquam vel manum levaverint vel os suum aperuerint in persecutores, sed potius pro his oraverint[2]). **c.** Amor inimicorum, quo et pestis tempore curam gesserunt gentilium teste Dioysio[3]), et qui se prodidit eleemosynis etiam gentilibus exhibitis, unde vel ipse Julianus apostata hanc caritatem commendare suisque in exemplum proponere non dubitavit[4]): »Quid causae est . . . cur non potius convertamus oculos ad ea, quibus christianorum religio crevit i. e. ad benignitatem in peregrinos, ad curam ab illis in mortuis sepeliendis positam et ad sanctimoniam, quam simulant? Non turpe profecto est, cum nemo ex judaeis mendicet et impii galilaei (intelligit christianos) non suos modo, sed nostros quoque alant?« **d.** Perseverantia invicta, licet expositi essent omni seductioni pessimisque circumdati exemplis.

126. Consideretur **4.** hoc phaenomenon toties fere esse repetitum, quoties primum advecta est religio christiana terris barbaris, ut in America, Indiis, imperio sinensi, Japonia etc., atque hanc mutationem in melius quandoque fuisse subitaneam, ut baptizati jam alii essent a se[5]). Consideretur **5.** speciatim series sanctorum, quos quovis seculo quavis orbis terrarum plaga religio christiana protulit quosque magnos illustresque fuisse adversarii negare nequeunt. Excelluerunt siquidem studio veritatis, ingenii sagacitate, simulationis fraudisque odio, probitate vitae morumque candore. Quis vero putet fraudem, deceptionem, errorem parem esse talibus effingendis viris, quos veritas, quam sibi vindicant religionis christianae osores, nunquam efformare potuit? Et quomodo Deus illis inspiravit tantum virtutis studium et denegavit veritatis cognitionem? Quod si **6.** religio christiana non semper et ubique tam evidentem effecerit morum mutationem, si non omnes reddiderit sanctos tam illustres, negari tamen nequit, illius sequelam esse cultum, gentesque christianas esse cultas: e contra populos quo magis ab ea desistunt, eo magis esse incultos vel eo pronius in morum corruptionem recidere. Neque mirum. Elevat enim religio

---

mine disserunt Ambrosius l. 1. de virgin. c. 4; ep. 18. n. 11 s. et Prudentius adv. Symmachum l. 2. v. 1054 ss. Cf. Nourry diss. de M. Felicis Octavio c. 10. a. 1. et c. 18. a. 4; Weiss, Apologia t. 1. diss. 16.

[1]) Apol. c. 50. n. 176.

[2]) Apol. I. n. 16. Cf. Tertullianus ib. c. 37.

[3]) Apud Eusebium H. E. VII, 22. [4]) L. 10. ep. 97.

[5]) Quod de se testatur s. Cyprianus ep. 1.

christiana hominis dignitatem, promovet familiae bonum, ordinat et perficit relationes sociales inter homines, inter subditos et praesides, inter divites et pauperes (n. 97. 313), excitat virtutis studium proposita efficacissima legum sanctione (n. 98) ostensoque nobilissimo vitae exemplari (n. 94). Atqui nobilitatis membris, familia omnique ordine sociali, nequit non efflorescere ordo socialis cultusque communis. Consideretur 7. nullum unquam exstitisse imperium, sectam, scholam philosophicam, quae similem in melius innovationem effecerit, talem tantamque reportaverit victoriam de vitiis, cupiditatibus, affectibus natura in corde humano tam alte insitis[1]; in religione vero christiana id efficere amorem erga illum, qui quondam dixit (Jo. 12, 32): *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Quibus omnibus expensis haud immerito tam evidens in melius emendatio confertur cum creatione: ideoque sicut haec opus est Excelsi, ita et illa effectus censeri debet non virtutis humanae, sed ejus, in cujus manibus corda sunt hominum. „Divinitatis testes sunt, infert jure Origenes[2]), tot ecclesiae hominum,

---

[1]) Quare confidenter Lactantius ita gentiles div. instit. l. 3. c. 26. alloquitur: „Quod ergo illi (philosophi) poscente natura faciendum esse senserunt, sed tamen neque ipsi facere potuerunt, neque a philosophis fieri posse viderunt, sola haec efficit doctrina coelestis, quia sola sapientia est. Illi scil. persuadere cuiquam poterunt, qui nihil persuadent etiam sibi? aut cujusquam cupiditates oppriment, iram temperabunt, libidinem coërcebunt, cum ipsi et cedant vitiis et fateantur plus valere naturam? Dei autem praecepta, quia et simplicia et vera sunt, quantum valeant in animis hominum, quotidiana experimenta demonstrant. Da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effraenatus: paucissimis Dei verbis tam placidum quam ovem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem: jam tibi eum liberalem dabo, et pecuniam suam plenis manibus largientem . . . Tanta divinae sapientiae vis est, ut in hominis pectus infusa matrem delictorum stultitiam uno simul impetu expellat: ad quod efficiendum non mercede, non libris, non lucubrationibus opus est. Gratis ista fiunt, facile, cito; modo pateant aures et pectus sapientiam sitiat. Nemo vereatur: nos aquam non vendimus, nec solem mercede praestamus. Dei fons uberrimus atque plenissimus patet cunctis; et hoc coeleste lumen universis oritur, quicunque oculos habent. Num quis haec philosophorum aut unquam praestitit aut praestare si velit potest? Qui cum aetates suas in studio philosophiae conterant, neque alium quemquam neque seipsos (si natura paululum obstitit) possunt facere meliores. Itaque sapientia eorum, ut plurimum efficiat, non excidit vitia, sed abscondit. Pauca vero Dei praecepta sic totum hominem immutant et exposito vetere novum reddunt, ut non cognoscas eundem esse.“ Cf. Chrysostomus hom. 8. ed. Mig. 63, 501; Gerdil, Discours sur la divinité de la religion chrétienne, que l'église qui forme des saints est la seule église de J. C., opp. ed. rom. t. XX.

[2]) Adversus Celsum l. 1. n. 47. Cf. praeterea n. 26. 27. 31; Chrysostomus hom. 8. in Matth. n. 4 s.; hom. 36. in acta apost. n. 2; Augustinus de vera relig. c. 3 ss. Legatur Storchenau l. c. t. 5. diss. 9.

qui a vitiorum colluvie aversi conditori se totos addicunt et in omnibus illi placere student." „Quis enim dixerit, animadvertit ipse verissime (ib. 11, 50) deceptione effici, ut emendetur vita et malitia quotidie magis ac magis minuatur?"

126[a]. **Scholion.** Liceat nobis hic aliud cum praecedenti connexum motivum pro veritate christianae religionis adducere. Sicut scil. mysterium odii, quo Christi adversarii ipsum ejusque sanctissimam prosequuntur religionem, veritatis est argumentum (n. 123): ita et singularis amor, quem Christus in se excitavit promeruitque, ejus originem coelestem, imo et divinitatem probat. Considerentur enim attentius hujus amoris **a.** latitudo, accendit enim innumeros omnis nationis, conditionis, ordinis, aetatis viros et feminas; **b.** longitudo, durat enim inexstinctus per undeviginti secula; **c.** altitudo, tenerrimus enim est se prodens omni virtutum studio, divitiarum effusione in eleemosynas, sui per vota oblatione et immolatione, jugi obsequio, animarum zelo, sanguine ipso; **d.** profunditas, quum nullae mundi deliciae, carnis et sanguinis necessitudines, seculi blandimenta, bonorum terrenorum splendor, tormentorum minae mortisque terrores eum in quam plurimis enervare, nedum eradicare potuere. Consideretur **e.** Christum nihil proponere quod passiones cieat vel iis blandiatur, cum eas potius abnegare jubeat eisque bellum indicere. Advertatur **f.** neminem virorum illustrium, quos stupet mundus, vel umbram talis amoris in se provocasse, sed metum, admirationem, ad summum quorundam gratitudinem, et haec post eorundem mortem plerumque cessasse vel decrevisse; amorem vero in Christum post ejusdem mortem majora semper cepisse incrementa. Quare in Christo non fuit humanitas tantum, licet quam maxime exculta et perfecta, nedum fraus, deceptio, simulatio, quae tale tantumque in hominum cordibus ad terrena, carnalia, sensibilia adeo pronis tam puri spiritualisque excitavit amoris incendium, sed vis quaedam coelestis, ipsa divinitas, quae corda humana inflammavit amore adeo insolito viribusque naturalibus superiore.

127. **Thesis XX.** ***Ingens martyrum numerus invictaque eorum in tormentis constantia, testimonium censeri debet authenticum veritatis illius Ecclesiae, quam sanguine suo irrigarunt.***

Demonstratio. Ad vim argumenti[1]) perspiciendam considerationi subjiciatur **1.** ingens numerus martyrum omnis aetatis, sexus, conditionis, nationis, quem antiquitatis monumenta satis testantur; **2.** tormentorum crudelitas, quam non solum scriptores christiani, verum etiam gentiles testatam reliquerunt. Ita Tacitus (Annal. XV, 44): „Quaesitissimis poenis (Nero) affecit . . . quos vulgus christianos appellabat," quas dein describit. Semper et ubique fere repeti poterant, quae de suis martyribus referunt ecclesiae viennensis et lugdunensis in praeclara epistola ad fratres per Asiam et Phrygiam constitutos[2]):

---

[1]) Cf. diss. nostra: Martyrum sanguis vox veritatis, opusc. IV, 143 ss.

[2]) Apud Eusebium H. E. l. 5. c. 1. et opusc. XIII., in quo martyrum

„Et gravitatem quidem ipsam, inquiunt, aerumnarum et gentilium adversus sanctos furorem ac rabiem, quaeque et quanta beati martyres perpessi sunt, nec nos exprimere dicendo, nec quisqam scribendo complecti accurate possit. Omni siquidem virium impetu in nos irruit adversarius.“ Consideretur **3.** incredibilis martyrum virtus et animi fortitudo, quam testantur eorundem acta.

128. „Latrones et robusti corporis viri, scribit Lactantius[1]), ejusmodi lacerationes perferre nequeunt: exclamant et gemitus edunt, vincuntur enim dolore, quia deest illis *inspirata patientia.* Nostri autem (ut de viris taceam) pueri et mulierculae tortores suos taciti vincunt; et exprimere illis gemitum nec ignis potest. Eant romani et Mutio glorientur aut Regulo, quorum alter necandum se hostibus tradidit, quod captivum puduit vivere; alter ab hostibus deprehensus, cum videret se mortem vitare non posse, manum foco injecit, ut pro facinore suo satisfaceret hosti, quem voluit excidere, eaque poena veniam, quam non meruerat, accepit. Ecce sexus infirmus et fragilis aetas dilacerari se toto corpore urique perpetitur, non necessitate, quia licet vitare si vellent, sed voluntate, quia confidunt Deo.« Verum non constanter solum atque fortiter, sed prompte etiam, alacriter hilariterque saevissima tormenta tolerabant. Unde Tertullianus scribit[2]): „Neminem pudet, neminem poenitet nisi pristinorum (eorum quae cum nondum esset christianus gessit). Si denotatur, gloriatur; si trahitur, non subsistit; si accusatur, non defendit; interrogatus confitetur, damnatus gratias agit.«

129. Considerentur **4.** martyrii adjuncta: prudentissima scil. martyrum responsa secundum verba Christi praedicentis[3]): *Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri;* tranquillitas et hilaritas animi, humilitas et modestia, salutaris timor ortus ex cognitione propriae infirmitatis, junctus tamen cum fiducia in Dei auxilium, libertas qua obibant mortem etc. Vere obtinuit illud, quod belle s. Augustinus ita expressit[4]): „Quomodo ampullae unguentorum, quanto magis frangebantur, tanto amplius odor diffundebatur.“ Hic vero virtutum apparatus maxime commendat martyrium christianum arguitque absentiam furoris fanatici, obstinatae pertinaciae, vanae gloriae, superbiae etc., ex quibus subinde oritur illorum constantia, qui etiam pro errore sanguinem suum fundunt. Consideretur **5.** hujus facti constantia. Sicut enim Ecclesiae nunquam defuere virginum lilia, ita semper quovis seculo, quavis mundi plaga ea exornata fuit martyrum rosis horumque sanguine ir-

---

acta selecta continentur, quibus haec egregie confirmari possunt; Victor vitensis hist. persec. vandal. l. 1. n. 2 s.; l. 5. n. 2 ss. opusc. XXII. Cf. Gallonius de ss. martyrum cruciatibus, Romae 1594. in 4.

[1]) L. 5. c. 13. [2]) Ad nat. l. 1. c. 1; Apol. c. 1. n. 6.

[3]) Luc. 21, 15; Matth. 10, 18 ss. [4]) Serm. 273. n. 5.

rigata; neque minor patiendi alacritas et virtus martyrum ex. gr. japonensium fuit, quam confessorum Ecclesiae recens natae fortitudo.

130. Jam vero hoc sanguinis effusi testimonium vocem esse veritatis authenticam, patet **1.** ex effectu, cum revera martyrum constantia innumeros ad fidem christianam amplectendam permoverit, ita ut martyrum sanguis vere semen christianorum dici potuerit.

Quare Tertullianus, apologiam religionis christianae absolvens, sic romani imperii antistites alloquitur[1]): „Cruciate, torquete, damnate, atterite nos; probatio est enim innocentiae nostrae iniquitas vestra .... Nec quidquam tamen proficit exquisitior quaeque crudelitas vestra: illecebra est magis sectae. Plures efficimur, quoties metimur a vobis: semen est sanguis christianorum.“ Habet ergo martyrum sanguis vim persuadendi singularem, non minorem miraculis, longe majorem verbis philosophorum eloquentissimis. „Multi apud vos, advertit ad rem Tertullianus, ad tolerantiam doloris et mortis hortantur, ut Cicero in Tusculanis, ut Seneca in Fortuitis, ut Diogenes, ut Pyrrhon, ut Callinicus, nec tamen tantos inveniunt verba discipulos, quantos christiani factis docendo. Illa ipsa obstinatio, quam exprobatis, magistra est. Quis enim non contemplatione ejus concutitur ad requirendum, quid intus in re sit? Quis non ubi requisivit, accedit; ubi accedit, pati exoptat, ut totam Dei gratiam redimat[2]).“ Eodem hoc jam usus argumento auctor antiquissimus epistolae ad Diognetum scribit[3]): „Non vides (christianos) objectos feris, ut abnegent Dominum, et non vinci? Non vides, quo plures supplicio afficiantur, tanto majorem fieri numerum reliquorum? Haec non videntur ab homine fieri; haec sunt Dei potentia, haec adventus ejus sunt indicia.“

131. Patet **2.** ex ipsa rei natura, ut Lactantius advertit[4]): „Nam cum videat vulgus dilacerari homines variis tormentorum generibus, et inter fatigatos carnifices invictam tenere patientiam, existimat, id quod res est, nec consensum tam multorum, nec perseverantiam morientium vanam esse, nec ipsam patientiam sine Deo cruciatus tantos posse superare.“ Sane **3.** nulla potest assignari causa naturalis, qua factum tam universale loco et tempore, tam stupendum, tam inauditum sufficienter possit explicari.

Non spes lucri, ut manifestum est; non inanis gloriae cupido, „quam bene norant a religione nostra proscribi, ut animadvertit Perrone[5]), per

---

[1]) Cap. 50. n 176. Probandi vim habet hoc argumentum etiam exinde, quod in ejusmodi persecutionibus evidenter adimpleta fuerint tot Christi vaticinia Joan. 15, 18; 16, 2: *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo;* ib. v. 33; Act. 1, 8: *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judaea et Samaria et usque ad ultimum terrae*; Matth. 10, 16 ss. etc.

[2]) L. c. n. 177. [3]) Cap. 7. opusc. XV. [4]) L. 5. c. 13.

[5]) Praelect. theol. t. 1. p. 1. c. 3. pr. 5. n. 425. Ceterum de insufficientia causarum naturalium ad explicandum martyrium christianum cf. Balmes Briefe an einen Zweifler, 5. Br., et Storchenau: Die Philosophie der Religion t. 5.

quam omnem martyrii fructum amisissent; plures in speluncis ac silvis vel fame perierunt, vel a feris devorati sunt, a nemine cogniti nisi a solo Deo. Infamia publica notati erant; plures conglobatim occisi vel combusti erant, adeo ut certi essent sua nomina ad posteritatem perventura minime esse. Denique magis a gloriae cupidine quam a gladio vel ab igne sibi timebant.« Non respectus humanus, qui potius contrarium suasisset et fortiter erat vincendus, nam ipse potius est qui innumeros ad defectionem inducit; non patriae amor, quam in mundo non habebant, coelum patriam arbitrantes. Non mentis furor, quem fanatismum vocant; hunc enim abfuisse evincunt tot virtutes, quibus martyres ornabantur, in primis pax animi mentisque tranquillitas, prudentia in responsis, humilitas, diffidentia de sua virtute ac non intermissae ad Deum preces, de quibus supra egimus. Non inanis exspectatio bonorum futurorum. Non diffitemur quidem, martyres spe gloriae coelestis vehementer fuisse impulsos ad fortiter subeunda tormenta, ut liquet ex eorum actis; tantae tamen constantiae cum omnibus adjunctis illis, quae expendimus, fides inanis et erronea causa esse non potuisset. Potest quidem esse, et revera saepe est opinio erronea conjuncta cum pertinacia, haec vero cum constantia et fortitudine etiam admiranda; quamdiu tamen error et vitium radix et fons esse nequeunt virtutum solidarum, virtutum heroicarum, virtutum adeo sublimium, ut earum vel umbram frustra apud philosophos ethnicos quaeras: persuasio erronea non sufficit ad explicandum martyrium, quale illud in Ecclesia fuisse per tot secula ostendimus. Cum ergo martyrum constantia ex causis naturalibus nequeat explicari, maneat illatio, quam jam sec. II. ecclesia smyrnensis in aurea epistola de martyrio sancti episcopi sui Polycarpi hisce verbis enunciavit n. 2: »Eorum (martyrum) strenuitatem ac tolerantiam et erga Dominum caritatem quis non admiretur? qui flagris quidem adeo lacerati, ut ad intimas usque venas et arterias corporis compago spectaretur, tamen sustinuerunt, ita ut etiam qui aderant miserarentur ac plangerent: ipsi vero eo fortitudinis venerant, ut nemo illorum vel strideret vel ingemisceret, omnibus ostendentes, martyres Christi se tunc dum torquerentur a carne peregrinatos fuisse aut potius Dominum ipsis adstitisse et cum ipsis esse versatum.«

132. Hactenus **4.** consideravimus martyrium tantum materialiter, ut factum scil. quoddam stupendum, ad cujus explicationem non sufficiat causa naturalis, requiraturque interventus divinus. Considerari martyres etiam debent formaliter ut sunt testes; quod si hac ratione considerentur, novum accedet gravissimumque huic argumento pro religionis christianae veritate momentum. Sane admirabilis illa martyrum omnis aetatis, sexus, conditionis, nationis ad mortem crudelem usque constantia supponit intimam de veritate et divinitate religionis christianae persuasionem ortam aut ex rationibus

---

disp. 8., qui de hac re fuse, solide et plane egregie disserunt. Merito igitur Montanus martyr, ut legimus in ejus actis n. 14. (opusc. XIII, 164), »haereticorum superbiam et improbam contumaciam retundebat, contestans eos, ut *vel de copia martyrum* intelligerent Ecclesiae veritatem, ad quam redire debeant.«

internis aut ex signis divinis, nominatim miraculis certo cognitis. Atqui oriri non potuit persuasio illa ex rationibus internis: nam, praeterquam quod minimae hominum parti hic modus persuadendi est accommodatus, religio christiana plura complectitur mysteria lumini rationis impervia. Ergo originem duxit martyrium de divinitate religionis christianae ex signis divinis certo cognitis, sicut et aliunde nobis affirmatur: proinde sunt martyres totidem testes etiam oculati, numeri ingentis, generis cujusvis, etiam eruditi, qui catena non interrupta ab aetate Christi per plura secula veritatem signorum religionem christianam illustrantium, miraculorum Christi, apostolorum aliorumque, indirecte saltem, testantur, idque spretis omnibus terrenis bonis, imo susceptis ultro gravissimis malis. Atqui tale testimonium secundum omnes sanae criticae regulas debet censeri validissimum. Quare cum Hieronymo ep. 110. c. 10. concludimus: „Cum quis viderit tanta perseverantia stare martyres atque torqueri, et in suis cruciatibus gloriari, subit tacita cogitatio, quod nisi verum esset Evangelium, nunquam sanguine defenderetur. Neque enim delicata et divitiis studens ac secura confessio est; sed in carceribus, in plagis, in persecutionibus, in fame, in nuditate et siti. Hic triumphus est Dei apostolorumque victoria.“

132[a]. **Scholion.** *Exceptioni satisfit.* — Ad vim vero nostri argumenti infringendam libenter provocant adversarii ad tot heroas, fanaticos, milites, qui pro gloria vel pro errore vel pro patria gravia mala et tormenta fortiter subierunt, quorum tamen fortitudo censeri nequit effectus specialis Dei interventus vel assistentiae. Verum ingens est discrimen inter horum fortitudinem et martyrum virtutem atque patientiam. Sane **1.** occurrit discrimen respectu numeri; nam nulla gens tot heroas, nulla secta tot proferre martyres potest quot Ecclesia numerat. **2.** Martyres Ecclesiae non fuerunt tantum viri robusti, sed puellae et virgines tenerae, mulieres infirmae, provectae aetatis senes. Cf. Min. Felix in Octavio n. 37. opusc. XV, 104. Differunt **3.** tormenta; talibus enim tamque horrendis tormentis, qualia sustinuerunt martyres nostri, nullus vel fere nullus eorum, qui martyribus solent opponi, subjectus fuit. Differunt **4.** alia adjuncta, in primis quod martyres christiani omnium virtutum comitatu suam confessionem ornaverint summaque libertate obierint mortem, non ex more gentis inveterato. Quae si omnia diligenter conferantur expendanturque, omnis heroum, qui opponi solent, fortitudo vix tenuis umbra est illius virtutis et constantiae, quam in martyribus animadvertimus. Longe autem majus discrimen apparet martyres inter et milites, qui fortiter pro patria pugnant occumbuntque gloriose pugnantes. Hi enim **1.** necessitate plerumque coguntur, quam non nisi vel turpi fuga, vel servitute indigna, vel amissione bonorum vel graves subeundo poenas evadere possunt; illi vero tormenta omnia solo verbo nutuque cum summi simul spe lucri effugere potuissent. Milites **2.** non se exponunt morti certae, sed tantum plus minusve probabili mortis periculo, cui quo

animosius se objiciunt, eo facilius plerumque illo perfunguntur: martyres cruciatibus horrendis certaeque morti se offerebant. Militum mors **3.** plerumque est subita, hinc sine vehementi dolore: martyrum prolixa, horrida. Isti **4.** tormenta adibant animo tranquillo, pacifico, absque ullo vindictae studio, absque ira et felle, bene affecti vel erga judices et tortores, ipsis ex animo omnem condonantes injuriam, humiles et de sua virtute diffidentes: milites plerumque in pericula ruunt, ulciscendi studio iraque ardentes, coeco animi impetu abrepti, suis praefidentes viribus. Martyres **5.** nulla spe lucri movebantur; milites amore patriae et suorum, quos fortiter pugnando tuentur, spe praedae, spe gloriae et honoris, spe evadendi periculum alliciuntur; unde liquet immerito militum fortitudinem conferri cum martyrum constantia.

133. **Thesis XXI.** ***Miracula, quae praedicationem religionis christianae comitata sunt, originem ejus coelestem demonstrant.***

Demonstratio. In primis demonstranda est historica horum miraculorum veritas: de eorum enim veritate sive philosophica sive relativa eadem fere repeti possunt, quae diximus de Christi miraculis. Igitur veritas historica miraculorum probatur testimonio plane authentico omni exceptione majori. Referuntur siquidem **1.** a testibus numero plurimis, fide ob vitae sanctitatem famamque doctrinae plane dignis, qui plerumque ea facta propriis oculis usurparunt. Huc spectat daemonum expulsio ex obsessorum corporibus sola invocatione nominis Christi effecta, cujus testes sunt tot fere patres, quot pro religionis christianae apologia aliquid scriptum reliquere.

„Haec autem, quae dicimus (de Christo), inquit Athanasius[1]), non in solis verbis consistunt, sed ipsa etiam experientia praeclarum veritati dat testimonium. Accedat itaque quisquis voluerit ac virtutis insignia in Christi virginibus necnon in adolescentibus, qui castimoniam profitentur, immortalitatisque fidem in tanto Christi martyrum choro contempletur. Veniat et quisquis ea, quae diximus, experiri cupit, atque in mediis ipsis daemonum praestigiis et oraculorum fallaciis ac magiae prodigiis signo crucis, quae apud ipsos ludibrio est, utatur solumque Christum nominet, mox videbit, quam cito per ipsum fugentur daemones, cessent oracula, ars omnis magica veneficiaque evanescant. Quis itaque quantusque ille est Christus, qui suo nomine ac sua praesentia omnia usquequaque obscurat et delet, solusque ceteris omnibus fortior est atque universum orbem sua doctrina replet?«

---

[1]) De incarn. Verbi n. 48. Cf. innumera hac de re patrum testimonia in dissert. nostra: Daemon vel invitus testis veritatis, opusc. I, 105 ss. et annot. opusc. XI, 128 s. Quare Hilarius l. 11. de Trin. n. 3. scribere potuit: „Non enim negari jam Christus, quin Christus sit, potest, neque mundo ignorabilis effici. Hunc prophetiae volumina consignant, hunc temporum quotidie proficiens plenitudo testatur, hunc apostolorum et martyrum per virtutum operationes loquuntur sepulchra, hunc potestas nominis sui probat, hunc immundi spiritus confitentur, hunc punitorum daemonum resonant mugitus.«

134. Referunt **2.** non factum unum alterumve, sed plurima[1]); quamobrem Irenaeus: „Non est, inquit[2]), numerum dicere gratiarum, quas per universum mundum Ecclesia a Deo accipiens in nomine Chr. Jesu crucifixi sub Pontio Pilato, per singulos dies in opitulationem gentium perficit.“ Et iterum[3]): „Quemadmodum et multos audivimus fratres in Ecclesia prophetica habentes charismata, et per Spiritum universis linguis loquentes et abscondita hominum in manifestum producentes ad utilitatem et mysteria Dei enarrantes.“ Referunt **3.** facta non secreta, sed maxime publica, quaeque inspectante toto populo contingebant. Huc spectat praeter daemonis expulsionem celebre illud miraculum, a pluribus testibus oculatis relatum, quo plurimi confessores africani propter intrepidam fidei catholicae confessionem ab Hunerico vandalorum rege lingua radicitus mutilati expedite loquebantur[4]). Referunt **4.** facta publica adeo certa et indubia, ut patres in suis adversus gentiles, incredulos, haereticos disputationibus confidenter ad ea provocent.

„Edatur hic aliquis, ait Tertullianus, sub tribunalibus vestris, quem a daemone agi constet. Jussus a quolibet christiano loqui spiritus ille, tam se daemonem confitebitur de vero (vere), quam alibi Deum de falso (fallaciter). Aeque producatur aliquis ex his, qui de Deo pati existimantur . . . nisi se daemones confessi fuerint christiano mentiri non audentes, ibidem illius christiani procacissimi sanguinem fundite. Quid isto opere manifestius? quid hac probatione fidelius? simplicitas veritatis in medio est; virtus illi sua assistit; nihil suspicari licebit. Magia aut aliqua ejusmodi fallacia fieri dicetis, si oculi vestri et aures permiserint vobis . . . Haec denique testimonia deorum vestorum christianos facere

---

[1]) Ita Augustinus de civit. Dei l. 22. c. 8. scribit: „Si miracula sanitatum, ut alia taceam, ea tantum velim scribere, quae per hunc martyrem i. e. gloriosissimum Stephanum facta sunt in colonia calamensi et in nostra, plurimi conficiendi sunt libri etc.;“ serm. 286. n. 7., serm. 323. n. 3. Basilius de Spir. sancto c. 29. n. 74. de Gregorio Thaumaturgo disserens testatur: „Omnino perlongum fuerit viri percensere miracula: qui propter donorum excellentiam, quae in ipso operabatur Spiritus in omni virtute et signis ac prodigiis, ab ipsis veritatis hostibus alter Moyses appellabatur.“ Lege omnino s. Nicetii ep. 1. ad Clodosvindam reginam longobardorum Migne 68, 377; Petavium dogm. theologic. de incarnat. l. 14. c. 13; Thomassinum de incarnat. l. 12. c. 3.

[2]) L. 2. c. 32. n. 4. [3]) L. 5. c. 6. n. 1.

[4]) Refertur hoc miraculum a Victore vitensi hist. persecutionis vandalicae l. 5. n. 6, qui eo relato prosequitur: „Sed si quis incredulus esse voluerit, pergat nunc Constantinopolim, et ibi reperiet unum de illis subdiaconum Reparatum sermones politos sine ulla offensione loquentem.“ Refertur quoque ab Aenea gazensi, Marcellino in chronico ad a. 484., Gregorio M., Procopio, ipso Imperatore Justiniano, Isidoro hispalensi etc., quorum testimonia habes opusc. XXII, 223 ss.

consuerunt; quam plurimum illis credendo, in Christo Domino credimus. Ipsi literarum nostrarum fidem accendunt, ipsi spei nostrae fidentiam aedificant [1]).«

135. Imo **5.** quandoque vel ipsi gentiles veritatem talium factorum contestantur, ut Marcus Aurelius et quidem publicis literis, teste Tertulliano[2]); Celsus[3]) et Ammianus Marcellinus[4]), qui refert phaenomena illa mira, quibus judaei a reparando templo hierosolymitano praepediti fuere. Haec denique **6.** miraculorum veritas comprobatur ipso eventu, quo nixus Augustinus[5]) ex ipsa populorum fide infert: „Si per apostolos Christi, ut eis crederetur resurrectionem atque ascensionem Christi praedicantibus, etiam ista miracula facta esse non credunt, hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quod eam terrarum orbis sine ullis miraculis credidit.“ An forte non est stupendum miraculum, si ingens multitudo hominum omnis conditionis, aetatis, nationis, inter quos plurimi viri eruditi, amplectitur religionem veritates incomprehensibiles praeceptaque difficillima complectentem, spretis mundi commodis, innixa sola rudium virorum praedicatione, qui nullam sibi sive reddita ratione sive editis miraculis conciliassent auctoritatem? Quare concludendum est, religionem illam, quam tot comitantur ornantque miracula, non aliam habere originem, quam ipsa miracula, coelestem scil. atque divinam.

136. **Scholion.** *Quare rarius nunc fiant miracula.* — Cum miraculorum veritas historica adeo sit certa, ut negari nequeat, quin aequo jure facta omnia historica in dubium liceat revocare: nil quod alicujus sit momenti, contra hoc argumentum opponi poterit. Praetermittenda tamen non est quaestio, quare nunc non amplius miracula fiant, ut nonnulli contendunt; hinc enim inferunt, neque olim patrata fuisse miracula. Verum opponimus **1.** aliam esse conditionem nascentis propagandaeque Ecclesiae, aliam Ecclesiae jam propagatae, adultae, quae ipsa sua canitie, populorum consensione, virtutum cultura aliarumque dotum splendore tantae exsistat auctoritatis, ut citra miracula conciliare sibi possit fidem. Quo sensu dixit Gregorius M.: „Haec necessaria in exordio Ecclesiae fuerunt. Ut enim fides cresceret, miraculis fuerat nutrienda, quia et nos cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra jam convaluisse videamus, et si semel radicem fixerint in rigando cessamus [6]);« et s. Thomas c. gentes I, 6: „Haec tam mirabilis mundi conversio ad

---

[1]) Apol. c. 23. n. 93; cf. c. 37. 43. 46.

[2]) Apol. c. 5. Cf. annot. opusc. XIX. p. 36. et Huber Geschichte der Einführung und Verbreitung des Christenth. in Südostdeutschland 1, 45 ss.

[3]) Apud Originem l. 1. n. 6. [4]) L. XXIII, 1. cf. n. 93.

[5]) De civit. Dei XXII, 5. 8; cf, Chrysostomus hom. 1. in acta n. 4; h. 6. in 1. Cor. n. 2; Origenes l. c. I, 38. 46; Thomas c. gentes I, 6.

[6]) H. 29. in Ev. n. 4; cf. supra verba Augustini n. 86.

fidem christianam indicium certissimum est praeteritorum signorum, ut ea ulterius iterari necesse non sit, quum in suo effectu appareant evidenter. Esset autem omnibus signis mirabilius, si ad credendum tam ardua et operandum tam difficilia et ad sperandum tam alta mundus absque mirabilibus signis inductus fuisset a simplicibus et ignobilibus hominibus.« Adde **2.** miracula vim probandi exserere quatenus facta sunt extraordinaria admirationemque excitant: illorum vero utilitati multum decedere, si citra necessitatem nimis frequenter contingerent. **3.** Falsum tamen est, miracula in Ecclesia penitus cessasse, cum et nunc temporis haud raro contingant, et Ecclesiae mira inter tot procellas conservatio, vaticiniorum sive V. T. sive ipsius Christi per seculorum cursum adimpletio continuum et palpabile sit miraculum[1]). Ceterum **4.** etiamsi maxima modo patrarentur miracula, vix probabile est, incredulos illis multum commovendos fore. Semper enim invenirent, quae contra ea exciperent. *Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent* (Luc. 16, 31). Si Christi miraculis adeo certis non credunt, neque miraculis credent, quae coram ipsis fierent[2]).

137. **Thesis XXII.** ***Factum revelationis non videtur 1. dici posse evidens, tamen 2. plane certum est, ideoque 3. revelatio ipsa evidenter est credibilis; quare 4. evidens quoque est obligatio, qua homines ad fidem eidem exhibendam obstringuntur.***

Declaratio. In hac thesi crisin quodammodo instituemus demonstrationis hucusque exhibitae, ejusque valorem ac pretium determinabimus. Prius tamen adverti debet, certitudinem esse firmum mentis assensum veritati propositae exhibitum, motivum vero formale hunc assensum determinans esse ipsam veritatem se manifestantem. Porro veritas duplici modo se manifestat: vel tanta claritate, quae mentem ad assensum rapiat;

---

[1]) Cf. Augustini verba n. 104. Ita etiam Chrysostomus l. quod Christus sit Deus n. 17: »Nihil horum apud te commemorans, signa, inquam, et miracula, ut ex abundanti omnem impudentis linguae furorem compescam; ea quae nunc videntur, quae prae omnium oculis posita sunt, quae sole clariora, quae ubique in toto orbe dispersa, quae universum occupant mundum totamque excedunt naturam, gesta, quae unius Dei sunt, ea, inquam, in medium adduxi. Quid dicis? Non suscitavit mortuos? Num illud etiam dicere potes, ecclesias in orbe non esse? An dicas, insidiis non esse appetitas, non superasse, nec victoriam reportare? At quemadmodum dici non potest; solem non esse, sic neque haec dici possunt. Quid ergo? annon vides judaici templi ruinam in totius orbis conspectu positam?« Provocare deinde merito licet ad mira prodigia, quae continuo in Galliae sanctuario, quod Lourdes appellatur, contingunt, quorum veritatem historicam sive philosophicam nullus incredulorum hactenus potuit in dubium merito revocare.

[2]) En quid Rousseau in op. Lettres écrites de la Montagne l. 3. p. 142. (Amstelodami 1764. t. 1) disserens de miraculis de se fatetur: „Au reste, quelque frappant que pût me paroître un pareil spectacle (resuscitationis mortui), je ne voudrois pour rien au monde en être témoin; car que sais-je ce qu'il en pourrait arriver? Au lieu de me rendre crédule, j'aurois grande peur qu'il ne me rendît que fou!«

vel ea claritate, quae mentem non quidem cogat ad assensum, attamen sufficientem rationem eidem suppeditet ad prudenter assentiendum. Quod si primum obtinet, certus assensus ab evidentia determinatur; si alterum, assensus quidem certus esse potest, sed non habetur sine influxu voluntatis; unde liquet, certitudinem **1.** latius patere evidentia; nam omnis evidentia certitudinem parit, sed non quidquid est certum, est etiam evidens. Ad haec **2.** certitudo est firma mentis adhaesio cum exclusione omnis dubii saltem prudentis: ubi vero adest evidentia, excluditur non solum dubium prudens, sed et imprudens et indeliberatum; dubium omne funditus exstirpatur; unde cum sumus **3.** certi, intelligimus rem ita se habere, ut affirmatur; evidentia insuper ostendit, rem aliter se habere non posse. Idcirco **4.** evidentia ad assensum rapit, determinat vel invitum; ubi vero ea deest et tantum adsunt motiva paria ad gignendam certitudinem, ut haec actu gignatur plus minusve bona requiritur voluntas[1]).

138. **Demonstratio p. I.** Revelationis factum non esse evidens, saltem non ea evidentia, quam n. praeced. descripsimus, non ex motivorum et demonstrationis defectu, sed propter mentis nostrae angustias, **1.** gravium theologorum est sententia, qui docent fidem non fore amplius liberam, si revelationis factum esset evidens[2]). Cujus assertionis ratio est haec: actus fidei in specialia dogmata v. gr. in ss. Trinitatis mysterium resolvi potest in hanc formam: quidquid Deus revelat, verum est, quae propositio est evidens. Atqui Deus revelavit se esse unum et trinum. Ergo Deus est unus et trinus. Jam vero

---

[1]) Cf. de hoc discrimine Kleutgen Theolog. d. Vorz. tom. ult. n. 209 ss.; Franzelin in append. de habitudine rat. hum. ad div. fidem c. 1. § 2. in tr. de div. trad.

[2]) Cf. Suarez de fide disp. 3. sect. 8; disp. 6. sect. 6; Kleutgen l. c. n. 241 ss.; Denzinger Vier Bücher von der religiösen Erkenntnis l. 4. n. 32. Quod si aliqui theologi tuentur revelationis factum esse evidens, ut Antoine theol. univ. tr. de fide div. s. 1. a. 3., Mazzella de virt. infusis disp. 3. a. 7. etc., loquuntur de evidentia laxiori sensu accepta et advertunt **1.** ad eam evidentiam habendam requiri specialem attentionem et ingenii sagacitatem ideoque non esse omnium; **2.** eam esse aliam ab evidentia rationalium veritatum et factorum, quae est quasi naturalis et rationi consona, cum non versetur circa mysteria creditu tam difficilia, quorum incomprehensibilitas semper moratur intellectus assensum exigitque voluntatis impulsum; ideoque **3.** eam non esse parem ad exstinguenda dubia saltem imprudentia. Etiamsi **4.** extorqueat assensum, actum tamen fidei manere liberum et in genere, quod ea evidentia non sit fidei motivum sed auctoritas Dei, cui se homo ex pio et libero affectu subjicit assensu super omnia propter ipsam in ea sistendo, non attendendo amplius ad evidentiam, et in specie circa singula mysteria. Quod si cui sententia haec arrideat, non multum repugnabimus, cum parum intersit sive affirmetur evidentia facti revelationis sive negetur (admissa tamen summa ejusdem certitudine), dummodo defendatur hinc quidem fidei libertas (physica), inde vero evidens obligatio eandem amplectendi. Erit lis de verbo, non de re.

si propositio subsumpta seu praemissa minor revelationis factum enuncians pariter esset evidens, evidens foret conclusio; evidentiae autem est proprium ad assensionem vel invitum determinare [1]). Ergo necessario pro vero haberetur ss. Trinitatis mysterium, quod fidei libertati adversatur. Idem **2.** testatur unicuique propria experientia. Neque enim ita ad amplectendum revelationis factum determinamur, ut opus non sit bona voluntate et quandoque magna voluntatis energia ad spernenda dubia, quae in nobis insurgunt, et ad vincendas difficultates, quae se opponunt, quaeque promptam intellectus assensionem remorantur. Idem probatur **3.** ex ipsa natura demonstrationis allatae, quae ad formam scientificam redacta haud parum est complexa et quam plurima supponit[2]): quo vero magis complexa est aliqua demonstratio et quo plura supponit, eo rarius est evidens, tum ob mentis nostrae angustias, cujus lux quo pluribus distenditur, eo minoris est intensionis; tum propter dubii saltem imprudentis possibilitatem, quae crescit in ratione directa numeri veritatum et factorum, quae ad demonstrationem praesupponi debent.

139. **Demonstratio p. II.** Revelationis factum, licet non sit evidens, esse tamen certum et certitudine quidem ea, quae excludat omne dubium prudens, patet ex omnibus argumentis ad illud probandum allatis[3]), contra quae **1.** nullum dubium prudens moveri po-

---

[1]) Haec est ratio, quare quaedam facta ab hominibus revelata vel inviti vera credamus, quia evidens nobis est multorum hominum conspirationem certis in adjunctis veritatis esse criterium, et evidens nobis pariter saepe est talis hominum conspiratio seu factum conspirationis, ut ex. gr. circa Americae exsistentiam.

[2]) Ita ex. gr. argumentum ex vaticiniis messianis supponit genuinitatem eorundem, integritatem usque ad nostra tempora, versionem interpretationemque legitimam et certam, veritatem eorum, quae de Christo in Evangeliis leguntur etc. Jam vero quot dubia, quot difficultates subinde haud leves contra singula haec supposita proponunt infideles, quantum excitant pulverem, ut horum evidentiam obfuscent?

[3]) Haec synopsi veluti complexus est Pius IX. in literis incycl. 8. Nov. 1846: „Sed quam multa, quam mira, quam splendida praesto sunt argumenta, quibus humana ratio luculentissime evinci omnino debet, divinam esse Christi religionem et omne dogmatum nostrorum principium radicem desuper ex coelorum Domino accepisse (Chrysostomus hom. 1. in Is.), ac propterea nihil fide nostra certius, nihil securius, nihil sanctius exstare, et quod firmioribus innitatur principiis. Haec scilicet fides vitae magistra, salutis index, vitiorum omnium expultrix ac virtutum fecunda parens et altrix, divini sui auctoris et consummatoris Christi Jesu nativitate, vita, morte, resurrectione, sapientia, prodigiis, vaticinationibus confirmata supernae doctrinae luce undique refulgens ac coelestium divitiarum ditata thesauris, tot prophetarum praedictionibus, tot miraculorum

test, eaque tantum opponi solent, quibus serio admissis veritas quaevis historica subverteretur. Quapropter **2.** illorum pondere permoti innumeri homines docti, qui sana ratione caruisse diligentemque neglexisse inquisitionem injuria dicerentur, fidem christianam sunt amplexi spretis omnibus praejudiciis, neglectis omnibus objectionibus in contrarium, victis omnibus difficultatibus internis externisque. Et revera **3.** tantae sunt firmitatis, ut secundum Richardum a s. Victore „cum omni confidentia Deo dicere possimus: Domine si error est, a te ipso decepti sumus, nam ista in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt et talibus, quae nonnisi per te fieri possunt[1]." Sane **4.** si vel semel concedatur de revelationis christianae veritate prudens dubium, vere desperandum esset de inventione veritatis et religionis, tristissima foret generis humani conditio, diffidendum de Dei bonitate, sapientia et providentia permittente invicibilem ejusmodi errorem et fraudem tam fallacem.

140. **Demonstratio p. III.** Si de revelationis facto certo constat, revelationem objectivam seu veritates revelatas dici posse et debere evidenter credibiles[2]), facile probatur. Sane credibile illud dicitur, quod prudenter credi potest. Atqui evidens est, illud prudenter admitti seu credi, cujus revelationem divinam tot comprobant argumenta, quae omne prudens dubium excludunt eamque licet non evidentem, certam tamen reddunt. Tali enim certitudine omnis fides, qua tota nostra vita regitur, fundata nititur: imo imprudentissime et impie ageremus, si certitudine non contenti, evidentiam semper postularemus. Tunc enim periret filialis pietas, amor conjugalis, unio socialis, cum nec filii evidenter cognoscant, quinam eorum sint parentes, nec conjuges evidentia fruantur de mutua fide, nec cives de mutua probitate, sed tantum certitudinem, persaepe tantum probabili-

---

splendore, tot martyrum constantia, tot sanctorum gloria vel maxime clara et insignis, salutares proferens Christi leges ac majores in dies ex crudelissimis ipsis persecutionibus vires acquirens, universum orbem terra marique, a solis ortu usque ad occasum, uno crucis vexillo pervasit, atque idolorum profligata fallacia, errorum depulsa caligine triumphatisque cujusque generis hostibus, omnes populos, gentes, nationes, utcunque immanitate barbaras, ac indole, moribus, legibus, institutis diversas, divinae cognitionis lumine illustravit atque suavissimo ipsius Christi jugo subjecit, annuncians omnibus pacem, annuncians bona. Quae certe omnia tanto divinae sapientiae ac potentiae fulgore undique collucent, ut cujusque mens et cogitatio vel facile intelligat, christianam fidem Dei opus esse." Quod si quis quaerat, unde ergo tot increduli, si revelationis factum adeo sit certum, ea recolat, quae ad similem difficultatem respondimus annot. 3. ad p. 71.

[1]) De Trin. l. 1. c. 2.

[2]) Cf. infra conc. vatic. n. 143.

tatem habeant[1]). Evidens ergo est, prudenter credi posse revelationi divinae, cujus factum, licet evidens non sit, certum tamen est ea certitudine, quae omne dubium prudens excludat.

141. **Demonstratio p. IV.** Veritates revelatae non solum sunt evidenter credibiles, sed etiam evidenter credendae, evidens scil. est hominis obligatio amplectendi revelationem seu credendi veritates revelatas, quam primum ipsi certo constiterit de revelationis facto. Nam **1.** evidens est, hominem obligari ad credendum Deo revelanti fidemque ab eo exigenti (ut infra ostendemus); evidens quoque est **2.** Deum non teneri revelationem suam reddere homini ita evidentem, ut omne dubium etiam imprudens exstinguat: sed sufficit, ut id praebeat omne, quod ratio jure merito exigere possit ad prudenter credendum. Si enim homo citra laesionem sive pietatis sive honoris fidem aliis hominibus recusare nequit, etiamsi de eorum veracitate vix certitudinem, plerumque tantum probabilitatem quandam, fere nunquam evidentiam habeat; a fortiori revelationi divinae evidenter credibili ad se directae citra laesae majestatis divinae crimen fidem denegare non licebit. Atqui ostendimus p. praecedenti revelationem christianam objective spectatam seu veritates revelatas esse evidenter credibiles; evidens ergo est obligatio, qua homines ad eas fide amplectendas obstringuntur, seu evidens est eas esse credendas. Merito proinde dici potest, revelationem tantum habere luminis, ut fides illi exhibita sit prorsus rationalis et prudens; tantum vero obscuritatis, ut libera simul maneat et meritoria.

142. **Corollarium I.** Demonstrata veritate religionis christianae sponte sua consequitur *cujuslibet alterius religionis* ab hac dissonae

---

[1]) Cf. Augustinum de utilitate credendi n. 23 ss. (opusc. VI) aliorumque patrum doctrinam in annot. ibid. subjecta. Iterum ad rem scribit Augustinus in l. de fide rerum, quae non videntur, n. 4: „Si auferatur haec fides (humana innixa testimonio hominum) de rebus humanis, quis non attendat, quanta earum perturbatio et quam horrenda confusio subsequatur? Quis enim mutua caritate diligetur ab aliquo, cum sit invisibilis ipsa dilectio, si quod non video, credere non debeo? Tota itaque peribit amicitia, quia nonnisi mutuo amore constat. Quid enim ejus poterit ab aliquo recipere, si nihil ejus creditum fuerit exhiberi? Porro amicitia pereunte neque connubiorum neque cognationum et affinitatum vincula in animo servabuntur, quia et in his utique amica consensio est etc.“ Quae bene ostendunt, homini, ut aliquid prudenter facere possit, non semper sectandam esse evidentiam, ac proinde eam neque ad fidem esse necessariam. Discrimen tamen aliquod est inter hanc et obligationem amoris, pietatis aliarumque bonarum actionum, quod ad fidem prudentem de revelatione certo constare debeat, dum ad servandas virtutes sufficiat persaepe probabilitas, eas hic et nunc obligare vel meritorie posse exerceri, qua de re alias (n. 616 ss.).

falsitas, scil. gentilis, judaicae prouti nunc est et quatenus opponitur christianae, mohammedanae etc.: neque necesse erit data opera singulas refellere.

143. **Corollarium II.** *In Ecclesia catholica vera est Christi religio.* — Negari non potest, inter tot coetus, qui Christi nomine gloriantur, non solum dissensionem esse circa ritus, verum etiam circa ipsam doctrinam. Cum autem admitti nequeat, Christum veritates inter se pugnantes docuisse proindeque omnes illos coetus veram sinceramque ejus doctrinam possidere: ulterius erit investigandum, quinam ex tot coetibus ille sit, in quo pura atque integra doctrina Christi reperiatur, seu quinam sit illa Ecclesia, quam divinus Salvator supra petram aedificavit (Matth. 16, 18), cui suam suique Spiritus in aeternum assistentiam promisit (Joan. 14, 16. 26). Jure autem meritoque inferemus, veram Christi religionem reperiri in illo coetu, cui prae ceteris conveniunt quinque illi radii manifestantes divinam hujus religionis originem (n. 112). Atqui hi comitantur illum coetum tantum, qui vel solo apposito catholici quovis seculo a reliquis secernebatur et a quo omnes alii coetus lapsu temporis defecerunt. Ille enim est, qui tam rapide crevit et quidem per conversionem gentilium ad fidem Christi, non autem per defectionem ab Ecclesia praeexsistente, ut sectae reliquae omnes; ille est, qui immotus manet et invictus inter tot procellas per duodeviginti jam secula. Ille quovis seculo alias atque alias gentes ex barbarie ad mores humanos et saepe vere angelicos promovit; ille semper rutilat martyrum sanguine et Spiritus sancti gloriatur charismatibus et miraculis. Merito proinde docet conc. vaticanum sess. 3. cap. 3: „Ad solam catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita.“

144. Qua illatione utens ita ad rem scribit Augustinus[1]): „Multa sunt, quae in ejus gremio me justissime tenent; tenet consensio populo-

---

[1]) Contra ep. Manichaei, quam dicunt Fundamenti c. 4. Cf. etiam de utilit. cred. c. 17: „Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus (in Ecclesia catholica), dubitabimus nos ejus Ecclesiae condere gremio, quae usque ad confessionem generis humani ab apostolica sede per successiones episcoporum, frustra haereticis circumlatrantibus, et partim plebis ipsius judicio, partim conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare vel summae profecto impietatis est, vel praecipitis arrogantiae. Nam si nulla certa ad sapientiam salutemque animis via est, nisi cum eos rationi praecolit fides; quid est aliud ingratum esse opi atque auxilio divino, quam tanto labore (f. robore) praeditae auctoritati velle resistere?“ Cf. etiam c. 7. praesertim n. 19. Bene advertit cl. Perrone, nullum fere esse argumentum, quod heterodoxi urgere valeant

rum atque gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata; tenet ab ipsa sede Petri apostoli . . . usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum; tenet postremo ipsum catholicae nomen, quod non sine causa inter tam multas haereses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes haeretici se catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus haereticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot et tanta nominis christiani carissima vincula recte hominem tenent credentem in Ecclesia catholica, etiamsi propter nostrae intelligentiae tarditatem vel vitae meritum veritas nondum se apertissime ostendat.«

145. **Scholion.** Expedita religionis christianae demonstratione haud inutile erit, quaedam monuisse *de modo, quo cum incredulis agendum sit.* Non tam **1.** fidendum est scientiae, arti dialecticae et eloquentiae, quam orationi instandum, virtus, mansuetudo in primis, exercenda. Quamobrem doctissimus Du Perron dicere solebat: »Hos (a fide catholica alienos) si convinci cupitis, ad me perducite: at conversos si desideratis, mittite ad Franciscum de Sales, genevensem episcopum.«

146. Cognoscendum **2.** sedulo est, quid affirmet adversarius, quidque neget, de quo dubius haereat, ut sciamus **a.** unde incipiendum sit. Plerumque autem patebit, eum vel de primis dubitare principiis, de exsistentia Dei deque immortalitate animi, quamvis forte id aperte fateri prae pudore non audeat. Vix enim fieri potest, ut quis serio et ex animo admittat Dei exsistentiam animique immortalitatem, et de revelationis exsistentia dubitet vel eam etiam neget. Juverit **b.** id nosse, ut in disputationis processu contradictionis convincatur; incredulis enim contingere solet, ut sibi contradicant, negent, quod prius concesserint, cum ad angustias rediguntur: nam eorum assertiones veritate non nituntur, sed pro ratione saepe stat voluntas. Inde **c.** etiam patebit eorum levitas; libenter enim de iis ex tripode pronunciant, quae ne norunt quidem; quare ad ipsorum ora obtundenda saepe nil magis opportunum est, quam eos interrogare, quid illud sit, quod tam audacter rejiciunt, v. gr. quid nomine miraculi, infallibilitatis romani pontificis, conceptionis immaculatae b. Mariae V. etc. intelligant.

147. Non sunt **3.** dure tractandi, non acriter increpandi, non contemptim de eorum sententiis et rationibus est loquendum, sed potius, cum sint miseratione digni, placide sunt curandi indulgenterque habendi[1]); et

---

ad christianismi defensionem, quod non pugnet adversus illos pro Ecclesiae catholicae veritate.

[1]) Praeclarum exemplum praebet in primis Augustinus in suis scriptis adversus fidei catholicae hostes. Cf. ex. gr. l. de util. credendi (opusc. VI) praesertim c. 9. Petrus Damiani in opusc. 2. antilogo contra judaeos (Mig. 145, 41) ita praecipit: »Cum quis de hoc negotio (de fide tuenda) litem movet, admonendus est, ut non contumeliae jurgio vel superbiae typho contendentem exasperet, sed ejus mentem caritate benevola et patientissima gravitate demulceat, quatenus lapideum cor, quod effusa amaritudine deterius poterat obdurescere, modesta verborum dulcedo ad credendum forsitan valeat emollire. Hinc est quod idem Apostolus ad Timotheum cum praemisisset: *Stultas autem et sine disciplina*

cum incredulitatis radix vel fomentum saepe sit superbia, atque de sua intelligendi vi confidentia, qua incredulus jus sibi arrogat de quacunque re pronunciandi sententiam: omni studio satagendum erit, ut rationis suae sentiat imbecillitatem et angustias, atque ita pronius revelationis utilitatem, convenientiam, necessitatem percipiat. Quod facile consequemur provocando ad tot secreta et mysteria, quae vel in visibili rerum natura, quam manibus palpamus, occurrunt; ad dubia, dissensiones, incertitudinem philosophorum circa res summi momenti, rerum originem, hominis destinationem, alteram vitam, Deum etc. (cf. th. IV).

148. Nec inutile erit **4.** aperire malam fidem incredulorum, quorum cavillationibus forte seductus est is, quocum colloquimur. Si enim agitur de miraculis alioque facto, quo revelationis exsistentia comprobetur, ne millenis quidem credunt testibus; si vero refertur aliquid, quod putent adversari revelationi, licet improbabile, licet manifesto falsum et absurdum, unus etiam sufficiet testis, in cujus verba jurabunt. In explicanda origine hominis a simia nullam inveniunt difficultatem, omnia per se patere affirmant; sed dogma catholicum, secundum quod omnes homines ab uno descendunt hominum pari, impossibile censent. Quare? quia ita docet revelatio! Si haec contrarium statueret, id quod modo contendunt esse impossibile, evidenter possibile mox decernerent. Ad explicandam lapidem in cochlearis formam excavatum exigunt hominis intelligentiam, ut inferant invento tali instrumento in terrae stratis abdito, humani generis aetatem remotissimam contra Scripturae auctoritatem; ad explicandam vero ordinatissimam rerum universitatem plane sufficiens est casus, nulla requiritur superior intelligentia, nempe ipsorum sapientia judice. Quod si agitur de historia Ecclesiae catholicae, quam mala fide utuntur in pervertendis factis, confingendis fabellis, diffundendis calumniis! Vix puto reperiri incredulum, qui, si non mala fide, nimia saltem credulitate, non plurimum peccet, cum agitur de impugnanda revelatione, atque ita saltem ipso facto plerumque sibi contradicat, alia atque alia utens norma in dijudicandis argumentis, quae pro revelatione quaeque contra eandem adducuntur.

149. Proderit **5.** subinde inculcare principia nonnulla, quae licet revelationis factum nondum demonstrent, viam saltem sternant ad eam promptius admittendam. Ejusmodi principia v. gr. sunt: **a.** in plerisque negotiis magni etiam momenti contentos nos esse debere certitudine, injuste postulari evidentiam (n. 140); **b.** imprudens esse propter ignorantiam modi, quo res se habet, rem ipsam negare; **c.** incredulorum argumenta, si urgeantur, nimium probare, cum subvertant omnem certitudinem etc. Qua occasione **d.** indicari poterunt mala, quae consequuntur incredulitatem; quam tristis foret humani generis conditio, si nulla esset revelatio, si vel ipsa religio christiana, quamvis ferax tot bonorum, esset

---

quaestiones devita (2. ep. 2, 23), protinus addidit: *Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum omni modestia corripientem eos qui resistunt, ne quando det illis Deus poenitentiam ad cognoscendam veritatem et resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.*" Cf. etiam monita prudentia Becani in Man. controv. prael. 1.

figmentum tantum atque fraus humana; quam infernali odio increduli insequantur religionem catholicam eamque solam (n. 122).

150. Cognoscere oportet **6.** incredulitatis radices, quae sunt **a.** corruptio morum; quare saepe proderit juveni misere seducto et in profundum incredulitatis delapso in memoriam reducere dies innocentiae, pacem, gaudium, quo tunc fruebatur; quodque non propter diligens solidumque studium fidem abjecerit, sed propter passionum vehementiam, quibus fides ingrata semper et molesta exsistit. **b.** Judicii levitas, quae veritates graves, inquisitionem seriam, studium solidum aversatur, ideoque quavis speciosa difficultate a credendo deterretur libentiusque occupatur studiis physicis, negotiis politicis, curis mundanis, recreationibus quae sensibus blandiantur. Huic opponatur momentum praesentis vitae, damna, quae ex ejusmodi levitate pro altera emergere possent, rationis humanae dignitas, gaudiorum mundanorum vanitas, quae cor hominis non satiant. **c.** Superbia, de qua jam supra egimus, cui mederi possumus provocando ad tot viros doctos, quibus religio catholica abundat, quique post diuturnam accuratamque veritatis inquisitionem illam sunt amplexi strenueque propugnarunt. **d.** Scandala, quae non desunt inter catholicos, data etiam a sacerdotibus, episcopis etc., quibus opponantur tot sancti, tot missionarii, piissimi viri, generosi juvenes et feminae omnis conditionis, aetatis, nationis, qui virtutum exempla praebent etiam heroica. Non pernegentur pertinaciter contra omnem historiae fidem (nisi agatur de casu speciali certe falso), sed excusentur hominum fragilitate, temporum conditione etc.; non enim constat Ecclesia angelis, neque pro his est instituta [1]).

151. **7.** Qui alios ad fidem allicere nititur, abundet credibilitatis motivis ipsorum captui accommodatis, quorum plurima reperiet in eorum vitis, qui suam ad fidem conversionem descripserunt [2]). Caveat **8.** ne in disputatione ab una quaestione transiliat ad aliam, antequam prior ad liquidum sit perducta: hoc enim signum est levitatis et disputationis utilitatem omnem perdit. Incredulis contingere solet, quod oculis aegris, qui ipsa luce offenduntur; quam ob rem si veritas ipsis incipit illucescere, statim alio convertunt mentis considerationem, ne ea inviti capiantur [3]). Insistendum autem est, ut cogantur fateri, se vel errasse vel amplius respondere non posse. Ceterum **9.** cavendum est, ne illos nimis festinanter ad fidem impellere ac quasi cogere velimus, sed patientia est opus, pedetentim inducendi sunt. Inculcandum ipsis est, fidem donum esse Dei, quocirca enixe pro fidei gratia orandum esse, firmiterque sibi persuadeant, non se gratiam facturos Deo ejusque Ecclesiae, si amplectantur fidem catholicam: sed totum commodum inde oriundum suum fore sibique ex corde gratias esse agendas, quod Deus eos in numerum filiorum recipere dignetur.

---

[1]) Cf. Augustinus de catechiz. rud. c. 7. opusc. t. VIII.

[2]) Huc spectant opera plane insignia Rosenthal Convertitenbilder et Raess Die Convertiten seit der Reformation.

[3]) Ad rem de his scribit Hilarius in Ps. 1. n. 2: „Horum omne consilium fluctuans, incertum et vagum est, et in eisdem et per eadem sine ulla consistendi statione defertur, non enim tenet modum definitionis alicujus.“

Tractatus II.

De fontibus divinae revelationis.

152. Demonstrata jam exsistentia et veritate revelationis christianae sponte sua oboritur quaestio, quo veluti canali revelatio pridem completa ad nos usque pervenerit atque conservata sit integra et sincera, sicut a Christo et ab apostolis primitus fuit promulgata, seu quinam sint illi fontes, ex quibus eam haurire possimus. Respondent protestantes, solam sacram Scripturam et fontem esse, ex quo dogmata omnia haurienda sint, et normam regulamque adaequatam, quae ad omnes de fide quaestiones sufficiat et ad quam dogmata omnia exigenda sint atque judicanda[1]). Catholici vero respondent cum Irenaeo[2]): „Non oportet adhuc quaerere apud alios veritatem,

---

[1]) Formula Concordiae p. 570: „Credimus unicam regulam et normam, secundum quam omnia dogmata omnesque doctores aestimari et judicari oporteat, nullam omnino aliam esse, quam prophetica et apostolica scripta cum V. tum N. T.“ Confessio helv. II. c. 2: »Non alium sustinemus in causa fidei judicem, quam ipsum Deum per Scripturam s. pronunciantem, quid verum sit, quid falsum, quid sequendum sit, quidve fugiendum.“ Ecclesia anglicana a. 6: »Scriptura s. omnia continet ad salutem necessaria, ita ut quidquid ibi non legitur, nec possit per eam probari, non debeat ab aliquo exigi ut credatur veluti fidei articulus aut censeri necessarium ad salutem.« Cf. Winer Comparative Darstellung des Lehrbegriffs der verschied. christl. Kirchenpartheien, Leipzig 1837. pag. 29 ss.

[2]) L. 3. adv. haer. c. 4. Quare vero tam facile sit ab Ecclesia haurire veritatem, docet l. 5. c. 20. n. 1: „Et Ecclesiae quidem praedicatio vera et firma, apud quam una et eadem salutis via in universo mundo ostenditur. Huic enim creditum est lumen Dei, et propter hoc Sapientia Dei, per quam salvat omnes homines, in exitu canitur, in plateis autem fiducialiter agit, in summis muris praedicatur, in portis autem civitatis constanter loquitur (Prov. 1, 20). Ubique enim Ecclesia praedicat veritatem, et haec est ἑπτάμυξος lucerna Christi bajulans lumen.“ Simile responsum dedit et Augustinus de util. cred. c. 7 ss. et Tertullianus de praescrip. c. 24; Vincentius lir. commonit. c. 2. (opusc. t. IX). Cf. Scheeben Handbuch der kath. Dogmatik § 7.

quam facile est ab Ecclesia sumere, cum apostoli quasi in depositorium dives plenissime in eam contulerint omnia, quae sint veritatis, ut omnis quicunque velit, sumat ex ea potum vitae. Haec est enim vitae introitus; omnes autem reliqui fures sunt et latrones. Propter quod oportet quidem devitare illos, quae autem sunt Ecclesiae cum summa diligentia diligere et apprehendere veritatis traditionem." Doctrina nimirum vera cum conc. tridentino[1]) statuit **1.**: „Veritatem et disciplinam (omnem et salutarem Christi) contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab apostolis acceptae aut ab apostolis Spiritu s. dictante quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt;" **2.** organum conservationis atque propagationis divinae revelationis seu traditionis et canonis ss. Scripturarum esse perpetuam successionem apostolicam in Ecclesia catholica seu magisterium ecclesiasticum; **3.** veri sensus Scripturarum atque traditionis magistram obortisque dubiis vel controversiis interpretem et judicem authenticum esse Ecclesiam. Quapropter Ecclesiae auctoritas dicitur fidei regula proxima et immediata, Scriptura vero et traditio regula fidei mediata atque remota.

153. Licet autem de his tribus argumentis, de Ecclesia scil., de s. Scriptura deque traditione seorsim vix disputari possit, intime enim cohaerent et a se invicem pendent: gradatim tamen quae de singulis tenenda sunt, evolvemus, incipientes a regula fidei remota, et quidem a traditione divina, cum haec prior sit s. Scriptura, latius pateat, et ipsi Scripturae auctoritatem conciliet.

Sectio I.

De divina traditione.

154. *Traditionis notio.* — Traditio quaecunque, qua aliqua doctrina ad alios propagatur atque transmittitur, ergo etiam traditio, qua conservari et ad alios derivari religionem christianam dicimus, considerari potest tum objective, tum active, tum complexe. Traditio active spectata est ipse actus seu actuum series, qua doctrina seu veritas aliqua ad alios propagatur et traditur; objective spectata est idipsum quod traditur et ad alios derivatur praecisione facta a modo, quo traditur. Traditio complexe sumpta est ipsum objectum cum modo traditionis veluti materia cum sua forma. In theologia autem traditionis nomine intelligitur, doctrina vel institutio ad

---

[1]) Sess. 4. in decreto de canone s. Scripturae.

religionem spectans, quae a majoribus transmissa est Ecclesiae custodienda.

155. *Traditionis partitiones.* — Solet traditio distingui **1.** ratione modi quo propagatur, in scriptam, oralem et practicam; potest enim aliqua doctrina scripto ad alios transmitti, vel ore propagari vel ipsa praxi de patribus in filios derivari. Ratione relationis traditionis oralis ad scriptam (seu s. Scriptura contentam) distinguuntur **2.** traditiones in constitutivas et inhaesivas. Constitutiva ea dicitur, qua doctrinae christianae caput traditur Scriptura sacra non comprehensum; inhaesiva vero, cujus objectum divinis literis quoque continetur. Ratione objecti, quod traditur, distribuuntur **3.** in dogmaticas et disciplinares; ratione durationis **4.** in perpetuas et temporales; ratione loci **5.** in universales et locales; ratione obligationis **6.** in eas quae sunt praecepti, et eas quae sunt consilii. Sed maxime **7.** notanda est distinctio ratione originis, secundum quam distinguuntur in divinas et ecclesiasticas. Utrumque membrum iterum bifariam patet. Traditionum enim divinarum aliae sunt ab ipso Christo institutae et promulgatae, quae vocantur dominicae; aliae ab apostolis sunt promulgatae, sed dictante s. Spiritu, quae dicuntur divino-apostolicae. Hoc discrimen innuit conc. tridentinum verbis supra n. 152. allatis. Traditionum vero ecclesiasticarum aliae profectae sunt ab apostolis, quatenus erant rectores et pastores ecclesiarum, qui pro accepta potestate poterant Ecclesiae disciplinam moderari et pro prudentia sibi divinitus infusa in fidelium commodum leges ferre (cf. 1. Cor. 7, 10. 12), et istae appellantur simpliciter apostolicae; et aliae traditiones institutae sunt ab Ecclesia, quae non dissimili pollet leges condendi auctoritate, et hae dici solent ecclesiasticae. Adverti tamen debet, traditiones apostolicas vel ecclesiasticas quandoque a patribus vocari divinas, eo quod Deus et apostolis et Ecclesiae concesserit ejusmodi auctoritatem; sicut etiam traditiones divinae quandoque appellantur apostolicae vel ecclesiasticae, quia apostoli et Ecclesia illas propagarunt.

156. Patet autem *discrimen inter traditiones divinas et ecclesiasticas;* istae siquidem versantur circa solam disciplinam, ideoque non sunt semper loco vel tempore universales; illae vero etiam circa dogmata. Neque desunt regulae, quibus licet non semper traditiones dominicae a divino-apostolicis (quod nihil refert), traditiones tamen divinae a traditionibus mere ecclesiasticis tuto distingui possint. Si agitur scil. de doctrina fidei vel ejusmodi instituto, quod Deum tantum auctorem habere potest (cujusmodi sunt sacramenta), traditio est vel divina vel nulla i. e. non authentica, cui nulla fides seu obedientia debeatur, cum Ecclesia novam doctrinam non excogitet et proponat. In praeceptis vero et institutis ita comparatis, ut ex indole sua non necessario divinae originis esse intelligantur, sed possint etiam profecta esse ab auctoritate mere apostolica vel ecclesiastica, regulam ad discernendas traditiones ecclesiasticas ab apostolicis suppeditat Augustinus de bapt. IV, 24: „Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.“ Norma autem discernendi traditiones divinas a mere apostolicis in re practica revocatur ad judicium

et sensum Ecclesiae seu antiquitatis christianae: qui sensus inde in primis elucet, si Ecclesia nunquam ausa est aliquid circa illam traditionem mutare aut in ea dispensare, ut ex. gr. circa celebrationem dominicae, circa admixtionem aquae cum vino in eucharistiae celebratione[1]).

157. *Traditionis acceptio propria.* — Quamvis traditio latiori aliquo sensu dicantur a patribus omnia dogmata et instituta ex antiquitate Ecclesiae quocunque demum modo transmissa, etiamsi medium transmissionis fuerit sacra Scriptura: significatione tamen strictiori et specifica nomine traditionis adsignificatur modus transmissionis et conservationis a s. Scriptura diversus; quae significatio nominis ita communis est, ut semper praesumi possit, nisi altera latior in singulis demonstretur contextibus. Primum ultro concedunt protestantes; alterum patet **1.** ex divinis literis, ubi verbum tradere saltem duodecies occurrit in significatione, de qua loquimur, nec nisi semel certo usurpatur promiscue tam de doctrina per Scripturam, quam de altera oretenus tradita, scil. 2. Thess. 2, 14: *Itaque, fratres, state et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram;* in reliquis locis omnibus vel certo vel saltem probabiliter significat traditionem non scriptam[2]). Patres vero **2.** traditionem vel distinguunt a Scriptura, vel cum ea conjungunt ut alterum cognitionis christianae principium ejusdem auctoritatis, vel docent traditionem latius patere Scriptura, ut patebit ex testimoniis passim in hoc tractatu citandis. Cum ergo significatio strictior et specifica longe sit frequentior, merito praesumitur. Licet vero ratione modi traditio plerumque distinguatur a Scriptura sacra, non tamen propterea excluditur omnis scriptio patrum etc. ad eandem doctrinam melius transmittendam et conservandam, sed tantum scriptio auctorum inspiratorum; et hoc tantum sensu dicitur oralis, quod ab apostolis solum ore, non etiam scripto Ecclesiae fuerit proposita: non vero ut significetur eam ore solum semper fuisse propagatam.

158. *Disputationis ordo et divisio.* — Duplici modo potest de traditione quaestio institui. Quaeri scil. potest, utrum praeter Scripturam aliae sint veritates revelatae, et quomodo conservatae illae sint et ad nos usque propagatae: quae via impeditior est. Facilior et magis peremptoria methodus est, si quaeritur: utrum Christus instituerit alium modum, aliud organum praeter Scripturam, quo doctrina et instituta a se ipso vel a Spiritu sancto per apostolos revelata propagarentur ac conservarentur in sua integritate et sinceritate, adeo ut veritates eo

---

[1]) Cf. Bellarminum de verbo Dei l. 4. c. 9., qui quinque regulas proponit; Kilber principia theol. disp· 1. c. 2. a. 3. in theologia wirceburgensi t. 1.

[2]) Cf. Matth. 15, 12 ss.; Marc. 7, 3 ss.; 1. Cor. 11, 2. 23; 15, 3. etc.

transmissae sive scriptae fuerint, sive non fuerint scriptae, verbum tamen sint Dei. Qua quaestione affirmative soluta, quaeri ulterius poterit, utrum revera hoc modo aliqua fuerint transmissa, quae ss. Scripturis a Christi discipulis relictis non contineantur. Nos hunc ordinem sequemur[1]). Disputationem autem in quatuor distinguemus capita, in quorum **1.** determinabimus organum divinitus institutum ad propagandam doctrinam revelatam; in **2.** aliquot indicabimus agnoscendae traditionis quovis seculo in Ecclesia viventis media; in **3.** comparationem instituemus inter traditionem et s. Scripturam; in **4.** denique ad complementum hujus argumenti quaedam doctrinae capita addemus.

Caput I.

De medio divinitus selecto ad conservandam propagandamque doctrinam christianam.

159. **Thesis XXIII.** ***Medium et organum authenticum conservationis et propagationis christianae revelationis est ministerium a Christo institutum; nullatenus vero medium unicum est s. Scriptura, multoque minus fons, e quo omnes et singuli independenter ab authentico visibilique magisterio religionem christianam sibi hauriant.***

Demonstratio. *Argumentum primum.* — Veritas statuta multiplici argumento comprobatur; et primum quidem petitur ex praxi Christi et apostolorum in promulganda doctrina revelata. Sane **1.** Christus conciliata sibi prius multiplici argumento auctoritate, doctrinam suam non scripto, sed viva voce promulgavit. Neque **2.** moriens doctrinae perpetuitati prospexit literis scriptis, quibus figeret doctrinam et praecepta et ex quibus singuli sibi derivarent fidem: sed instituto authentico magisterio, cui suam assistentiam et Spiritus sancti tutelam promisit (n. 161). Pariter **3.** apostoli ecclesias fundarunt evangelium non scriptis, sed oretenus, praedicatione, magisterio propagantes aliosque instituentes, qui ipsorum loco alios iterum instituerent. *Quae audisti a me,* scribit Paulus dilecto suo discipulo Timotheo (2. ep. 2, 2), *per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.* Neque apostoli de scribendo admodum erant solliciti, imo plures nihil plane scripserunt, et qui scripserunt, scripserunt non ad ecclesias condendas, sed ad ecclesias jam constitutas.

---

[1]) Cf. em. card. Franzelin de divina tradit. th. 3. Cum prae ceteris operibus doctissimi hujus theologi nostro judicio illud emineat, quod de divina traditione et Scriptura edidit, illum in primis ducem sequemur, saepe quae ipse fusius evolvit ad compendium redigentes.

Gentiles vero **4.** et judaei non leguntur citra hoc magisterium sola lectione scripturae fuisse Ecclesiae aggregatos. „Cogitemus, inquit Augustinus[1]), centurionem Cornelium, quamvis exauditas orationes ejus eleemosynasque respectas ei angelus nunciaverit, Petro tamen traditum imbuendum, per quem non solum sacramenta perciperet, sed etiam quid credendum, quid sperandum, quid diligendum esset, audiret“ etc. Ita pariter eunuchus ille, qui alioquin diligenter legebat Scripturas[2]), traditus est imbuendus Philippo diacono, ut ib. advertit idem s. doctor. Quare Christus in ultima coena Jo. 17, 20 fideles dicit *credituros per verbum eorum* i. e. apostolorum. Jam vero **5.** nullo modo probare possunt protestantes, hanc oeconomiam post apostolorum mortem cessare debuisse, horumque magisterio vivo substituendum fuisse magisterium solius s. Scripturae; imo omnia suadent, eadem ratione Christi doctrinam etiam in posterum fuisse promulgandam, qua initio fuerit proposita, cum intime sit conserta cum ea Ecclesiae constitutione, quam tam clare libri N. Testamenti ob oculos ponunt.

160. *Secundum argumentum* praebent verba Christi diserta, quae ejus hac in re voluntatem aperte manifestant. Advertatur **1.** Christum nunquam apostolis praecepisse, ut aliquid scriberent, sed semper inculcasse, ut docerent, praedicarent, testes essent: neque apostoli unquam munus scribendi sibi injunctum fuisse significant, sed munus praedicandi. *Vae enim mihi est,* inquit Paulus[3]), *si non evangelizavero.* Atqui credibile non est, Christum omisisse apostolos illud monere, quod ex ejus intentione praecipuum deberet esse medium ad doctrinam suam diffundendam et propagandam. Cujus silentii **2.** vis crescit, quod secundum protestantes nihil debeat admitti, nisi quod ex divinis probetur literis, quibus solis se stare toties asseverant. Probent ergo ex Scripturis hoc Christi consilium, de quo praecipua et fundamentalis est controversia inter nos et ipsos. Confirmatur ejusdem silentii probandi vis **3.** facta collatione inter oeconomiam servatam a Deo in synagoga instituenda et Christi oeconomiam in con-

---

[1]) De doctr. chr. prol. n. 6.

[2]) Act. 8, 27 ss. Legimus quidem de quibusdam, qui erant Thessalonicae, Act. 17, 11: *Susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si haec ita se haberent;* sed manifestum est, factum hoc non esse contra nostram assertionem; nam hi judaei non scrutabantur libros N. T., ut inde eruerent doctrinam Christi, sed profecto libros V. T., ut omnibus rite expensis viderent, utrum Christus esset revera Messias ille a prophetis toties praedictus, et a Paulo nunc ut Messias et auctor novae oeconomiae annunciatus, et an in ipso adimpleta revera essent prophetarum vaticinia, ut ita ad fidem in ipsum inducerentur. [3]) 1. Cor. 9, 16.

denda Ecclesia. Postquam enim Deus voluntatem suam Moysi aperuit, subinde eum jussit scribere[1]): *Scribe tibi verba haec, quibus et tecum et cum Israel pepigi foedus;* et saepe refertur, sedulo Moysen Dei verba consignasse literis[2]), imo ipse Deus perhibetur scripsisse legem[3]). Ad rem ratione hujus differentiae, quae apparet inter V. et N. Testamentum, scribit Chrysostomus[4]): „Non enim apostoli de monte descenderunt tabulas lapideas in manibus portantes sicut Moyses, sed spiritum in mente circumferentes et thesaurum quendam ac fontem dogmatum et charismatum effundentes, ita ubique circuibant libri et legum codices vivi per gratiam effecti.“ Etiamsi vero **4.** protestantes evincerent, et Christum praecepisse apostolis ut scriberent, et apostolos scripsisse, non propterea suum statuerent systema. Nam, non obstante lege Moysis scripta, erat in synagoga magisterium vivum ordinarium sacerdotum et extraordinarium prophetarum, quos Deus temporis cursu excitavit, quorum curae, custodiae, magisterio haec ipsa lex erat concredita: *labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent de ore ejus, quia angelus Domini exercituum est*[5]).

161. *Uberior argumenti expositio.* — Verum expendamus insigniora quaedam testimonia. Ex hisce manifesto consequitur **a.** Christum instituisse apostolos a se selectos suos legatos, quibus detulit munus doctrinam suam praedicandi, promulgandi, diffundendi per orbem. Haec solemnis Christi voluntas et authentica institutio refertur, quod bene notandum, ut res summi momenti ab omnibus quatuor evangelistis[6]) et quidem facta a Christo, cum discessurus esset ex hoc mundo, proinde velut ipsius testamentum. Hujus legationis **b.** *argumentum* est omnis ejus doctrina theoretica et practica; *terminus* omnes gentes; *amplitudo* usque ad ultimum terrae; *duratio* usque ad consummationem seculi. *Data est,* ita Christus Matth. 28, 18 s., *mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes . . . docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi;* et iterum: *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae* Marc. 16, 15; *Eritis mihi testes in Jerusalem, et*

---

[1]) Ex. 34, 27. col. 17, 14.

[2]) Ex. 24, 4; Deut. 31, 9. 24. etc.

[3]) Ex. 24, 12; 31, 18; Deut. 5, 22. [4]) Hom. 1. in Matth. n. 1.

[5]) Mal. 2, 7; Deut. 17, 8 ss.

[6]) Cf. praeter testimonia citanda Luc. 24, 47 ss.; Joan. 15, 26; 16, 13; 21, 15 ss., ubi hujus ministerii et magisterii centrum visibile et vicarium designatur, scil. Petrus. *Omnis enim quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur?* Rom. 10, 13. *Quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes,* 1. Cor. 1, 21. Quibus verbis lex enunciatur universalis et perpetua.

in omni Judaea et Samaria, et usque ad ultimum terrae Act. 1, 8. Et Paulus testatur: *Et ipse* (Christus) *dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei* Eph. 4, 11. Voluit ergo **c.** ut ad consummationem usque seculi sint praedicatores, qui in apostolicum praedicationis munus succederent. Ut vero **d.** essent legati authentici, quibus tuto crederemus et in quibus ipsum audiremus, securos eos reddit jugis suae protectionis omnipotentis atque assistentiae s. Spiritus ducentis eos in omnem veritatem. *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi,* Matth. 28, 20; *Et ego rogabo Patrem et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum,* Joan. 14, 16; *Paracletus autem Spiritus s., quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quaecunque dixero vobis,* ib. v. 26. Quare **e.** mediante hoc ministerio assistentia Christi ejusque Spiritus munito decurrit ex ejusdem voluntate ad omnes gentes et generationes pura, integra et incorrupta revelatio, atque ita impletur praeclarum illud vaticinium (Is. 59, 21): *Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, et de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amodo et usque in sempiternum.* Ideoque nunquam interrupta testium et doctorum series oris et tubi instar est, per quem Deus singulos alloquitur et edocet[1]). Quapropter dictum est: *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit* Luc. 10, 16. Denique **f.** gravissimam adjecit sanctionem, ne quis parvipenderet hanc suam voluntatem institutionemque: *Qui vero* (vobis praedicantibus) *non crediderit, condemnabitur,* Marc. 16, 16.

162. *Tertium argumentum* pro thesi nostra derivamus ex universalitate fidei. Supponimus enim, ex voluntate Christi fidem omnibus nationibus esse annunciandam: *Docete omnes gentes* Matth. 28, 19; *praedicate Evangelium omni creaturae* Marc. 16, 15. Igitur doctrina revelata ea ratione est proponenda, ut omnes sine erroris periculo credere tuto possint. Atqui seclusa revelatione immediata singulis facta, quae tamen in praesenti rerum ordine experientia teste locum non habet, modus propagandi proponendique revelationem omnibus accommodatus nullus est nisi per auctoritatem legatorum Dei, qui in hac sua missione et auctoritate sint facile cognoscibiles.

163. Sane praeter legatorum auctoritatem seu authenticum magisterium hic modus esset vel **1.** demonstratio, qua ad veritatis revelatae cognitionem perduceremur, quae via, ut per se patet, non est omnibus accommodata; vel **2.** propria inquisitio et lectio Scripturarum; sed neque

---

[1]) Cf. Stapleton l. 12. principiorum fidei doctrinalium c. 2; Scheeben Handbuch der kath. Dog. t. 1. § 9. Ad ea, quae opponuntur e vaticiniis, quibus praedicitur omnes fore a Deo ipso in N. T. edocendos etc., opportunius respondebimus in disp. de magisterio ecclesiastico n. 356 s.

haec via omnibus est apta, quod **a.** nondum reperta typographia vix per tot secula adeo multiplicari s. Scripturae exempla potuerint, ut omnibus eadem suppeterent; quod **b.** plerique literas nesciant, ideoque s. Scripturam legere nequeant; quod **c.** etsi legere possent, otio et quiete non fruantur ad legendam prout oportet s. Scripturam; quod **d.** etiamsi haec quae indicavimus non obstarent, eam, praesertim in juventute et antequam christianam cognoscant fidem, absque ullo errore vel erroris suspicione ita intelligere nequeant, ut totam inde puramque hauriant Christi doctrinam. Nam, ut rite advertit Augustinus[1]), »si unaquaeque disciplina, quamvis vilis et facilis, ut percipi possit, doctorem et magistrum requirit: quid temerariae superbiae plenius, quam divinorum sacramentorum libros et ab interpretibus suis nolle cognoscere et incognitos velle damnare?« Vel **3.** haec via esset interna illustratio hominibus, dum Scripturas legunt, concessa; sed praeter quam quod plerique Scripturas sacras ex rationibus allatis legere non possint, haec illustratio esset aut veri nominis revelatio, quae certe quoad singulos locum non habet; aut esset tantum elevatio perceptionis intellectualis ad facilius et salutari modo apprehendendam veritatem revelatam, et haec citra externi magisterii auctoritatem, experientia teste, illusioni undequaque est obnoxia[2]). Vel **4.** haec via saltem pro rudibus est auctoritas doctorum. Quod si protestantes ad hunc modum provocant, turpiter sibi contradicunt[3]); ideo enim Ecclesiae magisterium rejecerunt, ne fides auctoritate humana niteretur. Praeterea supponunt, doctores sibi relictos omnia quae ad fidem spectant, absque errore invenisse in eisque esse concordes, quae gratis, imo, teste experientia, falso supponuntur.

164. *Quartum* haud dissimile *argumentum* colligi potest ex unitate fidei, qua maxime excellere debet coetus fidelium. Haec enim citra magisterium vivum obtineri nequit. Quod sicut jam ex dictis patet, ita alia quoque ratione confirmatur. Tam a priori, consideratis hominum natura intellectusque humani angustiis, multo vero magis expensis Christi apostolorumque praedictionibus[4]), quam a posteriori, ex historia ecclesiastica liquet, inter christianos semper excitari controversias de amplitudine sensuque revelationis. Atqui haec componi

---

[1]) De util. cred. n. 35; cf. supra ejus verba n. 144 annot.

[2]) Cf. Kleutgen Theol. der Vorz. vol. ult. n. 171 ss.

[3]) Sicut etiam in aliis. Spernunt magisterium Ecclesiae authenticum nunquam interrupta pastorum serie per tot secula tam venerandum, ejusque loco substituunt magisterium plane humanum omni missione (nisi forte politica) destitutum, in se dissonum, cujus subjectum sunt persaepe laici, magistratus politici fide destituti.

[4]) *Surgent pseudochristi et pseudoprophetae* Matth. 24, 24; 18, 7; *oportet et haereses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis,* 1. Cor. 11, 19; *Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur*, 2. Tim. 4, 3. etc.

non possunt, nisi adsit tribunal vivum, cui conservatio et custodia revelationis sit commissa. Quod suadet **1.** analogia et inductio; nulla siquidem est societas ordinata, in qua ejusmodi tribunal desit, cui concredita sit custodia et interpretatio legum. Idem patet **2.** ex eo, quod quamvis Scriptura sacra norma possit esse et sit, secundum quam judicetur: ipsa tamen non loquitur, multo minus judicat, quando utraque pars eam sibi vindicat et pro se explicat et quaestio sit, cui ea faveat. Ad dirimendam autem controversiam necesse est, ut judex ita pronunciet sententiam, ut utraque litigantium pars certo sciat quid dixerit.

165. Hinc **3.** jam Tertullianus praeclare ostendit[1]), neque posse neque debere solis Scripturis componi controversias, tum quia **a.** ejusmodi disputationes prohibet Apostolus Tit. 3, 9. 10; tum quia **b.** carent fructu; tum quia **c.** auditoribus sunt damno. „Quid promovebis, inquit c. 17., exercitatissime Scripturarum, cum si quid defenderis, negetur; ex diverso, si quid negaveris, defendatur? Et tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentione: nihil consequeris, nisi bilem de blasphematione.“ Ideoque c. 19. infert: „Ergo non ad Scripturas provocandum est, nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut par incertae:“ sed „Ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est: quibus competat fides ipsa, cujus sint Scripturae, a quo et per quos et quando et quibus sit tradita disciplina, qua fiunt christiani? Ubi

---

[1]) De praescr. c. 15 ss. Ad rem Vicentius lirinensis commonit c. 2. scribit: „Hic forsitan requirat aliquis: cum sit perfectus Scripturarum canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est, ut ei ecclesiasticae intelligentiae jungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam sacram pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur; ut pene quot homines sunt, illinc sententiae erui posse videantur. Aliter enim illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonius; aliter Photinus, Apollinaris, Priscillianus; aliter Jovianus, Pelagius, Coelestius; aliter postremo Nestorius. Atque idcirco multum necesse est propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticae et apostolicae interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur.“ Cf. quae infra ex haereticorum agendi ratione c. 25 ss. (opusc. IX. 223) adducit. Similia de haereticis sui temporis testatur Irenaeus l. 4. c. 35. n. 4. Et vel Lutherus in l. contra Zwingli de veritate corporis Christi in Eucharistia: „Si diutius steterit mundus, inquit, iterum erit necessarium, ut propter diversas Scripturae interpretationes, quae nunc sunt, ad conservandam fidei unitatem conciliorum decreta recipiamus atque ad ea confugiamus.“ Egregia ad haec confirmanda reperis ex protestantismi historia apud Perrone prael. theol. t. 3. de s. Script. c. 3. a. 1. prop. 3; Heinrich t. II. § 85.

enim apparuerit esse veritatem et disciplinae et fidei christianae, illic erit veritas Scripturarum et expositionum et omnium traditionum christianarum." Acutas Tertulliani animadversiones experientia tot seculorum luculentissime confirmat. Nulla enim fere utilitas provenit ex tot cum haereticis colloquiis et disputationibus. Quare **4.** patres causam aliam, quae fidei efficiat unitatem, assignant, ut infra ostendemus.

166. *Quintum argumentum.* — Sane considerentur attentius origo, indoles, forma etc. s. Scripturae, et manifestum erit, illa non contineri medium praecipuum, nedum unicum a Christo institutum ad propagandam diffundendamque revelationem divinam. Nam **1.** libri sacrae Scripturae conscripti sunt, cum fideles jam ex Christi voluntate et institutione penderent ab ore apostolorum aliorumque ejus nomine docentium. Cum ergo apostoli postea scripserint hos libros, noluerunt certe ordinem divinitus institutum atque a se tamdiu sancte servatum ac organismum velut Ecclesiae subvertere, sed adjumenta tantum quaedam suppeditare. Ad haec **2.** hi libri scripti sunt data occasione ad ecclesias particulares et etiam ad personas singulares ex causa particulari: hinc continent salutationes, respiciunt facta et quaestiones illius temporis; neque eo consilio sunt exarati, ut integrum exhiberent doctrinae systema; nullibi enim consilium hoc exprimitur. Imo **3.** ab ipsa forma et indole Scripturae hoc consilium excluditur, propterea quod Scriptura sit obscura, quidquid jactent protestantes; quod nullibi data opera ea recenseantur, quae sint necessario credenda, quemadmodum in symbolis, fideique confessionibus vel catechismis fieri solet et ipse Christus fecit tradens orationem dominicam [1]); quod res maximi momenti breviter obiterque attingantur, e. g. divinitas Spiritus sancti et alia, quae ad ss. Trinitatis mysterium spectant; alia vero minoris momenti fuse dataque opera explicentur, ut sunt quae spectant virginitatis praestantiam 1. Cor. 7; neque etiam, quod praecipuum est, ullibi in Scripturis affirmatur, Scripturam s. omnia, quae

---

[1]) Matth. 6, 9. s. Quare protestantes, praeeunte Luthero, ediderunt catechismos, si in divinis literis adeo clare omnia ad salutem necessaria continentur, ut quilibet fidem facile inde discere possit? Quare habent suos libros symbolicos, si sacra Scriptura sufficit? Altera ex parte advertatur, secundum traditionem vetustam, venerandam atque nullatenus spernendam apostolos auctores esse symboli, quod ab ipsis apostolici nomen traxit, vel certe symbolum illud quoad substantiam ex traditione apostolica dimanasse, eoque summam credendorum contineri. Et quomodo adeo obliti sunt apostoli illud suis epistolis inserere, si censuissent, sacram Scripturam, saltem post suam mortem, *unicum* debere esse *divinae revelationis fontem* et *canalem,* quo ad posteras generationes ex Christi consilio et voluntate eadem revelatio dimanare debeat? Oblivio vere singularis!

divinitus revelata sunt, complecti. Imo etiam permisit Deus ut quaedam scripta apostolica perirent[1]). Atqui incredibile est, libros ita comparatos unicum vel praecipuum medium esse divinitus selectum ad conservandam propagandamque inter gentes omnes revelationem divinam. Praeterea **4.** in hisce libris ipsis fideles relegantur ad praedicationem jam perceptam, designantur depositi custodes doctoresque authentici. *Itaque, fratres,* scribit s. Paulus ad Thessalonicenses, *state et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram*[2]); et ad Timotheum: *Quae audisti a me, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.* Atqui ad Scripturam in primis fuissent relegandi futuri fidelium magistri. Non ergo dependenter ab authentica praedicatione et magisterio ex solis Scripturis fideles, nedum infideles, fidem suam haurire debent. Et sane **5.** s. Scriptura sejunctim ab aliquo magisterio authentico est velut res relicta: liber enim seorsim spectatus sibi authentiam auctoritatemque conciliare nequit, neque ad hoc sufficiunt quaedam criteria interna etc., ut infra th. 29. 33. 34. ostendemus[3]).

167. Quare **5.** omnino ad rem nostram scribit Irenaeus[4]): „Quid autem, si neque apostoli Scripturas reliquissent nobis? Nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multae gentes barbarorum, eorum qui in Christum credunt sine charta et atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem et veterem traditionem diligenter custodientes, in unum Deum credentes fabricatorem coeli et terrae etc.;« et relato symbolo apostolico ita prosequitur: „Hanc fidem qui sine literis crediderunt, quantum ad sermonem nostrum barbari sunt, quantum autem ad sententiam et consuetudinem et conversationem propter fidem perquam sapientissimi sunt, et placent Deo conversantes in omni justitia et castitate et sapientia. Quibus si aliquis annunciaverit ea, quae ab haereticis adinventa sunt, proprio sermone eorum colloquens, statim concludentes aures longo longius fugient, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium. Sic per illam veterem apostolorum traditionem, ne in conceptionem quidem mentis admittunt quodcunque eorum portentiloquium est.«

168. *Sextum argumentum,* quo priora omnia luculenter confirmantur, ipsa praebet protestantismi historia. Rejecta enim magisterii auctoritate, a cujus ore pendeant fideles, nil aliud reliquum fuit protestantibus, quam **1.** confugere ad internam singulorum inspirationem et omnimodam Scripturarum perspicuitatem. Cum vero **2.** tristissima dissidia et sectarum in dies multiplicatio internam illam in-

---

[1]) Cf. 1. Cor. 5, 9; Col. 4, 16.

[2]) 2. ep. 2, 14; cf. 1. ep. 4, 2; Rom. 16, 17; 1. Cor. 15, 1 s.; Gal. 1, 8; Phil. 4, 9; Col. 2, 6. [3]) Cf. Scheeben § 18. [4]) L. 3. c. 4. n. 1.

spirationem (ab authentico magisterio independentem) atque Scripturae perspicuitatem figmentum esse comprobassent, coacti sunt concedere aut fidei unitatem esse impossibilem proindeque non necessariam, aut sive practice et modo agendi, sive etiam theoretice iterum approbare atque sancire, non tamen citra manifestam contradictionem, principium auctoritatis. Qua de re exstant praeclarissimae adversariorum confessiones et testimonia, quae ipsis expressit veritatis evidentia et vel ipse sensus communis[1]).

169. Succedit denique *argumentum septimum,* quod ex universalis Ecclesiae primorum seculorum suffragio tam theoretico quam practico petimus. Quidquid **1.** enim est de patrum auctoritate, protestantes, quin omnem subvertant certitudinem historicam, negare nequeunt, eos saltem testes veraces esse illius agendi sentiendique rationis, quae ipsorum tempore in Ecclesia viguit, sicut ex Ciceronis, Livii aliorumque scriptorum romanorum libris colligere possumus sentiendi vivendique rationem, quae ipsorum tempore in republica romana obtinuit. Ex sentiendi vero **2.** agendique ratione primitivae Ecclesiae merito judicare possumus de voluntate Christi deque sensu verborum ipsius. Qui enim **3.** affirmaret, Ecclesiam vix natam et e manibus Christi prodeuntem defecisse ab oeconomia divinitus instituta, eo ipso significaret, Christum illum esse architectum, quem ipse insipientiae arguit, quod domum suam non supra petram, sed super arenam aedificaverit (Matth. 7, 24). Ceterum **4.** quae est temeritas praetendere, novatores sec. XVI. melius novisse, quae sit Ecclesiae constitutio, quae propagandae doctrinae Christi divinitus selecta oeconomia, quam patres primorum seculorum, qui fidem christianam scriptis illustrarunt et sanguine irrigarunt, citra quorum testimonium protestantes nec Scripturam ipsam nec sinceram fere notitiam de Christo ejusque Ecclesia haberent? Merito proinde tam temerariis doctoribus repetere possumus verba Tertulliani, quibus arrogantiam haereticorum sui temporis perstringit[2]): »Age nunc, omnes erraverint; deceptus sit et Apostolus de testimonio reddendo; nullam (ecclesiam) respexerit Spiritus sanctus, uti eam in veritatem deduceret, ad hoc missus a Christo, ad hoc postulatus de Patre, ut esset doctor veritatis; neglexerit officium Dei villicus, Christi vicarius, sinens ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quod ipse per apostolos praedicabat: ecquid verisimile est, ut tot ac tantae in unam fidem erraverint? . . . Quoquo modo sit erratum, tamdiu utique regnavit

---

[1]) Contradictionem simili fere in causa jam manichaeis exprobat Augustinus de utilitate cred. c. 14. (opusc. t. VI). Confessiones vero ejusmodi candidorum protestantium, quae causae catholicae verus sunt triumphus, passim reperies apud Hettinger Apol. des Christenth. t. 2. part. 2. diss. 17; praesertim in annot. subjecta legendae sunt theses Lessing adversus Götze statutae, quibus invicte protestantium theoriam de sufficientia Scripturae subvertit; Jörg, Geschichte des Protestantismus 1, 129 ss.; Beleuchtung der Vorurtheile wider die kathol. Kirche von einem protest. Laien Zürichs, Luzern 1843. t. 1. p. 1. p. 37 ss.; Deby Die eine wahre Kirche § 6.

[2]) De praescr. c. 28; cf. Augustini disp. acuta de util. cred. n. 31.

error, quamdiu haereses non erant. Aliquos marcionitas et valentinianos liberanda veritas exspectabat; interea perperam evangelizabatur, perperam credebatur etc.«

170. Quibus lemmatis instar praemissis pauca quaedam ex sentiendi ratione christianae antiquitatis delibemus[1]). Docent patres **1.** ab ecclesiis apostolicis doctrinam Christi esse hauriendam.

»Quid autem praedicaverint apostoli, scribit Tertullianus[2]), i. e. quid illis Christus revelaverit, et hic praescribam, non aliter probari debere, nisi per easdem ecclesias, quas ipsi apostoli condiderunt ipsi eis praedicando tam viva, ut ajunt voce, quam per epistolas postea. Si haec ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quae cum illis ecclesiis apostolicis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam; sine dubio tenentem quod ecclesiae ab apostolis, apostoli a Christo, Christus a Deo accepit; reliquam vero omnem doctrinam de mendacio praejudicandam, quae sapiat contra veritatem ecclesiarum et apostolorum et Christi et Dei.« Et Irenaeus post verba supra n. 152. relata statuit: »Quid enim? et si de aliqua modica quaestione[3]) disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere ecclesias, in quibus apostoli conversati sunt, et ab eis de praesenti quaestione sumere quod certum et re liquidum est[4])?«

171. Quamobrem **2.** hortantur, ut fidem discamus ab apostolorum successoribus.

Ita Irenaeus[5]): »Quapropter eis, qui in Ecclesia sunt, presbyteris[6]) obaudire oportet, his qui successionem habent ab apostolis, sicut osten-

---

[1]) Expendantur bene haec testimonia et apparebit harmonia doctrinae inter patres, qui floruerunt ante nicaenum concilium, et eos, qui post illud vixerunt; neque enim admitti debet discrimen inter principia Ecclesiae ante illud concilium et Ecclesiae posterioris aetatis a protestantibus nonnullis assertum, quod scil. Ecclesia uno tempore apostolicam originem suae doctrinae testimoniis mere historicis, tempore alio auctoritate sui magisterii vindicare consueverit; nam Ecclesia **1.** quovis tempore ad authentiam sui magisterii, quovis etiam tempore **2.** ad traditionem majorum, atque ad patrum praecedentium doctrinam provocavit; quamvis **3.** concedi possit, subinde potius hoc, subinde aliud elementum fuisse inculcatum. Ceterum **4.** mirum esse non debet, si patres antenicaeni nonnunquam provocent ad majores tantum ut ad testes historicos. Nam in tam recenti origine et adolescentia religionis christianae hoc sufficiebat ad confundendam haereticorum temeritatem, nec statim recurrendum erat ad elementum magisterii supernaturale, scil. ad ejus authentiam divinam. Cf. Franzelin th. 10.

[2]) De praescr. c. 21; cf. adv. Marc. l. 4. n. 5. op. VI, 82.

[3]) Sensus certe non est, tantum in quaestione *de re modica* hanc esse servandam methodum, sed cum vel in quaestione de re modica servanda sit, a fortiori in quaestione de re gravi. Quod patet ex tot aliis Irenaei locis, ex ejus scopo polemico, ex ipso contextu, cum mox doceat multas gentes barbaras vi traditionis citra Scripturas fidei summam didicisse. Cf. supra ejus verba n. 167.

[4]) Sequuntur dein verba n. 167. allata. [5]) L. 4. c. 26.

[6]) Presbyterorum nomine manifesto intelligit episcopos, ut patet ex sequentibus. Dicuntur autem episcopi ab Irenaeo nonnullisque aliis presbyteri,

dimus, qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt; reliquos vero, qui absistunt a principali successione et quocunque loco colligunt, suspectos habere vel quasi haereticos et malae sententiae, vel quasi scindentes unitatem . . . Ubi igitur charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea, quae est ab apostolis Ecclesiae successio, et id quod est sanum et irreprobabile conversationis et inadulteratum et incorruptibile sermonis constat. Hi enim et eam, quae est in unum Deum, qui omnia fecit, fidem nostram custodiunt . . . et Scripturas sine periculo nobis exponunt.«

172. Cum ergo **3.** ab apostolorum successoribus fides sit haurienda, inter omnes autem successores semper eminuerint successores s. Petri in Ecclesia romana, horum in primis fides est consulenda.

»Ad hanc Ecclesiam, infert Irenaeus l. 3. c. 3. n. 2, propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam h. e. eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab apostolis traditio.« Et recensita romanorum episcoporum in Petri cathedra successione ad suam usque aetatem, ita prosequitur: »Hac ordinatione et successione ea, quae est ab apostolis in Ecclesia traditio et veritatis praeconatio, pervenit usque ad nos. Et est plenissima haec ostensio, unam et eandem vivificatricem fidem esse, quae in Ecclesia ab apostolis usque nunc sit conservata et tradita in veritate.« Hinc patres adeo solliciti fuere[1]), episcoporum romanorum in controversiis cum haereticis enumerare seriem. Cujus sollicitudinis rationem reddit Epiphanius haer. 27. n. 6: »Nemo miretur, quod singula tam diligenter percucurrerim; per haec enim perpetuo aperta veritas demonstratur.«

173. Statuunt patres **4.** praedicationem ecclesiasticam consonam esse normam, secundum quam de revelata judicetur doctrina; et tamquam argumento principe, contra quod nulla valeret exceptio, usi sunt pastorum consensu et testimonio successorum apostolorum ad demonstrandam doctrinam fidei, et ad convincendam erroris doctrinam contrariam.

Ita in concilio ephesino, teste Vincentio lirinensi, »cum de sanciendis fidei regulis disceptaretur, ne qua illic profana novitas in modum perfidiae ariminensis obreperet, universis sacerdotibus, qui illo ducenti fere numero convenerant, hoc catholicissimum, fidelissimum atque optimum factu visum est, ut in medium sanctorum patrum sententiae proferrentur, quorum alios martyres, alios confessores, omnes vero catholicos sacerdotes fuisse et permansisse constaret; ut scilicet rite atque solemniter ex eorum consensu atque decreto antiqui dogmatis religio confirma-

---

tum quia jam aetate provecti promovebantur ad tantam dignitatem, tum quia prudentia, morum gravitate et exemplo excellere omnibusque venerationi esse debent, quae dotes senioribus in primis propriae esse solent.

[1]) Cf. Optatum milevitanum de schism. donatistarum l. 2. n. 3. s. (opusc. t. X), Augustinum ep. 53. n. 2. et Hegesippum apud Eusebium H. E. IV. 22. Cf. praefat. opusc. t. X. n. 14.

retur et profanae novitatis blasphemia condemnaretur.[1]« Irenaeus praef. l. 5. scribit, se evertisse doctrinas haereticorum »manifestato praeconio Ecclesiae, quod prophetae quidem praeconaverunt, quemadmodum demonstravimus, perfecit autem Christus, apostoli vero tradiderunt, a quibus Ecclesia accipiens per universum mundum sola bene custodiens tradidit filiis suis.« Eadem ratione rejecit Florini errores (apud Eusebium H. E. V, 20): »Haec dogmata Ecclesiae non sunt consona . . . haec dogmata qui ante nos exstitere presbyteri quique apostolorum discipuli fuere non tradiderunt.« Ita Athanasius ep. ad Epictetum n. 3. relatis quibusdam erroribus eos reprobat hoc utens criterio: »Haec catholicae Ecclesiae non sunt, nec ea est patrum sententia.« Ita Origenes de principiis praef. n. 2: »Cum multi sint, qui se putant sentire quae Christi sunt, et nonnulli eorum diversa a prioribus sentiant, servetur vero ecclesiastica praedicatio per successionis ordinem ab apostolis tradita et usque ad praesens in ecclesiis permanens: illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione.« Unde pulchre hom. 18. in Luc. hominem veritatis cupidum hortatur: »Tu ergo quaere Jesum in templo Dei, quaere in Ecclesia: quaere eum apud magistros, qui in templo sunt et non egrediuntur ex eo. Si enim ita quaesieris, invenies eum.«

174. Docent praeterea 5. causam efficientem unitatis fidei et doctrinae esse conspirationem cum sententia episcopi, qui et ipse cum aliis conspiret. „Prius admonui vos, scribit paterne s. Ignatius ad ephesios n. 3, ut unanimes sitis in sententia Dei. Etenim Jesus Christus inseparabilis vita nostra Patris est sententia, sicut et episcopi per fines terrae constituti in Jesu Christi sententia sunt. Unde oportet vos unanimes esse sententiae episcopi.“

Quare juxta s. Ignatium episcopus est veluti chorda principalis, quacum reliquae chordae i. e. fideles consonare debent, ut inde oriatur harmonia Deo jucundissima. Ita vero docet s. Irenaeus l. 1. c. 10. n. 2: »Hanc praedicationem cum acceperit et hanc fidem, quemadmodum praediximus, Ecclesia et quidem in universum mundum disseminata diligenter custodit quasi unam domum inhabitans: et similiter credit iis, videlicet quasi unam animam habens et unum cor, et consonanter haec praedicat et docet et tradit quasi unum possidens os. Nam etsi in mundo loquelae dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una et eadem est. Et neque hae, quae in Germania sunt fundatae ecclesiae, aliter credunt aut aliter tradunt, neque hae, quae in Hibernis sunt, neque quae in Celtis, neque hae, quae in Oriente sunt, neque hae, quae in Aegypto, neque hae, quae in Lybia, neque hae, quae in medio mundi constitutae: sed sicut sol creatura Dei in universo mundo unus et idem est, sic et lumen, praedi-

---

[1]) Commonit. cc. 28. 29. et 31. cum annot. subs. opusc. t. IX, in qua plura facta luculenta reperies. Cf. Liberius ep. ad Constantium n. 3; Fulgentius de Trinit. c. 1; Cassianus de incarn. I, 6; VI, 5. opusc. t. XXXII; aliorumque testimonia in praef. opusc. t. IX. n. 19. 22; Heinrich t. I. § 66.

catio veritatis ubique lucet et illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire. Et neque is, qui valde praevalet in sermone, ex iis, qui praesunt ecclesiis, alia quam haec sunt dicet (nemo enim supra magistrum est), neque infirmus in dicendo deminorabit traditionem. Cum enim una et eadem fides sit, neque is, qui multum de ea potest dicere, ampliat, neque is, qui minus, deminorat.«

174ª. Hinc etiam **6.** censent ad fidei probationem ne requiri quidem probationem ex Scripturis, vel statuunt Scripturas explicandas esse secundum Ecclesiae praedicationem.

»Nullus mihi subcrepet, inquit Gregorius nyssenus adv. Eunom. l. 4, quod illud etiam, quod a nobis pro confesso habetur, rationibus et argumentis indigeat confirmari et probari: sufficit enim ad nostri sermonis demonstrationem, quod habeamus a patribus venientem ad nos traditionem velut hereditatem quandam per successionem ex apostolis per sanctos sequentes transmissam.« »Hoc scil. facere magnopere curabunt (probe catholici), hortatur Vincentius lir. c. 27, quod in principio commonitorii istius sanctos et doctos viros nobis tradidisse scripsimus, ut divinum canonem secundum universalis Ecclesiae traditiones et juxta catholici dogmatis regulas interpretentur, in qua item catholica et apostolica Ecclesia sequantur necesse est universitatem, antiquitatem, consensionem.« Quare vel ipsi protestantes candidiores cum Münscher fatentur [1]): »Patet ex omnibus disquisitionibus, quas hactenus fecimus, protestantes, dum aversantur traditionis usum, non habere favens sibi testimonium historiae. Ecclesia catholica jure merito affirmat, traditionem magnam auctoritatem penes primos habuisse fideles.«

175. Denique **7.** juxta illud (Matth. 18, 17): *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus:* patres gravissimis verbis illos damnabant, qui episcoporum pastorumque Ecclesiae doctrinam, magisterium judiciumque aversarentur vel contemnerent (n. 187 ss).

Ex quibus satis superque probata videtur thesis, s. Scripturam non praecipuum, nedum unicum esse fontem, e quo ab hominibus haurienda sit fides; sed canalem divinitus institutum, per quem ad singulas gentes generationesque derivanda sit coelestis Christi doctrina, esse nunquam interruptam pastorum seriem [2]). Unde etiam factum est,

---

[1]) In manuali hist. dogmatum t. 1. p. 2. sect. 5. § 73. Cf. aliorum confessiones apud Hettinger l. c. diss. 17. et Perrone de traditione c. 1.

[2]) Quod iterum inculcat Athanasius ep. 1. ad Serap. n. 28: »Haud abs re fuerit veterem insuper traditionem doctrinamque ac fidem (de Spiritu s.) catholicae Ecclesiae investigare, quam scil. Dominus tradidit, apostoli praedicavere et patres servavere. In ea enim Ecclesia fundata est, a qua si quis exciderit, is nec esse, nec amplius dici christianus ulla ratione poterit.« Basilius hom. 24. c. sabellianos etc. n. 6: »At ne separes a Patre et Filio Spiritum s., absterreat te traditio. Sic Dominus docuit, praedicavere apostoli, patres conservavere, confirmavere martyres. Satis habeas loqui ita ut edoctus es;« Epiphanius haer.

ut hac via, non Scripturarum lectione, Christi fides latissime diffunderetur (n. 114 ss.) laetissimique exsisterent fructus (n. 124 ss.): quae divina benedictio huic medio adnexa novum praebet pro dogmate catholico argumentum. Neque enim Deus uberrima sua gratia potuisset suffulcire organismum, qui (secundum adversarios) subversio potius esset illius ordinis, cujus ipse fuerit auctor, quam exsecutio divini consilii.

176. **Scholion.** *Ratio incorruptae conservationis doctrinae traditae.* — Ratio suprema perennis conservationis doctrinae revelatae, certitudinis ac securitatis de hac conservatione per jugem successionem magisterii ecclesiastici est promissum collatumque a Christo perpetuum charisma veritatis, ut pluribus etiam ostendemus de ecclesiastici magisterii infallibilitate disserentes [1]). Verum etiamsi ministerium ecclesiasticum historice tantum spectetur, praecisione facta ab illo veritatis charismate a Christo ei promisso, illud adeo apte suo muneri conservandae doctrinae respondet, ut vel per se sufficeret ad omnem corruptionis suspicionem excludendam. Nam verissime de Ecclesiae patribus et pastoribus scribit Augustinus l. 2. c. Julian. n. 34: „Quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod a patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.“ Quam ob causam illis nil adeo exosum erat quam novitas. „Mos iste, scribit Vincentius lir., semper in Ecclesia viguit, ut quo quisque foret religiosior, eo promptius novellis adinventionibus contrairet. Exemplis talibus plena sunt omnia [2]).“ Et revera tot exstant exempla, quot fere concilia et controversiae cum haereticis. Oborto enim aliquo errore mox commovebatur Ecclesia, ut corpus inflicto vulnere, errores deferebantur ad episcopos, in primis ad romanum pontificem; et sicut naturae vires ad vulneris locum velut confluunt pro ejusdem curatione, ita etiam pro-

---

75. n. 7. adversus Aërium disputans: „Jam vero utri tandem illorum peritiores sunt? An errore deceptus homuncio, qui nunc tandem emersit et adhuc hodie superstes est? an qui ante nos testes exstiterunt quique ante nos eandem traditionem in Ecclesia tenuerunt, quam et ipsi a parentibus suis acceperant et ipsorum parentes a majoribus suis didicerant? quemadmodum Ecclesia, quam a patribus suis accepit, rectam et sinceram fidem cum traditionibus ad hunc diem observat.“

[1]) Cf. n. 365 ss., ubi clarius disseretur de hujus magisterii infallibilis subjecto, de iis proinde, qui constituunt seriem pastorum nunquam interruptam, per quam canalis instar ad singulas generationes derivetur Christi doctrina, et quae de Ecclesiae apostolicitate n. 429 ss. dicemus; in primis Franzelin th. 8, ubi synoptice proponit patrum doctrinam, qui hoc momentum plurimum urgent ad conciliandam fidelibus securitatem de traditionis incorruptione.

[2]) Commonit. c. 6. n. 16. Quod deinde illustrat controversia de rebapti-

posita nova doctrina episcopi mox in concilia congregabantur pro tuenda antiquitate; doctrinas novas explodebant, damnabant novatores, haereticos a fidelium coetu arcebant. Ideo etiam omnis innovationis in doctrina et auctor et locus et tempus assignari possunt. Quare cum Ecclesiae pastores tanta sollicitudine et vigilantia, etiam ultro citroque missis epistolis synodicis[1]), quae essent suae fidei testes, ad conservandum fidei depositum integrum atque purum usi sint, accedente ad hanc vigilantiam assistentia Christi et Spiritus sancti, plane securi tutique esse possumus, per hunc canalem nunquam interruptae pastorum seriei puram immaculatamque ad nos usque Christi doctrinam redundare. Hinc solvitur praecipuum adversariorum argumentum, qui propterea traditionem aversantur, quod putent ea facile Christi doctrinam corrumpi. Obliviscuntur scil. promissae assistentiae Christi et Spiritus sancti, semperque somniant traditionem mere oralem; fama enim, inquiunt, crescit eundo, et ex orali traditione oriuntur legendae et mythi, orali quoque traditione corrupta fuit revelatio primitiva. Ad quae praeter dicta advertimus, traditionem catholicam, non eo sensu esse oralem, quod ore tantum absque aliis subsidiis propagetur: tunc enim, praecisione facta a divina assistentia, sat vaga esset et fluxa: sed dici oralem vel ad exclusionem scriptionis inspiratae, ut jam supra diximus n. 157, quo sensu pars tantum traditionis minor fuit oralis, quae tamen mox ab apostolorum successoribus et patribus libris fuit consignata, praxi aliisque monumentis fixa et expressa; vel dici oralem, ut significetur modus, quo doctrina Christi universa ad omnes gentes per singula transfundenda sit secula. Fuit enim propaganda viva voce, magisterii ecclesiastici jugi praedicatione, quae tamen non excluderet varia subsidia, quibus Ecclesiae pastores in hac ipsa praedicatione juvarentur, cujusmodi sunt in primis s. Scriptura, qua major ejus pars continetur, aliaque antiquitatis monumenta (cf. n. 183 s.), quibus traditio fluminis instar terminis certis fixisque conclusa et determinata fuit, ut jam eundo nec crescere possit neque multiloquio corrumpi.

---

zandis haereticis, in qua Cypriano restitit Stephanus, narrationemque suam ita absolvit: »Quis ergo tunc universi negotii exitus? Quis utique nisi *usitatus* et *solitus?* Retenta est scil. antiquitas, explosa novitas.« Legantur cc. 8. 9. 22 ss. 30 ss. Abstinemus a referendis factis, quia universa theologia dogmatica iis abundat, quae suis locis attingemus. Cf. Heinrich t. II. § 77.

[1]) Cujus usus hanc bellam reddit rationem s. Gregorius M. l. 7. ep. 4: „Nam cum vicissim nobis fidei nostrae confessionem transmittimus et charitatem nostram erga nos ostendimus, quid aliud in sancta Dei Ecclesia agimus, nisi arcam bitumine linimus (Gen. 6, 14), ne unda erroris intret?«

177. **Corollarium I.** *Methodus peremptorie dirimendi controversias.* — Demonstrata exsistentia et auctoritate semper viventis organi et canalis ad conservandam et ubique diffundendam Christi doctrinam, jam dirempta est controversia de singulis doctrinae capitibus a protestantibus in dubium vocatis, neque necessarium est de singulis prolixam inire disputationem; omnis enim quaestio ad hanc unam revocatur, ubi sit hoc organum, hic canalis, seu ubi sit haec nunquam interrupta pastorum series, quidque de proposita quaestione doceat. Nam doctrina, quam illa quavis aetate promulgat diffunditque, erit ipsa doctrina Christi, sicut aqua quavis in parte canalis non interrupti hausta, ipsius fontis aqua est illuc usque dimanans et profluens[1]).

178. **Corollarium II.** *Traditionis auctoritas.* — Cum Christus voluerit doctrinam suam ad posteras generationes derivare per successionis apostolicae seu ministerii ecclesiastici nunquam interrumpendi praedicationem, sponte sua consequitur, doctrinam illam, quae praedicatione ecclesiastica ad nos usque est derivata, etiamsi s. Scriptura non contineatur, divinae esse auctoritatis non secus ac doctrinam divinis literis comprehensam. Quare Paulus: *Fratres,* inquit, *state et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram*[2]); in quae verba Chrysostomus hom. 5. n. 2: „Hinc est perspicuum, inquit, quod non omnia tradiderunt (apostoli) per epistolam, sed multa etiam sine scriptis; et ea quoque sunt fide digna. Quamobrem Ecclesiae quoque traditionem censeamus esse fide dignam. Est traditio: nihil quaeras amplius[3]).“ Propterea synodus tridentina sess. 4. „perspiciens hanc veritatem et disciplinam (Christi) contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius ore ab apostolis acceptae aut ab ipsis apostolis, Spiritu s. dictante, quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt, orthodoxorum patrum exempla secuta, omnes libros tam V. quam N. T., cum utriusque unus Deus sit auctor, nec non traditiones ipsas tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus a Christo vel a Spiritu sancto dictatas et continua successione in Ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur.“ Et jam antea concilium oecumenicum VII. act. 7: „Si quis omnem traditionem ecclesiasticam sive scriptam, sive non scriptam rejicit, A. S.“ Ex quibus omnibus explicatur, quare haeretici Ecclesiae magisterium ideoque suc-

---

[1]) Lege quae omnino ad rem statuit Tertullianus de praescript. c. 19. supra n. 165. Cf. Stapleton l. c. controv. 6. q. 2. a. 3.

[2]) 2. Thess. 2, 14; cf. 2. Tim. 1, 13.

[3]) Ita et Basilius de Sp. s. n. 71.

cessionis apostolicae praedicationem respuentes, inimici exstiterint traditionis: et quare adversarii traditionis rejecerint quoque Ecclesiae magisterium perenne.

179. **Corollarium III.** *Plenior traditionis notio.* — Doctrina fidei universa, quatenus sub assistentia Spiritus sancti in consensu custodum depositi et doctorum divinitus institutorum continua successione conservatur atque in professione et vita totius Ecclesiae sese exserit, sensu maxime proprio divina est traditio. Quam ss. patres ‚praedicationem ecclesiasticam, intelligendi regulam, regulam apostolicae veritatis' dicunt, si directe et objective spectetur ipsa doctrina, quatenus in apostolica successione servatur et traditur; est autem et dicitur ‚conscientia fidei, catholicus intellectus, ecclesiasticus sensus, fides scripta in cordibus, sapientia non scripta,' si directe spectetur Ecclesia hac doctrina informata et imbuta sub assistentia Spiritus sancti et charismate praedita veritatis ad intelligendam, custodiendam et docendam integram revelationem, vel etiam si spectetur doctrina revelata subjective prout recepta est in Ecclesia, eamque velut informat, animat et fecundat[1]).

180. **Corollarium IV.** *Catholicus intellectus* sensu declarato acceptus et in consentiente judicio successionis apostolicae spectatus, est sub directione Spiritus sancti *norma infallibilis interpretandi sacras Scripturas:* unde praedicatio ecclesiastica, quatenus continet judicium consentiens de singularibus Scripturae locis, simpliciter et absolute eorum genuinum sensum exhibet; universim autem spectata est canon interpretationis significatione negante, quod sensus ei contradicens nunquam possit esse verus; et significatione affirmante, quod ad verum sensum reperiendum vel confirmandum plerumque manuducat et non mediocriter juvet. Sane si apostoli, ut Irenaeus loquitur[2]), in Ecclesia tamquam in depositorium dives contulerunt omnia, quae sunt veritatis, et si ipsa est custos et dispensatrix hujus depositi: non debet id accipi tantum materialiter de verbis, formulis, theorematibus, sed de ipsa intelligentia veritatum revelatarum; et hinc est quod patres de intellectu catholico, de sensu ecclesiastico loquantur. Quare a Spiritu Dei conservatur perpetuo in Ecclesia non solum verbum materiale Scripturae, sed ejus sensus et intellectus genuinus, quo instructa et imbuta infallibilis erit s. Scripturae interpres. „Quis nunc medullas Scripturarum, inquit ad rem Tertullianus[3]), magis nosset quam ipsa Christi schola? quos et sibi discipulos adoptavit omnia utique edocendos et nobis magistros adornavit omnia utique docturos."

181. *Patrum de hoc doctrina.* — Quod ipsum etiam universa antiquitas et theoretice et practice (cum de aliquo textu dogmatico authen-

---

[1]) Cf. Franzelin th. 11; Möhler Symbolik § 38.

[2]) L. 2. c. 4. [3]) Scorpiace c. 12; cf. de praescr. c. 38.

tice explicando adversus haereticos ageretur) sensit. »Omnis sermo ei constabit, inquit Irenaeus[1]), si et Scripturas diligenter legerit apud eos, qui in Ecclesia sunt presbyteri, apud quos est apostolica doctrina, quemadmodum demonstravimus (c. 26).« Et Origenes[2]): »Quoties (haeretici) canonicas proferunt Scripturas, in quibus omnis christianus consentit et credit, videntur dicere: Ecce in domibus est verbum veritatis (Matth. 24, 26). Sed nos illis credere non debemus, nec exire a prima et ecclesiastica traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiae Dei traditum est.« Ita et Hilarius (in Matth. 13. n. 1): »Significat (Christus e navi docens) eos, qui extra Ecclesiam positi sunt, nullam divini sermonis capere posse intelligentiam. Navis enim Ecclesiae typum praefert, intra quam verbum vitae positum et praedicatum hi, qui extra sunt et arenae modo steriles atque inutiles adjacent, intelligere non possunt.« Eadem de causa laudat Rufinus (H. E. I, 9) Gregorium naz. et Basilium: »Solis, inquiens, divinae Scripturae voluminibus operam dabant, earumque intelligentiam non ex propria praesumptione, sed ex majorum scriptis et auctoritate sequebantur, quos et ipsos ex apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat.«

Quare ad rem omnino sunt Hieronymi verba ep. 53. n. 6. 7. adversus protestantium placitum cuilibet permittentium non solum Scripturarum lectionem, sed et interpretationem. Postquam enim retulit, eunuchum illum (Act. 8), quamvis diligenter legisset, Scripturas non intellexisse, intellexisse vero divinitus misso interprete Philippo, »haec a me, ait, perstricta sunt breviter . . . ut intelligeres te in Scripturis sanctis sine praevio et monstrante semitam non posse ingredi. Taceo de grammaticis, rhetoribus, philosophis, geometris, dialecticis, musicis, astronomis, astrologis, medicis . . . Ad minores artes veniam, et quae non tam λόγῳ, quam manu administrantur. Agricolae, caementarii, fabri, metallorum lignorumve caesores, lanarii quoque et fullones, et ceteri, qui variam supellectilem et vilia opuscula fabricantur, absque doctore non possunt esse quod cupiunt. Quod medicorum est

‚Promittunt medici, tractant fabrilia fabri (Horatius l. 1. ep. 1).‘

Sola Scripturarum ars est, quam sibi omnes passim vindicant.

‚Scribimus indocti doctique poemata passim (ibid.).‘

Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi praesumunt, lacerant, docent, antequam discant.« In eundem sensum praeclare disputat s. Augustinus de moribus Eccl. c. 1. et de utilit. cred. cc. 6. 7. 14. et 17, ubi ita inter alia scribit: »Nulla imbutus poëtica disciplina Terentianum Maurum sine magistro attingere non auderes . . . tu in eos libros, qui quoquo modo se habeant, sancti tamen divinarumque rerum pleni, prope totius generi humani confessione diffamantur, sine duce irruis et de his sine praeceptore audes ferre sententiam; nec si tibi aliqua occurrunt, quae videantur absurda, tarditatem tuam et

---

[1]) L. 4. c. 32. Cf. supra n. 171; l. 5. c. 20. n. 2: Vincentius lir. c. 27. et supra n. 164; alia patrum effata opusc. t. IX. praef. n. 19.

[2]) Comment. in Matth. n. 46. Cf. de princ. l. 4. n. 9.

putrefactum tabe hujus mundi animum, qualis omnium stultorum est, accusas potius, quam eos, qui fortasse a talibus intelligi nequeunt[1]).«

182. *Decretum tridentinum.* — Proinde ad rei veritatem antiquitatisque sensum expressum est sapientissimum concilii tridentini sess. 4. decretum: „Ad coërcenda petulantia ingenia decernit (sacrosancta synodus), ut nemo suae prudentiae innixus in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, s. Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat.« Quod decretum, cum a quibusdam hominibus prave fuisset expositum, renovavit conc. vaticanum sess. 3. cap. 1. hanc illius mentem esse declarans, „ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu s. Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet s. mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum aut etiam contra unanimem sensum patrum ipsam Scripturam s. interpretari[2]).« Ad rem autem sunt quae circa prioris decreti sensum animadvertit Stapleton[3]): „Observandum est, agi hic de interpretatione Scripturarum non quacunque, sed de ea, quae ad fidem vel ingenerandam vel conservandam necessario pertinet. Etenim illa Scripturarum expositio, quae vel ad exhortandum et formandum in melius mores vel ad subtilia investiganda (de quibus salva fidei regula aliter sentire licet) adhibetur, hoc in loco in quaestionem non vocatur. Rursum agitur de illa interpretatione etiam eorum, quae sunt fidei, non qua fidem ipsam,

---

[1]) Perrone praelect. t. 3. de Scriptura c. 3. a. 1; Möhler Symbolik § 42; Franzelin thesi 18.

[2]) In annot. 9. ad primum hujus decreti schema legimus (ap. Friedrich documenta ad illustrandum conc. vatic. II, 29): „Patet praeposterum omnino esse sensum, ad quem temerarii quidam recentiores critici et interpretes decretum concilii (trid.) detorserunt. Aliqui enim dixerunt, decretum esse merae disciplinae et non absolute pro quovis tempore, sed solum pro illis adjunctis, quibus editum est, habere valorem; alii vero id, quod conc. vetat Scripturam interpretari contra sensum, quem tenuit et tenet Ecclesia, ita intelligendum esse, ajunt, ut solummodo fas non sit interpretando Scripturas dogma aliquod fidei ab Ecclesia definitum excludere et negare. Quamvis ex. gr. constet, textum Jac. 5, 14. ab Ecclesia intelligi de sacramento extremae unctionis, juxta haec principia sensus iste Ecclesiae non necessario esset norma interpretationis, sed posset aliquis libere negare hunc sensum textui inesse, dummodo non neget ipsum dogma, extremam nempe unctionem esse sacramentum N. L. Quare necesse est ad hujusmodi petulantia ingenia coercenda, supremam illam interpretationis catholicae normam, quae est judicium et consensus Ecclesiae de vero sensu Scripturarum ita proponere, ut manifestum sit **1.** non de re mutabilis disciplinae, sed incommutabilis dogmatis hic agi; **2.** non solum excludi interpretationem, quae contradictorie opponatur sensui, quem Ecclesia alicui Scripturae loco subesse doceat, sed etiam necesse esse, ipsum illum sensum ab Ecclesia retentum habere ut verum Scripturae sensum.« Cf. Heinrich t. I. § 71.

[3]) Principiorum fidei doctrinal. demonstratio l. X. praef.

quam firmiter jam quis habet, legendo et exponendo sibi soli nutriat atque confirmet, sed qua aut fidem de novo inquirimus aut etiam jam acceptam alios docere contendimus. Denique de hujusmodi omnino interpretatione Scripturarum hic disputatur, quae adhibita auctoritatem habet, et quae pro certo et germano Scripturae sensu necessario tenenda est.« Puerilis vero est, ut parum dicamus, exceptio his Ecclesiae decretis praepediri exegesis studium. Sicut enim viatorem viarum indices vel faces noctu accensae in suis itineribus non morantur, imo promovent: ita nec catholicus intellectus facis instar praelucens impedit Scripturae interpretationem, sed potius mirum in modum juvat ad verum ejusdem sensum assequendum.

Caput II.

De mediis quibus traditio divina transmittitur.

183. Demonstravimus hucusque apostolicam successionem in perenni ministerio ecclesiastico esse canalem, per quem ad omnes gentes atque singulas generationes doctrina Christi defluit et in eas redundat, ideoque ad eam quovis tempore tuto cognoscendam sufficere, ut noverimus, quid apostolorum successores tunc unanimi tradant testificatione. Sed quoniam decet theologum ostendere harmoniam et conspirationem inter praedicationem Ecclesiae praesentis et praedicationem ejusdem singulis seculis ad tempora apostolorum usque ascendendo, seu identitatem doctrinae quovis tempore per hunc canalem decurrentis, imo cum haec demonstratio necessaria sit ad plenius et undequaque [1]) refellendos adversarios incusantes Ecclesiam catholicam corruptionis doctrinae revelatae: inquirendum nobis est in modum, quo de fide et praedicatione seu de traditione Ecclesiae praecedentium seculorum certi possimus reddi ad ejusmodi collationem instituendam.

184. *De mediis cognoscendae traditionis.* — Jam vero multiplici modo quovis seculo se prodit praedicatio et fides seu traditio Ecclesiae multisque diversi generis monumentis ea est consignata, expressa et ad posteros transmissa: quorum potiora sunt, ut nonnulla indicemus, **1.** fidei professiones et conciliorum praesertim oecumenicorum et romanorum pontificum definitiones, quibus innotescere Ecclesiae fidem per se patet; **2.** sacra liturgia ac generatim cultus, qui est practica et realis expressio fidei internae. Quare etiam patres ad Ecclesiae preces et ritus pro confirmandis dogmatibus libenter provocant secundum illud celebre dictum, „legem credendi lex statuat supplicandi[2]).“ Cum autem liturgiae habeantur jam seculi IV. et III.,

---

[1]) Dicimus ad plenius et undequaque refellendos adversarios, nam ad eos retundendos satis sunt, quae hucusque demonstravimus.

[2]) In sedis apost. auctoritatibus, quae adnexae habentur ep. 21. s. Coelestini ad episcopos Galliae n. 12. (opusc. XVIII, 266).

imo si substantiam spectes sint antiquioris etiam originis, patet, quanti momenti sit testimonium ex illis derivatum. Liturgiis affinis est praxis Ecclesiae in publica et solemni sacramentorum administratione. **3.** Martyrum acta[1]); ex his enim patet, quid crediderint martyres, quae fuerint veritates ab Ecclesia praedicatae, pro quarum confirmatione sanguinem suum fuderint. **4.** Patrum scripta, de quibus mox plura. **5.** Historia ecclesiastica, quae sicut alia, ita et hoc passim refert, quid Ecclesia quavis aetate docuerit, praedicaverit, tradiderit, cum et hoc inter facta maxime ecclesiastica referri possit. Huc in primis spectat haeresum historia. Si enim aliqui propter novum dogma ab Ecclesia defecerunt, jam inde liquet doctrinam oppositam in Ecclesia fuisse traditam; et si Ecclesia aliquos propter haeresis crimen anathematis poenae subjecit, manifesto inde colligitur, doctrinam aliam ab ipsa praedicatam fuisse, quae scil. haeresi directe et immediate adversaretur. Ita haeretici vel inviti testes sunt fidei catholicae, et vel ex solis haereticis universum theologiae catholicae systema construi posset, cum vix fidei sit particula, adversus quam non steterit aliqua haeresis, et quae non fuerit demonstrata aurum purissimum per caminum impugnationis haereticae[2]). **6.** Monumenta artis christianae, quae oculis exhibent persaepe spectandam fidem primorum christianorum, et de quibus subinde dici potest, etsi omnia alia monumenta tacerent, *lapides clamabunt* (Luc. 19, 40), proclamabunt et promulgabunt dogmata apostolicae Ecclesiae[3]). Horum ergo me-

---

[1]) Cf. quae de horum momento in hac quaestione ex Ruinarto delibavimus in praef. opusc. XIII. p. 1 s.

[2]) Deus permittit haereses non solum ut fideles probentur, verum etiam ut manifesta reddatur dogmatum catholicorum veritas, quae haeresum occasione ex omnibus partibus confirmantur, expoliuntur, illustrantur (cf. opusc. IX, 220. annot.); sicut permisit judaeorum incredulitatem et obstinationem ad confirmandam vaticiniorum messianorum genuinitatem (n. 51), possessionem diabolicam ad glorificandum Jesu nomen (opusc. I, 103 ss.; XI, 128 ss. annot.), impugnationem Ecclesiae ad comprobandam invictam ejus firmitatem (n. 120). Cf. quae de hac re egregie disputat s. Hilarius de Trinit. l. 7. n. 4 s. opusc. IV. ser. II.

[3]) Hinc quidam loquuntur de theologia lapidaria, quae probationes suas haurit ex monumentis christianae artis, ex inscriptionibus sacris e cryptis erutis. Recentiori aetate magni iterum fiunt in theologia haec monumenta, cum eorum copia multo uberior e tenebris fuerit eruta; et plures eorum, qui abjurato errore ad Ecclesiae sinum redierunt, saepe non tam doctorum libris quam horum monumentorum loquela simplici et non fucata ad fidem pertracti sunt. Advertatur autem haec media non esse ipsum princeps traditionis organum, sed adjumenta quaedam connaturalia intime cum illo connexa, non quidem absolute necessaria, sed utilia admodum ad traditionem conservandam et propagandam ut bene ostendit Franzelin th. XIII. Cf. de his mediis Perrone l. c. de traditione c. 2. 3; Scheeben § 23 s.

diorum indagatione pervenire valebimus in cognitionem praedicationis et fidei seu traditionis quovis seculo in Ecclesia vigentis. Cum autem hac in quaestione persaepe patrum invocetur auctoritas, jam accuratius de hac erit disserendum.

185. **Thesis XXIV.** ***Unanimis patrum consensus in rebus fidei et morum certissimum est divinae traditionis argumentum.***

Declaratio. *Patris notio.* — Licet vulgo patres appellentur quicunque christiani scriptores doctrina et antiquitate conspicui, ut etiam Clemens alex., Origenes, Tatianus, Tertullianus, Lactantius, Arnobius, Eusebius caesariensis, Rufinus etc.: proprie tamen patres illi solum dicendi sunt, quos Ecclesia ipsa probavit atque sinceros ac eruditos suae seu potius apostolicae et christianae doctrinae testes et magistros esse declaravit. Prout enim Ecclesiae est declarare, quinam fuerint auctores inspirati, ita etiam ipsius est declarare, quinam sint testes idonei et magistri doctrinae a Christo et apostolis traditae, quam ipsa sola totam novit, adeoque ipsa sola, utrum ea in certis quibusdam scriptis vere contineatur, tuto dijudicare valet. Ita etiam quaelibet societas declarare potest, quinam sint magistri, judices, testes in rebus ad ipsam spectantibus idonei. Porro Ecclesia in hoc suo judicio ad has attendit dotes: **1.** ad eximiam doctrinam, quam non solum possederint, sed et libris testati sint; **2.** ad vitae sanctitatem, nam quamvis disciplinae profanae possint esse in homine minus probo, scientia sacra solet esse sanctitatis soror, quia in hac includitur specialis cum Deo, sapientiae fonte, conjunctio, ardens fidei sinceritatisque studium (praef. n. VII). Praeterea sicut patres naturales et verbo et exemplo liberos instituere, ita et patres Ecclesiae non solum scriptis fideles docere, sed et insigni virtutum exemplo excitare debent, ut eorum institutio perfecta dici possit. **3.** Etiam antiquitatis rationem aliquam habet Ecclesia. Approbatio autem innotescit ipso usu, si scil. concilia oecumenica ad eos provocant, si romani pontifices in monumentis publicis utuntur illis tamquam testibus et magistris, si eorum scripta olim in sacris conventibus post sacram Scripturam lecta fuerunt, vel si alii insignes patres eos in quaestione dogmatica praesertim adversus haereticos ss. patrum nomine proferunt, ut ex eorum doctrina Ecclesiae fidem patefaciant et probent. Praeter patres mentio quoque fit doctorum, qui scil. in Ecclesia doctrina insigni testandique auctoritate quam maxime excellunt [1]). Ut quis pleno sensu Ecclesiae doctor appellari possit, requiritur expressa vel aequivalens Ecclesiae declaratio. Quam si attendamus, videntur proprie esse Ecclesiae doctores: ss. Hilarius pictav., Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Gregorius M., Athanasius, Basilius, Gregorius naz., Joan. Chrysostomus, uterque Cyrillus, hieros. et alex., Leo M., Petrus Chrysologus, Isidorus hispalensis, Petrus Damianus, Anselmus, Bernardus, Bonaventura, Thomas et recentissime Alphonsus Liguori et Franciscus Salesius.

186. **Demonstratio.** Patres considerari possunt: **1.** literarie ac historice ut viri in singulis quibusque christianae antiquitatis

---

[1]) Cf. Fessler institut. patrol. l. 1. § 9 ss.; Heinrich § 81.

seculis docti magnaque pietate insignes; 2. hierarchice ut membra hierarchiae atque ministerii ecclesiastici, ut successores apostolorum constituentes illam nunquam interruptam pastorum seriem, per quam tamquam per canalem transfundenda est ex Christi voluntate doctrina revelata (n. 161): plerique enim erant episcopi; 3. formaliter ut qui singulis aetatibus plurimos fideles per Evangelium Christo genuerint (n. 188); et denique 4. theologice, ut qui disponente Christo[1]) depositum revelationis custodirent, aperirent Scripturas, doctoratus charismate fulgerent tamquam mundi luminaria, christiano populo tamquam viae duces praeirent, et divinitus exciti Ecclesiae doctrinam propugnarent adversus haereticorum insultus: quos proinde etiam Ecclesia in suis definitionibus fidei sequi soleret. Atqui si patres quadruplici hoc modo considerentur, quisque facile intelliget, illorum consensu traditionem innotescere. Neque unquam alia fuit christiani nominis persuasio theoretice et practice manifestata. Et practice quidem, cum tam concilia quam Ecclesiae doctores dogmata fidei hoc consensu probarent, haereticorum vero opiniones damnarent propter earum a patrum unanimi conspiratione dissensum[2]). Theoretice se prodidit sive anathemate dicto in eos, qui patrum auctoritatem spernerent, sive diserta conciliorum professione, qua testantur, se in omnibus sequi patrum doctrinam.

187. Hoc profitetur concilium ephesinum (n. 173); episcopi in conc. chalcedonensi definitionem fidei edunt sequentes ss. patres persuasi, semper „licere ambiguitate quaestionis exorta, patrum interpretationibus nostram accommodare confessionem, ac docere, quod in nullo discordem intelligentiae eorum detulerimus animum, sed his utamur testibus ad nostrae fidei confirmationem[3]),“ eumque „qui patrum depravat intelligentiam, praevaricationis exsistere reum[4]).“ Conc. lateranense sub Martino I. (a. 649) can. 17. statuit: „Si quis secundum ss. patres non confitetur proprie et secundum veritatem omnia, quae tradita sunt et praedicata sanctae catholicae et apostolicae Dei Ecclesiae, perindeque a ss. patribus et venerandis universalibus quinque conciliis usque ad unum apicem verbo et mente, condemnatus sit.“ Sancta synodus (VII), ut legimus act. 4, dixit: „Divinitus sonantium patrum doctrinae nos correxerunt (plures enim episcopi prius putaverant ss. imagines esse reproban-

---

[1]) »Nam providissimus Deus, ita Leo XIII. ep. encycl. Aeterni Patris 4. Aug. 1879, sicut ad Ecclesiae defensionem martyres fortissimos, magnae animae prodigos, contra tyrannorum saevitiam excitavit: ita philosophis falsi nominis aut haereticis viros sapientia maximos objecit, qui revelatarum veritatum thesaurum etiam rationis humanae praesidio tuerentur.«

[2]) Cf. supra n. 170 ss. aliaque exempla passim reperies in conciliis et in operibus polemicis patrum. Cf. opusc. IX, 245. 252. annot.

[3]) Act. 5. apud Mansi VII, 116. [4]) Ib. c. 464.

das)! Ex ipsis haurientes veritatem potati sumus! Eos sequentes mendacium persecuti sumus! Ab eis edocti venerabiles imagines salutamus. Patres praedicant, filii obedientiae sumus et congratulamur in facie matris traditione Ecclesiae catholicae.« Conc. oecumenicum VIII. statuit act. 10. can. 1: „Ut rectam regiamque divinae justitiae viam sine erroris offensa teneamus, ss. patrum decreta velut inexstinctae quaedam semperque lucentes faces sequenda sunt. Quapropter sanctiones Ecclesiae catholicae et apostolicae per traditionem tum a ss. apostolis, tum ab orthodoxis oecumenicisque et particularibus conciliis aut a quovis deiloquo patre et doctore Ecclesiae acceptas servandas custodiendasque profitemur. Traditiones enim sive per sermonem sive per epistolas majorum nostrorum, qui vitae sanctitate nobis praeluxerunt, acceptas diserte magnus apostolus Paulus (2. Thess. 2, 14) tenendas monet.«

188. Luculentissime vero de hoc argumento disputat Augustinus. Postquam enim adversus Julianum pro peccato originali patrum doctrinam adduxit, ita eorundem auctoritatem extollit[1]): „Isti episcopi sunt, docti, graves, sancti, veritatis acerrimi defensores adversus garrulas vanitates, in quorum ratione, eruditione, libertate, quae tria bona judici tribuisti, non potes invenire quod spernas. Si episcopalis synodus ex toto orbe congregaretur, mirum si tales possent illic facile tot sedere. Quia nec isti uno tempore fuerunt, sed fideles et multis excellentiores paucos dispensatores suos Deus per diversas aetates temporum locorumque distantias, sicut ei placet atque expedire judicat, ipse dispensat. Hos itaque de aliis atque aliis temporibus atque regionibus ab Oriente et Occidente congregatos vides, non in locum, quo navigare cogantur homines, sed in librum, qui navigare possit ad homines. Quanto tibi essent isti judices optabiliores, si teneres catholicam fidem; tanto tibi sunt terribiliores, quia oppugnas catholicam fidem; quam in lacte suxerunt, quam in cibo sumpserunt, cujus lac et cibum parvis magnisque ministraverunt, quam contra inimicos etiam vos tunc nondum natos, unde nunc revelamini, apertissime et fortissime defenderunt. Talibus post apostolos sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, aedificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit. Ideo profanas voces vestrae novitatis expavit, et cauta ac sobria ex admonitione apostolica (2. Cor. 11, 3), ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, sic et mens ejus corrumperetur a castitate, quae est in Christo, catholicae fidei virginitate insidias vestri dogmatis subrepentis exhorruit, et tamquam caput colubri calcavit, obtrivit, abjecit etc.« Quare Vincentius lir. commonitorium suum absolvit[2]) hac gravi sententia: „Necesse est profecto omnibus deinceps catholicis, qui sese Ecclesiae matris legitimos filios probare student, ut sanctae ss. patrum fidei inhaereant, adglutinentur, immoriantur: profanas vero profanorum novitates detestentur, horrescant, insectentur, persequantur.« Nam, ut ait s. Basilius[3]), „Patrum vesti-

---

[1]) L. 2. c. 10. n. 37.

[2]) Cf. cc. 28. 29. 33. (opusc. IX), verba Athanasii infra t. II. n. 229. et epistola Adelmanni episcopi brixiensis ad Berengarium (Mig. 143, 1291). Plura cf. apud fratres de Walenburch in l. perpetua probatio fidei per testes c. 27 ss.; Franzelin th. 9; Fessler l. c. § 16. [3]) Ep. 52. n. 1.

giis non insistere nec sua sententia vocem illorum potiorem ducere, res est reprehensione digna, ut plena arrogantiae.«

189. **Thesis XXV.** ***Quod de consensione patrum omnium affirmamus, idipsum quoque tenendum est de consensione omnium occidentalium explorata.***

Demonstratio. Haec est doctrina Augustini, qui postquam pro dogmate catholico de peccato originali citavit patres occidentales, ita prosequitur [1]: „An ideo contemnendos putas, quia occidentalis Ecclesiae sunt omnes, nec ullus est in eis commemoratus a nobis Orientis episcopus? . . . Puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare . . . Non est ergo cur provoces ad Orientis antistites, quia et ipsi utique christiani sunt, et utriusque partis terrarum fides ista una est, quia et fides ista christiana est; et te certe occidentalis terra generavit, occidentalis regeneravit Ecclesia.“ Sane Oriens et Occidens per secula plura unam constituebant Ecclesiam. Atqui de unitatis Ecclesiae essentia est unitas fidei, cum fides sit fundamentum Ecclesiae. Ergo quamdiu schismate ab invicem scissae non sunt, una erat Orientis Occidentisque fides. Repugnat autem, ut manente fidei unitate in tanta pastorum vigilantia patres omnes occidentales aliquam doctrinam pro revelata propugnaverint, quam patres graeci rejecerint. Quare ipse consensus patrum occidentalium argumentum est praedicationis, fidei et traditionis Ecclesiae orientalis et hinc mediate Ecclesiae universalis [2]).

190. **Thesis XXVI.** ***Conspiratio patrum numero plurium, imo testificatio paucorum quandoque patrum certis in adjunctis, aliis minime reclamantibus, tutum praebet traditionis divinae argumentum.***

Demonstratio p. I. Sufficere ad cognoscendam divinam traditionem suffragium plurium tantum patrum, sed insignium, ceteris non reclamantibus, probatur luculenta praxi conciliorum ipsorumque patrum, qui ad comprobanda dogmata catholica haeresesque damnandas satis esse putant decem vel duodecim patrum sententiam adduxisse; ita concilia ephesinum, chalcedonense, constantinopolitanum III. et IV., ita Augustinus l. 1. adversus Julianum, Theodoretus in dialogis tribus adversus Apollinaris errores, Cyrillus alex. in l. de recta fide, Leo M. in ep. 184. ad Leonem Augustum, Cassianus in suo opere de incarnatione contra Nestorium [3]), Ge-

---

[1]) L. 1. c. Jul. c. 4. n. 13.

[2]) Cf. egregiam card. Bessarionis in concilio florentino habitam orationem c. 2. ap. Hard. coll. conc. IX, 319 ss.

[3]) Cf. opusc. IX, 245 ss. annot.

lasius I. tract. 3. de duabus naturis in Chr. n. 17 ss.; s. Agatho in ep. c. monoth.; Damascenus or. c. iconomachos etc. Quis enim unquam dicet, primis religionis christianae seculis pastores doctissimos, imo concilia oecumenica ignorasse legitimam methodum probandi fidem christianam? Ergo universa antiquitas censuit consensum plurium tantum patrum, ceteris tamen non reclamantibus, tutum esse traditionis et fidei revelatae criterium. Cujus rei hanc reddit Vincentius lirin. de conc. ephesino disserens rationem[1]: „Quamquam multo amplior majorum numerus adhiberi potuerit, sed necesse non fuit, quia neque multitudine testium negotii tempora occupari oportebat, et decem illos non aliud vere sensisse quam ceteros omnes collegas suos nemo dubitabat.“ Sane ipsum aliorum silentium est consensionis signum, cum ex historia dogmatum liqueat, patres solitos non fuisse silere, si quis magnae alioquin auctoritatis vir doctrinam dissonam ab Ecclesiae praedicatione proposuisset.

191. **Corollarium.** Immerito proinde exigunt protestantes, ut dogmata controversa ex vetustissimis primorum seculorum patribus probentur. Quod invicte ostendit Petavius. Nam postquam provocavit ad conc. ephesinum, quod in controversia adversus nestorianos, utrum Deus natus sit ex virgine, aliquot patrum, quorum vetustissimus erat Cyprianus, adduxerat testimonia, ita protestantes compellat[2]: „Nunc illud velim, ut mihi respondeant adversarii, utrum existiment synodum illam, quia nullos priorum seculorum suffragatores decreti sui proferre poterat, recentiores et paucis ante se annis mortuos advocasse, an cum alios antiquiores nominare posset, novis istis utpote idoneis fuisse contentam? Horum utrum dixerint, tum causam nostram adjuvabunt, tum deteriorem facient suam. Nam si nemo fuit Ecclesiae doctor primis illis seculis, qui catholico de Christi divinitate dogmati fidem faceret, ut ex nuperis affirmari illud oportuerit, frustra nobis invidiam ex antiquissimorum illorum temporum silentio comparare student. Quod si exstabant aliqui primis illis seculis, sed consulto his antepositi sunt qui proxime praecesserant, nihilo nos magis accusare deberent, si in appellandis novissimis illorum exempla sequeremur . . . Sic etiam chalcedonense concilium auctores inscribit sibi vix toto seculo anteriores; unum etiam proxime h. e. ante sex annos vita functum, Cyrillum alexandrinum. Nec deerant, opinor, vetustiores alii, quorum uti testimonio poterant, ac tanto plures, quanto major illis suppetebat librorum copia, nondum ad inanitatem redactis aut variis casibus consumptis bibliothecarum forulis. Nos certe ad duas in Christo naturas affirmandas antiquissimorum suffragia conquisivimus, et a primo usque seculo, ut Clementis romani, et Ignatii M. ac deinceps aliorum Justini, Irenaei, Clementis alex., Hippolyti M., Origenis, quorum nemo in synodo est auditus.« Quod deinde ex aliorum quoque conciliorum et patrum gravissimorum praxi ulterius confirmat. Temerarium autem foret affirmare, hos omnes ignorasse genuinam methodum probandi dogmata catholica.

---

[1]) Cap. 30. [2]) De incarn. l. 14. c. 15.

192. **Demonstratio p. II.** Majorum traditione continetur canalis divinae revelationis. Atqui de majorum traditione constare rite potest, si patres quamvis pauciores reclamante nemine absque ulla haesitatione ad veterum traditionem provocant **1.** in gravissima fidei causa et quidem **2.** fidenter in plenis adversus haereticos disputationibus, et **3.** in conspectu totius propemodum christianae societatis, quae certe reclamasset, si quid dissonum patres ipsius causam agentes a praedicatione ecclesiastica proposuissent. Ideo quandoque vel unius patris maxima fuit auctoritas, ut s. Athanasii, de quo Cyrillus alex. merito in ep. 1. ad monachos affirmat: „Sane idoneus est hic vir apprimeque dignus, cui tuto fidem adjungere licet, ut qui nil protulisset, quod a divinis literis esset alienum. Quo enim pacto illustris ille celebratusque pater, qui in sacra illa magnaque synodo nicaena in tanta omnium admiratione habitus est, a veritatis tramite aberraret?“ Et s. Augustinus de Gregorio nazianzeno affirmat[1]: „Est tanta persona, ut neque ille hoc nisi ex fide christiana omnibus notissima diceret, nec illi (episcopi suae regionis et aetatis) eum tam clarum haberent atque venerandum, nisi haec ab illo dicta ex regula notissimae veritatis cognoscerent.“ Quae cum de aliis repeti possint, quos insignis sanctitas et doctrina, res gestae pro religione christiana et bella adversus haereticos suscepta celebres reddidere, liquet paucos admodum quandoque sufficere patres, ut tuto constet de fide et praedicatione Ecclesiae sui temporis, proinde de traditione tunc in pastorum successione vigente.

193. **Scholion I.** *Regulae de patrum auctoritate.* — Ut reliqua, quae ad patrum auctoritatem spectant, paucis complectamur, advertimus: **1.** Quamvis singulorum patrum, si seorsim spectentur, auctoritas sit gravis, ut ex dictis colligitur: nullius tamen auctoritas est infallibilis, ut per se patet, atque etiam passim inculcat Augustinus, ut ep. 148. ad Fortunatianum n. 15: „Neque enim, inquiens, quorumlibet disputationes, quamvis catholicorum et laudatorum hominum velut Scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salva honorificentia[2]), quae illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis

---

[1]) L. 1. c. Jul. n. 16. Ipse Beza de unit. div. essentiae, cum Augustini verbis verum Ecclesiae dogma comprobasset, „Quis sano homini, inquit, persuaserit, aliter docuisse Augustinum de Trinitate quam africanas ecclesias, et istas rursus aliter quam catholicus consensus ferret?“

[2]) En quam modeste et quanta cum honorificentiae significatione erga s. Cyprianum scribat Augustinus (de bapt. l. 6. c. 2), cum ab ipsius sententia recedere cogeretur: „Quapropter reddens debitam reverentiam dignumque honorem quantum valeo persolvens pacifico episcopo et glorioso martyri Cypriano,

improbare atque respuere, si forte noverimus, quod aliter senserint, quam veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta vel a nobis." Ita de singulis patribus seorsim vel etiam de pluribus patribus extra consensum spectatis intelligi debent, quae Augustinus aliique subinde affirmare videntur, non auctoritate, sed ratione et probatione, qua utuntur patres, se moveri: nam ubi adest consensus, non auctoritas singulorum probat, sicut auctoritas vel unius Scriptoris inspirati sufficit: sed in consensu continetur ratio et probatio traditionis tam historica et philosophica quam theologica ad assensum movens. Quare **2.** sicuti singuli non coece sunt sequendi [1]), ita nec temere sine ratione deserendi, nedum contemnendi. Optima quoad singulos est regula s. Augustini statuentis[2]): „Quae vera esse perspexeris, tene et Ecclesiae catholicae tribue; quae falsa, respue et mihi, qui homo sum, ignosce; quae dubia, crede donec aut respuenda esse aut vera esse aut semper credenda esse, vel ratio doceat, vel praecipiat auctoritas."

194. Per se patet **3.** non eandem esse singulorum patrum auctoritatem, sed eam crescere pro ratione antiquitatis, sanctitatis, eruditionis, celebritatis, dignitatis hierarchicae, approbationis, usus librorum ab ipsis conscriptorum qui in Ecclesia obtinuit, partium quas in expugnandis haeresibus propugnandaque Ecclesiae doctrina et in definitionibus conciliorum habuerunt. Evidens pariter est **4.** in taxanda probandi auctoritate alicujus testimonii patrum habendam esse rationem libri, e quo desumitur, occasionis, qua fuit prolatum, aliorumque adjunctorum. Porro **5.** patres fungi possunt munere vel testis vel doctoris. Quae hucusque diximus de patrum auctoritate, in primis ad eos referuntur, quatenus sunt traditionis testes. Eos autem tamquam testes, non vero ex sua opinione loqui, patet, si ex. gr. id vel

---

audeo tamen dicere eum aliter sensisse de schismaticis vel haereticis baptizandis, quam postea veritas prodidit, non ex mea, sed ex universae Ecclesiae sententia plenarii concilii auctoritate roborata atque firmata.« Cf. ejus ep. 81. n. 3; de Trinit. III. n. 2. opusc. XLII; c. Faustum XI. c. 5. Cf. Franzelin th. 14.

[1]) Damnata est ab Alexandro VIII. prop. 30: „Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam pontificis bullam." Ad rem Thomas 2. 2. q. 10, a. 12: „Maximam habet auctoritatem Ecclesiae consuetudo, quae semper est in omnibus aemulanda; quia et ipsa doctrina catholicorum doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet. Unde magis standum est auctoritati Ecclesiae, quam auctoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cujuscunque doctoris."

[2]) De vera relig. n. 20; de Trinit. prooemii l. 3. n. 2. Cf. regulas utiles apud P. Gautier S. J. in prodromo ad theologiam dogmatico-scholasticam disp. 3. cap. 2. a. 6, etiam in thesauro Zachariae I, 276 ss.; Melch. Canus de locis theol. l. 7.

diserte vel aequivalenter affirmant, si ad majorum traditionem provocant, si quod proponunt, dogma esse fidei pronunciant, si doctrinam contrariam tamquam haereticam rejiciunt etc. Si vero spectantur ut doctores, qui fidei doctrinam defendunt vel subtiliter exponunt, cum nec argumenta nec expositionis modus semper pertineant ad revelationem, minor est singulorum auctoritas. Quod si tamen in modum dogmata concipiendi vel probandi conspirant, non licet hanc dogmatis explicationem vel probationem tamquam mere subjectivam rejicere, cum ea pertineat ad traditionem et non sit nisi intellectus catholicus formatus et expolitus sub assistentia et directione s. Spiritus. Ex dictis patet **6.** patres speciali auctoritate potiri circa depositum revelationis seu doctrinam fidei et morum, quam vel testantur, vel exponunt; in reliquis quaestionibus cum fidei deposito non connexis tantum valet eorum auctoritas, quantum aliorum scriptorum in iisdem adjunctis, et quantum rationes, quibus utuntur, probant [1]).

195. **Scholion II.** *De patrum dissensu.* — Diffiteri non possumus, patres hinc inde inter se etiam circa doctrinae revelatae capita dissentire. Saepe tamen hic dissensus est vel exaggeratus vel apparens, vel rei substantiam non attingit, sed quaestiones tantum accidentales et modum loquendi. Certum enim **1.** ex hucusque dictis esse debet, fieri nunquam posse, ut patres omnes unius aetatis contradicant patribus alterius aetatis in re spectante ad fidem, quod magis etiam elucescet ex dicendis de Ecclesiae indefectibilitate: neque ullus dissensionis hujus afferri potest certum exemplum. Quod si **2.** revera patres ab invicem dissentire videantur, omni conandum est opera, ut invicem concilientur, etiamsi subinde significationes verborum minus propriae et insolentiores supponi deberent, secundum illud Athanasii [2]): „Non decet illos cum his committere,

---

[1]) Cf. s. Thomas in 2. dist. 14. q. 1. a. 2. ad 1.

[2]) De synodis n. 43. Cf. etiam n. 13. 14. 45. 47. Eadem inculcat Damascenus ep. de hymno trisagio n. 7. Cf. plura monita bona, quamvis male applicata, apud Facundum hermianensem pro defens. trium capit. l. 8. c. 7; l. 10. cc. 5. 6; l. 11. c. 6. Ita ex. gr. l. 9. c. 5. bene advertit: „Quemadmodum calumniantium haereticorum est, ex dubiis et obscuris, quae certa et manifesta sunt, male interpretari: ita solitum est prudentiae ac pietatis catholicae, ex indubitatis atque evidentibus et firmare ambigua et latentia declarare. Ideoque melius facimus, si virorum doctissimorum in pace Ecclesiae mortem obeuntium scripta melius interpretemur.“ Modeste sed omnino ad rem scribit Guilelmus ab. s. Theodorici († c. 1150) de sacr. altaris c. 11: „Prudens lector et qui ea benevolentia ecclesiastica legit, qua a secularibus secularia leguntur, inter quos plurimum laudatur ille, qui quemlibet auctorem docere potuerit melius dixisse, non ambigens, quod ipse potius errare dicetur, si persuadere voluerit, illum in aliquo errare: qui sic, inquam, legit ecclesiastici doctoris librum, si quid in eo quasi dubium et scrupulosum invenit, non statim illud exsecrando invadit, sed inspicit et discutit et retractat ex lectionis circumstantia et ex aliis scriptis ejus-

omnes enim patres sunt; neque sanctum esset, definire hos probe, illos male loquutos, omnes quippe in Christo obdormierunt; neutros fas est culpare, omnes quippe res Christi curabant, omnes studia sua convertebant adversus haereticos.« Quare **3.** curandum est, ut quae aliquis scriptor obscure, ambigue, implexe dixit, declarentur per ea, quae vel ipse aliis in locis clarius disseruit, vel alii, quibuscum in eadem vixit communione fidei, clare et expresse scripserunt. »Qui enim, inquit card. Bessarion in perdocta oratione dogmatica in concilio florentino habita (in qua plura ad rem nostram reperiuntur), in illis, idem et in his locutus est Spiritus s., et quae per illos subobscure, eadem per hos aperte docuit, ob eam quam ille scivit causam et propter necessariam tunc fortassis dispensationem.« Quo principio innixi conantur ipsi patres orthodoxe explicare ea, quae alii minus accurate scripserunt; ita Augustinus Chysostomum[1]; Dionysium Athanasius[2]) et Basilius[3]) benigne sunt interpretati. »Oportet, inquit[4]) ad rem Eulogius alex., sanctorum, qui certis temporibus doctores exstiterunt, doctrinam integre perlegere, et non ex parte illorum proferre sententias, indeque de tota eorum mente non sine periculo conjecturam facere . . . quandoquidem ex uno aliquo dicto sive epistola sive lucubratione tota scriptoris pietas ostendi non potest.« Et Ambrosius[5]): »Verbum si offenderit, virtutem professionis interrogato . . . etiam sermonem dubium mens non dubia obumbrat et defendit a lapsu.«

196. Si vero **4.** patrum dicta nullo modo conciliari possunt cum sana doctrina, seponenda sunt. Neque mirum videri debet, aliquos in nonnullis errasse propter monumentorum et definitionis ecclesiasticae in controversiis subortis defectum: unde factum est, ut non semper satis clare videre potuerint sententiam aliquam revelatione divina contineri. »Haec autem scandala, inquit ad rem Facundus hermianensis[6]), vel quaelibet merito nos offendunt in patribus, quos tamquam luminaria Deus in Ecclesia sua

---

dem auctoris: et ad ultimum prius eligit confiteri se ignorare vel non intelligere, quam illi notam erroris impingere. Cf. Vincentius lir. commonit. c. 7.

[1]) L. 1. c. Jul. n. 22 ss. [2]) In l. de sent. Dion. [3]) Ep. 210. n. 5.

[4]) Apud Photium cod. 215. [5]) Ep. 48. n. 4.

[6]) L. c. l. 6. c. 5. Ideo l. 11. c. 3. statuit: »Quod si tam certus error est aliquorum in pace Ecclesiae defunctorum, ut his quae diximus nequeat excusari, sine illorum infamia, sine offensione et conturbatione Ecclesiae, tacitis eorum nominibus, ipsis erroribus occurratur, ut et debita reverentia exhibeatur praedicatoribus in Ecclesiae pace defunctis, et nulli catholico sit offensa defensio veritatis.« Lanfrancus vero epist. 50. pro sua modestia consulit: »Tutius est lectori in difficillimis ss. patrum sententiis, quas ingenii sui imbecillitas capere non potest, interrogato quod nescit, dicere, se nescire, quam pertinaci arrogantia non sine sua et aliorum pernicie fidei contraria definire, praesertim si talis persona sit, quae vel scientia literarum vel probitate morum vel potius utraque parte auctoritatis pondus prae se gerere videatur.« Gemina habet Durandus abbas troarnensis († 1088) in l. de corpore et sang. Domini n. 16 (Mig. 149, 1417). Cf. Franzelin th. 15; Scheeben § 26; Maranus in praefat. ad opera Justini M. p. 2. c. 13; Petavius theolog. dogm. prolog. c. 2; Thomassinus tr. 3. in praef. de consensu scholae de gratia n. 33 ss.

constituit, ut eorum desuper illuminemur excellenti scientia atque doctrina, sic habenda mihi videntur, sicut ipsorum quoque luminarium coeli defectus, quae licet nonnunquam splendoris sui detrimenta sustineant, non tamen amittunt luminaria esse quod sunt. Et crebro quidem accidit, ut ista quoque Ecclesiae luminaria, quoniam multa a nobis celsitudine separantur, pro quodam nostrae ignorantiae nubilo, cum in se splendentia maneant, nobis videantur obscura.«

197. **Thesis XXVII.** ***Christianarum scholarum institutio consentiens et illorum de fide concors doctrina, qui post patres in unitate catholica singulis floruere aetatibus, certissimum traditionis seu doctrinae revelatae criterium censeri debet.***

Demonstratio. Adjicimus hanc thesim praecedentibus propter argumenti affinitatem et ad integram de hac quaestione materiem exhibendam, licet in ea et Ecclesiae indefectibilitas et variae promissiones eidem factae supponi jam debeant. Ut vero thesis veritas elucescat, advertatur **1.** eos de quibus loquimur, hisce in docendo scribendoque directos fuisse principiis: impositum sibi esse officium **a.** ne a definitis articulis vel minimum discederent, et **b.** ut secundum aurea Vincentii lirin. verba receptam antea doctrinam custodirent, explicarent, tuerentur[1]): quibus principiis positis fieri minime potuit, ut unanimis scholarum consensus in christiana institutione a prisca traditione deflecteret. Ad haec **2.** consensio scholae in christiana institutione aequivalet singulis aetatibus ipsi Ecclesiae doctrinae. Nam „si qua in quaestione, inquit ad rem M. Canus de loc. theol. VIII, 4, universi theologi eadem inter se concinunt, profecto si in eo errant, Ecclesiam item errandi periculo exponunt. Sive enim qui confessiones audiunt, sive qui ad populum habent conciones, utrique plebem instituunt, ut a theologis acceperunt (idem dicatur de episcopis gregem sibi concreditum verbo salutis pascentibus). Ita fit, ut Ecclesia eorum in fide communem errorem dissimulando, Christi fideles suo silentio deciperet.“ Eoque magis **3.** quod Ecclesia, si quas haereses condemnavit, si qua de fide et moribus decreta tulit, in utrisque scholasticorum studio et dili-

---

[1]) Commonit. c. 22. Quod principium ita etiam expressit s. Gebhardus archiep. salisburgensis († 1088) in ep. ad Hermannum ep. metensem (Mig. 148, 851): »Nos igitur et qui nostrae partis sunt, quibus etiam Ecclesiae disciplina commissa est, ipsi Ecclesiae in hoc satisfacimus, quia nihil docuimus vel docemus praeter id, quod didicimus. Si inquirimur unde, a quibus didicerimus, certe multos et nequaquam obscuri nominis doctrinae nostrae adstipulatores habemus. Apostoli nos docuerunt, apostolorum successores, apostolicae sedis pontifices; praeter illos, imo secundum illos aliorum patrum copiosa multitudo, qui notae sanctitatis et auctoritatis sunt, quorum doctrina fulget Ecclesia . . . quorum sanctionibus non ignorantia vel negligentia, sed studio reluctari, quid aliud est, quam Spiritum, qui per eos locutus est, blasphemare?

gentia vehementer adjuta fuerit. Accedit **4.** ductum ex historia argumentum, quo docemur, eos, qui unanimi scholarum consensioni in christiana institutione pertinaciter repugnarunt, serius ocius ipsam incurrisse haeresis labem. „Connexae quippe sunt, inquit verissime Melch. Canus[1]), et fuere semper post natam scholam, scholae contemptio et haeresum pestes.“ Quare nil mirum, et eos, qui recentiori aetate in rebus dogmaticis errarunt, animos gessisse in scholas infensos, et vicissim depositi custodes tutelam in semet suscepisse scholarum.

198. *Uberior thesis declaratio.* — Ad pleniorem nostrae assertionis intelligentiam advertatur **1.** nos loqui de unanimi et constanti conspiratione scholarum per tempus diuturnum, et quidem **2.** in doctrinam aliquam non quomodocunque, sed quam dicant revelatam atque fide tenendam. Neque scholis **3.** hanc auctoritatem vindicamus, quasi scholae scholarumque theologi sint organum illud immediate a Christo institutum ad conservandam doctrinam revelatam sub assistentia Spiritus veritatis; sed quatenus ex earum conspiratione certo constat de traditione et intellectu catholico ipsius successionis apostolicae. Quare inter patrum consensum et theologorum conspirationem haud contemnendum est discrimen, quod **a.** patres fere omnes vi muneris successores sint apostolorum, ideoque testes authentici revelationis et heredes assistentiae divinae: scholastici vero minori ex parte fuerint vel facti sint episcopi, hinc per se non sint testes authentici; **b.** quod patres fere singuli ab Ecclesia diserte vel aequivalenter vel saltem tacite sint approbati, non vero singuli scholastici, si paucos excipias. Et si **4.** verba Eph. 4, 11: *Et ipse* (Christus) *dedit . . . pastores et doctores* etc. generatim non spectent ad doctores scholasticos[2]), tamen ad demonstrationem saltem mediatam adhiberi possunt. Posita enim auctoritate docendi, quae successioni apostolicae a Christo verbis illis collata demonstratur, potest ex eadem auctoritate et ex connexione ac relatione scholae[3]) ad pastores et doctores divinitus institutos ipsius scholae

---

[1]) L. c. c. 1. Cf. Kleutgen Theol. der Vorzeit t. 1. sect. 1. n. 70 ss.; Philos. der Vorzeit n. 8 ss., qui errores de la Mennais, Bautain, Gioberti, Hermesii, Güntheri et aberrationes philosophiae recentioris huic contemptui adscribit; Genér in theol. dogmatico schol. t. 1. Prodr. 1. c. 2. § 8 ss.; Dechamps, de haer. jans. l. 2. disp. 1. c. 5; Scheeben § 27; Heinrich t. II. § 82.

[2]) Nomine *doctorum* Ephes. 4, 11. haud incommode possent intelligi non tantum ii, qui vi muneris sunt in Ecclesia doctores i. e. pastores seu episcopi, sed etiam qui speciale doctoratus charisma ad utilitatem Ecclesiae divinitus acceperunt. Ejusmodi vero charisma plures saltem ex illis, quos scholae theologos appellamus, licet non fuerint episcopi, in specialem Ecclesiae utilitatem accepisse negari nequit, si tot pontificum encomia expendamus, quibus theologiam scholasticam ejusque, quae in Ecclesiam redundarunt, commoda extollunt.

[3]) Ad rem Pius IX. in lit. ad archiep. monac. 21. Dec. 1863 scribit: „Neque ignorabamus, in Germania etiam falsam invaluisse opinionem adversus veterem scholam et adversus doctrinam summorum illorum doctorum, quos propter admirabilem eorum sapientiam et vitae sanctitatem universalis veneratur Ecclesia.

deduci auctoritas. Cum vero **5.** connexio inter scholas theologicas et Ecclesiae magisterium longe fuerit arctior ante conc. tridentinum, quam post illud (lapsu enim temporis pleraeque scholae theologicae, praesertim in academiis, ab influxu et directione pastorum Ecclesiae se emanciparunt) hinc est quod conspiratio scholarum ante illud tutius sit praedicationis ecclesiasticae et traditionis divinae criterium, quam theologorum consensus post illud, quamvis neque hunc temere liceat spernere. Quod si **6.** propositio et deductio alicujus theologicae doctrinae in theologorum scriptis rata et unanimi sententia exhibetur ut vera ac legitima, ab ea sine temeritatis saltem nota fas non est dissentire; quia talis consentiens auctoritas et per se i. e. vel secundum sanae rationis principia gravissima est, et ab Ecclesia magni fit et tamquam elementum aliquod habetur praeparationis ad solemnes definitiones. Quando vero **7.** opinionum diversitas est inter graves theologos, ex sola theologorum auctoritate certitudo comparari non potest: sed omnibus perpensis secundum rationes ex theologicis fontibus deductas statuendum est, quid verum, aut quid vero sit similius.

199. **Scholion.** *S. Thomae auctoritas.* — Inter hos autem theologos eminere s. Thomam, cujus proinde gravissima in re theologica sit auctoritas, nemo est, qui dubitet, si attendat **1.** ad concilia oecumenica, quae maximam in suis fidei decretis rationem habuerunt ejus doctrinae, praesertim ad conc. tridentinum, in cujus aula praeter s. Scripturam pontificumque constitutiones proposita erat s. Doctoris summa; **2.** ad declarationem Pii V., qui eum Ecclesiae doctoribus accenset, »quoniam omnipotentis Dei providentia factum est, ut angelici doctoris vi et veritate doctrinae . . . multae, quae deinceps exortae sunt haereses, confusae et convictae dissiparentur;« **3.** ad tot pontificum a Joanne XXII. ad Leonem XIII. usque praeconia, quibus eum extollunt et commendant propter doctrinae puritatem et praestantiam, quam speciali Dei charismati adscribere haud dubitant; **4.** ad tot academias, in quibus tamquam in suo regno consedit princeps; ad tot ordines religiosos, qui eum viae ducem et sanae doctrinae magistrum selegerunt, suisque sancte injunxerunt, ut ejus doctrinam in primis sequerentur; **5.** ad innumeros viros doctos, qui se ejus discipulos profitentur, ejus magisterio gloriantur, auctoritate in omnibus quaestionibus utuntur atque in ea conquiescunt; **6.** ad praxim, qua ejus summa in academiis scholisque per secula praelegebatur; explicabatur, norma erat institutionis theologicae. Quare merito dici potest Thomae ore loqui theologiam scholasticam, imo catholicum intellectum, ac propterea eos omnes prudenter agere, qui student ejus imbui doctrina et spiritu, ut proficiant in doctrina et intellectu catholico, sapientissimumque

---

Qua falsa opinione ipsius Ecclesiae auctoritas in discrimen vocatur, quandoquidem ipsa Ecclesia non solum per tot continentia secula permisit, ut ex eorundem doctorum methodo, et ex principiis communi omnium catholicarum scholarum consensu sancitis theologica excoleretur scientia, verum etiam saepissime summis laudibus theologicam eorum doctrinam extulit, illamque veluti fortissimum fidei propugnaculum et formidanda contra suos inimicos arma vehementer commendavit.«

esse Leonis XIII. P. M. consilium[1]), quo viros omnes ecclesiasticos ad solidum excitat doctoris angelici studium. Non tamen propterea censendum est sive **a.** s. Thomam in omnibus esse infallibilem, quod nulli doctorum datum est nisi Ecclesiae ejusque capiti (n. 193); sive **b.** non licere in aliquibus gravi de causa ab ejus recedere sententia; sive **c.** scientiam omnem theologicam ejus comprehendi doctrina, ultra quam progredi non liceat; sive **d.** soli ipsius auctoritati esse standum, ea sola omnem controversiam dirimendam: sed ejus principiis et methodo esse utendum, ipsum viae ducem sequendum, ejus rationes et argumenta sagaciter esse expendenda. Quare sicut prudens fidusque magister non obest discipuli profectui, sed eum potius plurimum promovet; ita qui tanti doctoris scientia et sapientia imbuitur, non inhaerebit tantum ipsius verbis et scitis, sed Dei gratia aspirante laetissimum sibi polliceri poterit et profectum, quem nulli tantus doctor tam lati cordis invidebit.

200. **Thesis XXVIII.** ***Totius populi christiani catholicus sensus et consensus in dogmate fidei censeri debet divinae traditionis criterium.***

Demonstratio. Ut status quaestionis rite intelligatur, adverti debet **1.** nos demonstrasse, medium et canalem divinitus selectum ad revelatam doctrinam in posteras generationes seculorum cursu derivandam, esse perennis ministerii ecclesiastici praedicationem. Jam vero **2.** quaeritur, quo pacto scire possimus, quid quovis seculo Ecclesia praedicaverit, atque adeo crediderit et tradiderit. Cui quaestioni **3.** ut respondeamus, plura assignamus media, quibus traditionem doctrinae revelatae veluti flumen cognoscere ac per seculorum cursum ad fontem usque persequi possimus. Inter haec media **4.** dicimus etiam esse sensum et consensum populi christiani in aliquam doctrinam tamquam revelatam et fide tenendam. Neque immerito. Sicut enim **1.** vox repercussa (echo) clamantis vocem manifestat et quidquid ille dixit ingeminat: ita Ecclesiae praedicatio resonat in ejus membrorum fide, ex qua proinde quid Ecclesiae pastores praedicaverint tradiderintque colligi potest. Fieri siquidem nequit **2.** ut universi populi christiani sensus et consensus in fide dissonus sit a praedicatione magisterii ecclesiastici quin **a.** pereat indefectibilitas Ecclesiae, quae non tantum ex pastoribus, sed etiam ex ovibus adhaerentibus praepositis suis coalescit; quin **b.** fraudetur ministerium ecclesiasticum suo fine, ad quem divinitus est institutum[2]); quin **c.** defuerit Christus suis promissis, quibus promisit Spiritum veritatis[3]), qui non sineret Ecclesias, ut ait

---

[1]) In gravissimis lit. encyclicis ‚Aeterni Patris' 4. Aug. 1879, et aliis 4. Aug. 1880, quibus eum scholarum theologicarum patronum declarat. Cf. Kleutgen Theologie der Vorzeit t. ult. p. 2. disp. 1. c. 6. § 2.

[2]) Cf. n. 159 ss.; 361. [3]) Cf. n. 366.

Tertullianus[1]), aliter intelligere, aliter credere, quam ipse per apostolos praedicasset.

201. Quare **3.** patres saepe ad hunc consensum provocant ex eoque argumenta adversum haereticos pro dogmate catholico derivant; ita Tertullianus[2]), Vincentius[3]) lirin., Cassianus[4]), Hieronymus contra Vigilantium n. 4., Augustinus passim contra pelagianos, ex. gr. in quaestione de peccato originali adversus Julianum scribens[5]): »Non tibi, sicut calumniaris, solum populi murmur opponimus, quamquam et ipse populus adversus vos propterea murmuret, quia non est talis quaestio, quae possit etiam cognitionem fugere popularem. Divites et pauperes, excelsi atque infirmi, docti et indocti, mares et feminae noverunt, quid cuique aetati in baptismate remittatur. Unde etiam matres quotidie toto orbe terrarum non ad Christum tantum i. e. ad unctum, sed ad Christum Jesum i. e. etiam Salvatorem cum parvulis currunt . . . Quasi parva sit ejus assertio, quod in hoc fidei firmissimo et antiquissimo fundamento ipsa toto orbe diffusa non a se discrepat multitudo.« Ceterum **4.** fidelium communis sensus et consensus in quaestionibus fidei, ideoque in ordine supernaturali, haud inepte confertur secundum quandam analogiam cum communi naturae humanae sensu et consensu in ordine rationali. Sicut enim hic sponte veluti sua oboritur e communi natura rationali, ac propterea est criterium manifestans veritatem rationalem, quae ad necessariam rationis suppellectilem ac velut depositum in primis spectat: ita et fidelium mira in quaedam ordinis superrationalis judicia conspiratio oboritur ex communi fide a Spiritu sancto (non tamen citra ministerium magisterii ecclesiastici) eorum cordibus inserta et insita, ac propterea criterium censeri debet haud suspectum, quo dignosci possint quae ad revelationis spectent depositum. Unde belle jam hortatur Paulinus nolanus[6]), »ut de omnium fidelium ore pendeamus, quia in omnem fidelem Spiritus Dei spirat.«

Caput III.

Comparatio inter traditionem et s. Scripturam.

202. Demonstrato organo, quo Christus doctrinam suam promulgari et ad omnium hominum notitiam derivari voluerit (cap. I), expositis quoque mediis, quibus dignosci possit, quid quovis seculo successionis apostolicae canali contineatur (cap. II): jam quaeritur quaenam sit relatio inter traditionem et s. Scripturam, speciatim vero, utrum canali traditionis transmissa fuerit aliqua veritas, quae ss. Scripturis non contineatur (cf. n. 158).

---

[1]) De praescr. c. 28. (n. 169).

[2]) De praescr. c. 29. [3]) Commonit. c. 24. [4]) De incarn. I, 6.

[5]) L. 1. n. 31; c. ep. fundam. c. 4. (n. 144); de cura pro mortuis gerenda n. 1 ss.; c. Cresconium l. 1. c. 33. Cf. Algerum de sacr. corp. et sang. l. 1. n. 93.

[6]) Ep. 23. n. 36. Cf. Scheeben § 13. 14; Valentia anal. fidei l. 9. c. 8.

Thesis XXIX. ***Si comparatio instituatur universim inter traditionem et Scripturam, traditio censeri debet praecedere tum ordine chronologico, tum ordine logico et cognitionis.***

Demonstratio p. I et II. Traditionem ordine temporis priorem esse Scriptura, demonstratione non eget, cum evidens sit, apostolos per plures annos oretenus Christi doctrinam promulgasse antequam aliquid literis consignaverint. Eadem vero praecedit ordine quoque logico et cognitionis. Quod ut probemus distinguatur duplex cognitio: cognitio scil. *de Scriptura,* qua scimus quid de s. Scriptura sit tenendum, eam nimirum esse antiquitatis monumentum genuinum, integrum, verax, divinam continens doctrinam, divinitus inspiratum; et cognitio *Scripturae* i. e. doctrinae, quae divinis continetur literis. Distingui debet pariter duplex traditio, altera mere historica, quae demonstrationis criticae atque philosophicae est fundamentum, et qua ita possumus demonstrare s. Scripturae genuinitatem, veracitatem etc., sicut probamus historiae Livii genuinitatem, veracitatem etc.; altera vero religiosa et authentica, cui credendi respondet officium, et cui innititur fides vere christiana. Utroque sensu accepta traditio in ordine cognitionis est prior Scriptura.

203. *Ex traditione cognoscenda est s. Scriptura.* — Sane, ut tuto credere et sequi possimus doctrinam Scripturae seu ea, quae Scriptura continentur, prius nosse oportet, quid de hoc ipso libro sit tenendum, utrum scil. sit genuinus, integer etc. necne. Atqui haec ex ipsa Scriptura cognosci nequeunt. Ergo nonnisi via distincta ab ipsa Scriptura; quae via, cum teste experientia non sit immediata quaedam Dei revelatio et inspiratio, alia esse nequit praeter traditionem. Quamvis vero historica et critica traditione demonstrari possint genuinitas, veracitas, integritas plurium librorum s. Scripturae, quodque ipsi contineant doctrinam divinam: tamen haec probari nequeunt **a.** quoad omnes textus; **b.** pro omnibus qui credere tenentur, cum maxima hominum pars plane incapax sit vel ejusmodi demonstrationem aggrediendi vel ejus vim percipiendi; **c.** ea securitate et certitudine, quae obortis dubiis par sit controversiae authentice dirimendae. Quod maxime tenendum est de singulorum librorum inspiratione, de qua infra agemus. Demonstratio ergo scientifica traditioni historicae innixa censeri nequit oeconomia a Christo instituta ad doctrinam de Scriptura quoad omnes ejus partes, pro omnibus, pro quavis conditione et occasione tuto et sine errandi periculo conservandam et in homines derivandam. Alia igitur via haec cognosci debent, quae nonnisi ea erit, quam a Christo Domino institutam hactenus demonstravimus thes. XXIII.

204. Quare secundum oeconomiam a Christo Domino institutam principium cognitionis, quae de Scripturis haberi debet, est ipsamet praedicatio ecclesiastica authentica sub assistentia Spiritus s., quae sola est principium universale, accommodatum omnibus, ad omnes libros librorumque partes tuto cognoscendas, ad controversias omnes pro omnium captu definiendas (n. 152 s.). Nam sicut Christus Ecclesiae Scripturam omnemque Scripturae doctrinam commisit: ita a fortiori ei commisit doctrinam de Scriptura, absque cujus cognitione s. Scriptura plane est inutilis. Atqui perpetua ecclesiastica praedicatio, qua sub directione s. Spiritus custoditur et diffunditur revelationis depositum, sensu maxime proprio traditio est divina. Ergo in cognitionis ordine praecedere debet authentica traditio divina, per quam nosse nos oportet, quid de Scripturis sit tenendum, antequam iis prudenter, tuto et utiliter uti possimus (cf. n. 249 s.). At haec, ut supra ostendimus (n. 180), praedicatio est norma secundum quam s. Scriptura intelligenda et interpretanda est. Ergo et ex hoc capite praecedat necesse est in ordine cognitionis traditio s. Scripturam.

205. **Thesis XXX.** ***Traditio praeterea latius patet s. Scriptura: nam non solum totam Scripturae doctrinam, sed et alia doctrinae revelatae capita complectitur.***

Demonstratio. Traditionem latius patere s. Scriptura patet **1.** ex hucusque dictis; complectitur enim traditio non solum (majori saltem ex parte) Scripturae doctrinam (quae et antequam libris consignata est, orali apostolorum praedicatione promulgata, et postquam jam scripta est, eadem ratione i. e. viva magisterii ecclesiastici voce semper propagata fuit), verum etiam doctrinam adeo necessariam de s. Scriptura, quae integra saltem ipsis divinis literis non continetur. Praeterea ostendimus **2.** s. Scripturam secundum praedicationem ecclesiasticam esse intelligendam (n. 180); haec autem articulatius et uberius proponit, quae obscurius et brevius divinis literis continentur. Fieri ergo nequit, ut non latius et uberius pateat traditio quam s. Scriptura. Quod confirmatur **3.** theoretico patrum suffragio, qui passim inculcant, non omnia sive credenda sive ex voluntate Christi agenda a scriptoribus divinitus inspiratis fuisse literis consignata.

206. Ita Epiphanius adversus apostolicos de nuptiarum praestantia disserens, postquam aliqua ex Scripturis adduxit [1]): „Sed traditione quoque, inquit, opus est. Neque enim ex Scripturis peti possunt omnia. Idcirco alia scripto, traditione alia sanctissimi apostoli reliquerunt. Quod ipsum ita Paulus affirmat [2]): *Quemadmodum tradidi vobis;* item alio loco [3]): *Ita doceo, et ita tradidi in ecclesiis;* item [4]): *Si meministis, nisi frustra*

---

[1]) Haer. 61. n. 6. Cf. Schrader de theol. testium fonte p. II. th. 15.
[2]) 1. Cor. 11, 2. [3]) Ib. 14, 33. [4]) Ib. 15, 2.

credidistis. Jam vero illud ab apostolis sancta Dei Ecclesia traditum accepit: post decretam virginitatem ad nuptias sese conferre scelere implicatum videri.« Ita s. Basilius: »Ex asservatis in Ecclesia dogmatibus et praedicationibus alia quidem habemus e doctrina scripto prodita, alia vero nobis in mysterio tradita recepimus ex traditione apostolorum, quorum utraque vim eandem habent ad pietatem, nec iis quisquam contradicit: nullus certe, qui vel tenui experientia noverit, quae sint Ecclesiae instituta [1]).«

207. Accedit **4.** *suffragium antiquitatis practicum,* cum revera plura, quae spectant vel ad doctrinam vel ad disciplinam christianam et ex Scripturis vel nullatenus vel non satis probari possunt, probent patres ope traditionis.

Ita probat Augustinus[2]) et ante ipsum Origenes[3]) paedobaptismum: »Ecclesia ab apostolis traditionem accepit etiam parvulis baptismum dare.« Ita Tertullianus[4]): »Oblationes pro defunctis, pro natalitiis (martyrum) annua die facimus, die dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paschae in Pentecosten usque gaudemus. Calicis aut panis etiam nostri (eucharistici) aliquid decuti in terram anxie patimur. Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad calciatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quaecunque conversatio nos exercet, frontem crucis signaculo terimus. Harum et aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostulas Scripturarum, nullam invenies: traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix et fides observatrix.« Valorem baptismi ab haereticis collati hac via probat Augustinus[5]): »Apostoli autem nihil quidem exinde praeceperunt (in Scripturis), sed consuetudo illa, quae opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est, sicut sunt multa, quae universa tenet Ecclesia, et ob hoc ab apostolis praecepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur.« Epiphanius de praxi orandi pro defunctis statuit haer. 65. n. 8: »Necessario illud facere Ecclesiam dico, quae traditum sibi ritum illum a majoribus acceperit.« Hinc etiam concilia et patres in fidei definitionibus atque damnatione haereticorum non existimarunt conditionem esse necessariam, qua aliqua veritas fidei sit articulus, ut eadem divinis contineatur literis. Ita conc. oecumenicum VII. imaginum usum cultumque ex traditione repetit act. 7. atque etiam Joannes Damascenus[6]).

208. *Protestantium secum pugna.* — Hujus vero argumenti **5.** eo major est vis contra protestantes, quod ipsi plura vel credant vel

---

[1]) De Spir. s. n. 66. Quamvis dein s. Basilius plura, quae magis ad praxim spectant, tamquam ex traditione hausta recenseat, tamen semper verum est, quod affirmamus, traditionem divinam latius patere s. Scriptura; et s. doctor universim loquitur de dogmatibus et praedicationibus, ex quibus alia sint scripta, alia tradita. Cf. supra verba Chrysostomi n. 178.

[2]) De pecc. mer. et rem. l. 1. c. 26. [3]) L. 5. in Rom. c. 6.

[4]) De corona c. 3. [5]) De bapt. V, 23; de unit. Eccl. 63.

[6]) De fide orthod. IV, 16. opusc. XLI.

servent tamquam juris divini, quae ex divinis literis vel nullatenus vel saltem non sufficienter probare possunt; cujusmodi sunt praeter paedobaptismi et baptismi etiam ab haereticis collati valorem, illicitam esse baptismi iterationem, Dominicam loco Sabbati esse sanctificandam, licere suffocatum et sanguinem comedere non obstante prohibitione divinis literis contenta [1]), pedum lotionem esse de consilio, non vero de praecepto [2]) etc. Imo **6.** protestantes sibi contradicunt in ipsis fundamentis totius sui systematis religiosi; credunt **a.** libros omnes et solos, quos in suum receperunt canonem, esse libros divinitus inspiratos atque continere sincerum Dei verbum ab omnibus credendum; **c.** singulos esse sibi sufficientes interpretes verbi divini, non vero Ecclesiam authenticam esse interpretem seu judicem veri sensus; **d.** esse articulos quosdam fundamentales, alios non fundamentales, necnon criterium ad eos ab invicem discernendos. Atqui harum assertionum nulla continetur in Scripturis. Ergo eo ipso quod statuunt principium, nihil credendum esse quod scriptum non sit, credunt et credendum fundamenti instar statuunt aliquid non scriptum. Quare mirum esse non debet, quod plures protestantes veritatis evidentia convicti traditionis agnoverint necessitatem [3]).

209. **Corollarium.** *Traditionis summa necessitas.* — Hinc sponte sua consequitur, traditionem secundum praesentem Christi oeconomiam magis esse necessariam s. Scriptura, quod jam supra docentem audivimus s. Irenaeum (n. 167). Nam et **a.** Ecclesia exstitit aliquamdiu sine Scriptura, nunquam sine traditione; et **b.** traditione totum fidei depositum continetur, non vero s. Scriptura; et **c.** plerique fideles absque s. Scriptura sola praedicationis seu traditionis ecclesiasticae ope ad fidem perducuntur Christique doctrinam tuto addiscunt; imo **d.** sine traditione sacris Scripturis ne uti quidem ut oportet possent: quia s. Scriptura, quae per traditionem summae nobis est auctoritatis et utilitatis, sine traditione ad instar est rei relictae. Neque propterea quidquam perit de ingenti illo beneficio, quod nobis Deus per Scripturas contulit. Nam per Ecclesiae praedicationem accipimus doctrinam revelatam, sed verbis humanis: in sacris vero literis verbis divinis et originalibus, atque adeo ipsum audimus Deum suis loquentem verbis: hinc longe vividiori ratione divinaque authentia proponuntur nobis revelatio, imago gestaque Christi, et hinc oritur etiam illa mira

---

[1]) Act. 15, 28. [2]) Joan. 13, 14.

[3]) Cf. ejusmodi confessiones in l. Beleuchtung der Vorurth. wider die kath. Kirche von einem protestantischen Laien Zürichs, t. 2. part. 1. pag. 160 ss., 185 ss. ed. 3. Luzern 1844. Cf. Franzelin th. 20; Heinrich t. 1. § 71.

unctio, qua pollent verba Scripturae. Neque negare licet, s. Scripturam plurimum juvare ad traditionem pure incorrupteque conservandam et ut distinctius perspiciamus ipsius revelationis historiam et fata magisque innotescat vaticiniorum veracitas.

210. **Scholion.** *Protestantium exceptiones.* — Protestantes, ut traditionis necessitatem excludant[1]), toti in eo sunt, ut probent, s. Scripturam perfectissime, abunde, exactissime, fuse, cumulate, plene (quae ipsorum sunt verba) omnia continere, quae requiruntur tum ad salvificam fidem tum ad vitam Deo placentem recte informandam. Quem in finem corradunt plurima Scripturae patrumque effata. Verum **1.** data non concessa hac Scripturae plenitudine, nondum propterea excluditur traditionis necessitas, ut ostendunt argumenta th. XXIII. allata. Ceterum **2.** hanc Scripturae plenitudinem concedi non posse ostendimus thesi praeced. Ea vero **3.** ad quae provocant, ut illam probent, minime sunt ad rem, cum vel **a.** sint affirmantia, non excludentia: affirmant scil. Scripturae utilitatem[2]); eam non esse adulterandam[3]), quo nihil verius; vel **b.** agant non de verbo Dei scripto, sed generatim de verbo Dei revelato et praedicatione promulgato[4]); aut **c.** nimis probent; si enim urgentur, sequitur rejici posse vel etiam debere, aut saltem inutiles esse omnes illos libros inspiratos, qui praeter libros, in quibus ejusmodi testimonia occurrunt, habentur.

211. Fatemur cum majori quadam veri specie protestantes ad patres provocare. Sed incredibile est **1.** patres tam parum sibi constare, ut theoretice et practice traditionis exsistentiam testentur[5]), eam dein negent depraedicantes absolutam Scripturae sufficientiam. Quare **2.** id quadamtenus tantum facere dicendi sunt; disserunt scil. vel **a.** de speciali aliqua quaestione seu dogmate[6]), quod verbis claris in Scripturis exprimitur; vel **b.** seclusos tantum volunt fontes spurios i. e. libros apocryphos, unde haeretici primorum saltem seculorum sua hauriebant figmenta, aut argumentationes philosophicas, quibus iidem nimium saepe fidebant; vel **c.** significare intendunt Scripturam sufficienter continere saltem ea, quae fide explicita a fidelibus omnibus tenenda sunt, quemadmodum id de symbolo quoque affirmari posset, non tamen seclusa traditionis necessitate pro Ecclesia universa, neque secluso vivo hujus magisterio pro singulis, ut tuto Christi fidem possint cognoscere; eodem enim tempore, quo haec scribebant,

---

[1]) Notatu illud dignissimum est, quod fere contra omnia dogmata fidei catholicae haud leves fieri possint difficultates: contra traditionis vero, prout illam exposuimus, exsistentiam vix aliqua a protestantibus seria atque mentione digna proposita fuit difficultas. Pleraque enim quae opponuntur sunt naeniae vel talia quae omnem evertunt religionem christianam.

[2]) Jo. 20, 31; 2. Tim. 3, 15. [3]) Deut. 4, 2; Apoc. 22, 18.

[4]) Gal. 1, 8. [5]) Cf. n. 170 ss.; 187 ss.; 206 s.

[6]) Ita merito Augustinus in controversia cum donatistis de Ecclesiae catholicitate poterat provocare ad Scripturas easque solas, quia haec Ecclesiae praerogativa nimis manifeste in iisdem proponitur. Ita et patres in disputatione cum arianis de Christi divinitate, quae splendide in divinis literis enunciatur.

fideles pendentes volebant ab ore Ecclesiae. Vel denique **d.** Scripturae sufficientiam subinde idcirco inculcant, quod ipsa Scriptura fideles remittat ad Ecclesiam, a qua discant quae credenda agendaque sint. Ad rem Augustinus[1]: „Quamvis, inquit, hujus rei (valoris baptismi ab haereticis collati) certe de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum etiam in hac re a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod universae jam placuit Ecclesiae, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas: ut quoniam s. Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit obscuritate quaestionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate s. Scriptura demonstrat.“

212. Quod si **3.** patres refellere nituntur haereticos e Scripturis, non ideo practice agnoscunt protestantium principium de absoluta s. Scripturae sufficientia; nam **a.** ipsi non omittunt in disputatione cum haereticis provocare etiam ad traditionem; neque **b.** s. Scripturam independenter ab explicatione et praedicatione ecclesiastica, ad quam jugitur respiciunt, interpretantur; idque **c.** faciunt quandoque ex quadam accommodatione, ut facilius haereticos solas urgentes Scripturas lucrentur vel refellant, sicut id modo omnes theologi catholici cum protestantibus disputantes facere nituntur; neque **d.** id faciunt quoad omnia dogmata. Denique **e.** sedulo distingui debet inter demonstrationem scientificam, qua patres atque theologi saepe utuntur, quaeque vel viam paret ad fidem vel haereticorum saltem retundat audaciam: et demonstrationem authenticam, quae sit peremptoria, omnibus accommodata, cui omnes subjicere se debeant, cujusmodi non est demonstratio e solis Scripturis independenter a vivo et authentico successionis apostolicae magisterio[2]).

Caput IV.

Additamenta, quae ad doctrinam de traditione illustrandam spectant.

213. Absolvimus ea, quae spectant ad traditionis rationem; sed ad pleniorem revelationis christianae ejusque momenti intelligentiam juverit quaedam addidisse.

Thesis XXXI. ***Revelatio christiana morte apostolorum ita completa censeri debet, ut neque nova oeconomia perfectioris ordinis et amplioris revelationis, neque ullum objectivum incrementum depositi revelationis sacris Scripturis et traditione apostolorum comprehensi exspectandum sit.***

Demonstratio p. I. Praetermissis iis, quae de Ecclesiae perennitate disseremus, colligitur veritas primi asserti[3]), nullam oeconomiam

---

[1]) Contra Cresconium l. 1. n. 39.

[2]) Cf. supra n. 180 s.; Bellarminum l. 4. c. 11; Stapleton Princip. fid. l. 12. c. 11; Franzelin th. 19; Scheeben § 21.

[3]) In schemate constitutionis dogm. de Ecclesia Christi patrum conc. vaticani examini proposito cap. 8. legimus: „Declaramus insuper, Christi Ecclesiam, sive exsistentia sive constitutio ejus spectetur, societatem esse perennem atque

amplioris vel perfectioris revelationis esse exspectandam, **1.** praejudicio quodam. Nam profecto haec nova oeconomia se haberet ad oeconomiam Christi seu ad Testamentum a Christo institutum pro harmonica et organica connexione, quae cernitur in operibus Dei, ut se habet Testamentum novum ad vetus; proinde sicut N. T. multipliciter est praedictum, adumbratum, praefiguratum in Testamento veteri: ita et haec oeconomia futura multipliciter esset praedicta, adumbrata, praefigurata in Testamento novo, ut homines ad eam pedetentim disponerentur et suavi modo sensim inducerentur, neque enim Deus abrupte magna molitur. Imo quo splendidior et perfectior esset haec oeconomia, eo splendidiori modo quam oeconomia Messiae debuisset praedici. Atqui hujus praedictionis, adumbrationis, praefigurationis nullum vestigium. Potius **2.** omnis ejusmodi spes excluditur, sive cum praeter Christum alium magistrum agnoscere et salutare prohibeamur, cum ipse sit *plenus gratia et veritate* [1]; sive cum Christus promittat se fore *ad consummationem usque seculi* cum magisterio semel a se instituto [2], quod docere debeat omnes gentes, proinde cum Ecclesia, quae plane audienda sit, nisi quis velit esse sicut ethnicus et publicanus [3]; sive cum Paulus adeo confidenter pronunciet [4]: *Sed licet nos aut angelus de coelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis*, A. S.; vel inculcet [5]: *Justitia Dei per fidem J. Christi in omnes et super omnes qui credunt in eum;* sive cum Christus ejusque apostoli tam instanter repetitisque vicibus inculcent [6], usque ad seculi consummationem cavendum esse sollicite ab iis, qui aliam, proinde novam proponerent doctrinam. In tanta enim sollicitudine debuisset Christus, debuissent apostoli, nisi voluissent oeconomiae Dei fideliumque saluti obesse, sicut Moyses [7] et prophetae fecerunt, auctorem novae oeconomiae indicare ac velut digito demonstrare, ne quis tenerioris conscientiae ob eorum verba illum haberet pro pseudochristo et pseudopropheta. Ideo etiam **3.** Paulus N. T. opponit Testamento veteri ut perfectum imperfecto, aeternum abrogando, immobile mobili, consummatum inchoato [8]; et oeconomia Christi dicitur facta in *plenitudine*

---

indefectibilem, nullamque post illam neque pleniorem neque perfectiorem salutis oeconomiam in hoc seculo exspectandam esse;" et canon (8) paratus erat; „Si quis dixerit, praesentem Christi Ecclesiam non esse ultimam ac supremam consequendae salutis oeconomiam, sed exspectandam esse aliam per novam et pleniorem divini Spiritus effusionem, A. S." Cf. n. 282; Heinrich t. 1. § 63.

[1]) Matth. 23, 8. 10; Jo. 1, 14. col. Collos. 2, 3. [2]) Matth. 28, 19.

[3]) Ib. 18, 17. [4]) Gal. 1, 8, quem in locum cf. Vincentium lir. cc. 8. 9.

[5]) Rom. 3, 22.

[6]) Matth. 24, 24; 2. Tim. 4, 3. Cf. Tertullianus de praescr. n. 6.

[7]) Deut. 18, 18; cf. n. 105. annot. [8]) Hebr. 7, 18 ss.; 8, 6 ss.

temporis[1]), facta *novissimis diebus*[2]), quam excipiet non nova oeconomia hisce in terris, sed postquam prius venerit antichristus, secundus Christi ad judicium adventus et beatitudo aeterna in regno coelorum[3]). Eandem veritatem **4.** strenue patres propugnarunt adversus haereticos, qui ejusmodi novam revelationem vel oeconomiam sibi vindicarunt, praesertim adversus montanistas et manichaeos.

214. **Demonstratio p. II.** Non negamus fieri posse et factas etiam esse a morte apostolorum veras revelationes divinas, sed personis privatis, quae non augeant depositum revelationis christianae, neque constituant objectum fidei catholicae ab omnibus fidelibus profitendae[4]). Revelationis enim depositum morte ultimi apostoli veluti fuisse consignatum adeo ut nullo objectivo incremento, nulla additione novae revelationis augeatur[5]), probatur **1.** ex diserta doctrina et persuasione totius antiquitatis. Nam semper viguit fides, apostolorum successores esse testes et custodes depositi seu doctrinae apostolicae, cui nihil addi possit nihilque detrahi. „Christi Ecclesia sedula et cauta, inquit Vincentius lir., depositorum apud se dogmatum custos nihil unquam in his permutat, nihil minuit, nihil addit[6]);“ Hieronymus[7]): *Dominus narrabit in Scripturis populorum et principum horum, qui fuerunt in ea.* Qui *fuerunt,* non qui *sunt* in ea, ut exceptis apostolis, quodcunque aliud postea dicitur, abscindatur, non habeat postea auctoritatem. Quamvis ergo sanctus sit aliquis post apostolos, quamvis disertus sit, non habet auctoritatem.“ Quapropter **2.** novitas doctrinae semper habita fuit nota haeresis et apostolicitas character necessarius doctrinae fidei. Atqui praepostere doctrinae novitas haberetur ut criterium haeresis, si

---

[1]) Gal. 4, 4; Eph. 1, 10. [2]) Hebr. 1, 2; Act. 2, 17; 1. Petr. 1, 20.

[3]) Thess. 2, 2 ss. [4]) Cf. infra n. 663. annot.

[5]) Idem dicatur de charismate inspirationis ad scribendum. Licet in praesenti oeconomia per se non repugnet inspiratio ad scriptionem aliquam privatam, sicut non repugnat revelatio privata: hujusmodi tamen liber, si exstaret, nullatenus ad Scripturam sacram Ecclesiae concreditam et ab Ecclesia fidelibus propositam pertineret, sed de eo eodem modo ac de revelationibus privatis sentiendum esset. Fatendum tamen est, longe difficilius admittendam esse inspirationem privatam quam privatam revelationem.

[6]) C. 32; cf. cc. 6. 30—32. et c. 24. ita statuit: „Quibus cunctis satis evidenter perspicueque monstratur, hoc apud omnes fere haereses solemne esse ac legitimum, ut semper profanis novitatibus gaudeant, antiquitatis scita fastidiant et per oppositiones falsi nominis scientiae a fide naufragent. Contra vero catholicorum hoc vere proprium, deposita ss. patrum et commissa servare, damnare profanas novitates, et sicut dixit atque iterum praedixit apostolus: *Si quis annunciaverit praeter quam quod acceptum est, anathema sit* (Gal. 1, 9).«

[7]) In Ps. 86, 6.

novae in dies revelationes locum haberent essentque ab omnibus credendae. Hinc **3.** in controversia de fide oborta primum semper erat, ut inquireretur, utrum doctrina controversa contineretur divinis libris vel traditione apostolica. Qua de re egregie disputans[1]) Tertullianus statuit: „Nobis curiositate opus non est post Christum ducem nec inquisitione post Evangelium; cum credimus, nihil desideramus ultra credere: hoc enim prius credimus, nihil esse quod ultra credere debeamus;“ et c. 10: „Hanc tibi fossam (terminum) determinavit ipse (Christus), qui te non vult aliud credere, quam quod instituit, ideoque nec aliud quaerere.“ Fixum proinde omnibus erat ratumque morte apostolorum absolutam fuisse revelationem christianam, nullasque proinde revelationes deinceps esse exspectandas, quibus illa nova quadam augeretur accessione. Quare jam auctor ep. s. Barnabae tributae inculcat[2]): „Regula lucis est: custodi quod accepisti, neque addens aliquid, neque detrahens.“ Item **4.** evincit conatus ipsorum vel haereticorum probandi suos errores ex sacra Scriptura. Et sane **5.** Christus sicut est redemptor noster, ita et magister noster: nam ejus magisterium non est nisi functio quaedam ipsius redemptionis. Sicut ergo haec perfecta adeo est, ut alia nulla sit exspectanda nec ullum admittat objectivum incrementum: ita et revelatio Christo magistro facta absoluta adeo est, ut nulla alia sit exspectanda nulloque incremento perficiatur. Hinc ut plena et absoluta opponitur revelationibus partialibus prophetarum V. T. Hebr. 1, 1.

215. **Scholion I.** *Non omnia explicite credenda.* — Quamvis autem morte apostolorum revelatio christiana fuerit absoluta totumque revelationis depositum Ecclesiae consignatum, non tamen propterea consequitur, omnes veritates revelatas hoc deposito comprehensas semper aequali ratione in universa Ecclesia fuisse promulgatas et ab omnibus eodem modo creditas. Qua de re opportunum erit nonnulla advertisse ad pleniorem magisterii praedicationisque ecclesiasticae atque historiae dogmatum intelligentiam. **1.** Inter veritates revelatas ratione objecti seu motivi formalis, propter quod scil. credimus, nullum est discrimen, cum in omnibus idem sit motivum, auctoritas scil. Dei loquentis; neque enim motivum seu ratio credendi petitur ex majori veritatis revelatae dignitate aut necessitate. Tamen inter objecta ma-

---

[1]) De praescr. c. 8 ss.

[2]) Num. 19. Ad rem Thomas waldensis l. 2. doctrinalis fidei cath. c. 22. n. 2: „Cum Ecclesia jam creverit in virum perfectum, quamvis sit aeque potens ut olim, non tamen datur ei crescere ut olim (cum scil. fuit in statu infantili synagogae).“ Cf. Kleutgen t. ult. diss. 6. c. 1. § 3.

terialia seu ipsas veritates credendas est aliquod discrimen, quatenus necessarium non est, ut omnes aequaliter ab omnibus credantur fide explicita. Quod patet ex universali totius Ecclesiae praxi, quae non ab omnibus omnium fidem exigebat explicitam, sed pro varietate aetatis, conditionis, institutionis, muneris, necessitatis etc. modo plurium, modo pauciorum. Ecquis exigat, ut infans tot res explicite teneat, quot episcopus, qui doctor est gregis sui? Idcirco Ecclesia contenta erat, si rudiores symbolum profiterentur apostolicum, reliqua non negarent, sed implicite crederent, parati pro opportunitate vel necessitate ea etiam explicite profiteri (n. 397).

216. *Non omnia eodem modo traditione continentur.* — Ex hoc ipso intelligitur **2.** neque necesse esse, neque exspectandum, ut omnes veritates eodem modo contineantur in primitiva traditione et in traditione quovis tempore vigente. Quae ab omnibus fidelibus explicite sunt credenda, sine dubio in apostolica doctrina et traditione continebantur quavis aetate explicite, clare, quantum temporum adjuncta postulabant, et diserte h. e. diligenti et accurata proponebantur praedicatione. Contra vero in iis, quae ad explicatiorem intelligentiam et ulteriorem declarationem fidei objectivae pertinent, possunt esse aliqua, quae in apostolica praedicatione continebantur implicite; possunt esse alia in traditione obscurius et minus diserte minusque instanti praedicatione proposita, donec controversiarum adjuncta postulent et Spiritus s. directio per Ecclesiae magisterium efficiat explicationem impliciti, declarationem et expositionem obscuri, disertam et instantem praedicationem seu definitionem minus expressi. Per magisterium proinde Ecclesiae poterant **a.** successive determinari diversae oppositiones veritatis revelatae ad diversos errores seculorum cursu succrescentes[1]; vel **b.** per partes proponi, quae complexa erant[2], et **c.** propositionibus particularibus enunciari quae in propositione universali jam comprehendebantur[3], vel **d.** distinctius et articulatius doceri, quae

---

[1]) Ita contra fluctuationem protestantium, qui modo quinque, modo quatuor, modo tria, demum duo admiserunt sacramenta, coacta est synodus tridentina inculcare numerum sacramentorum septenarium, eumque neque majorem neque minorem esse, quod antea non ita explicite atque instanter inculcabatur.

[2]) Ita Ecclesia particulatim singulas humanae naturae partes, corpus illudque carneum, animam eamque rationalem, operandi virtutem et voluntatem humanam Christo asseruit, licet haec satis jam crederentur, cum Christus crederetur verus perfectusque homo; ita plura romano pontifici asseruit jura, quae implicite sunt in plenitudine primatus, qua ille semper credebatur praeditus.

[3]) Ita Ecclesia contra semipelagianos instantius praedicavit gratiam vel ad salutis initium ejusdemque finem i. e. perseverantiam esse necessariam, licet

nonnisi confuse a fidelibus intelligebantur[1]), vel **e.** diserte affirmari, quod ipsa jam praxi significabatur[2]).

217. Quare liquet **3.** posse esse veritates objective quidem in deposito revelationis seu in regula fidei remota comprehensas, quae non semper fuerint per regulam proximam i. e. per praedicationem ecclesiasticam satis clare propositae et promulgatae. Ideoque fieri potuit et historia dogmatum teste factum est, ut veritates aliquae in nonnullis ecclesiis particularibus obscuratae et oblivioni traditae, vel a doctoribus catholicis citra dispendium fidei aliquando in controversiam vocatae vel etiam negatae fuerint. Fidei enim unitas servatur integra, quamdiu a fidei regula proxima i. e. ab Ecclesiae praedicatione nullus est dissensus. Quam ob rem statuit Gregorius de Valentia: „Ecclesia doctrinas quasdam cum infallibili auctoritate veluti e tenebris eruit, quibus quandoque ob hominum negligentiam, vel proterviam et ingenii perversitatem demersae latuerunt, et fortasse latent adhuc in Ecclesia aliquae[3]).«

218. Quare praeeunte historia *triplex quorundam dogmatum stadium* distinguere licet. Primum stadium, quando nulla adhuc urgente controversia nec quaestione adhuc diligenter discussa, caput aliquod doctrinae tenetur ea qua diximus ratione n. 215 s., nec diserta instantique proponitur praedicatione. Alterum stadium est, quando hujusmodi caput doctrinae non ita diserte, articulate, explicite propositum incipit vocari in

---

id jam contineatur propositione universali, gratiam necessariam esse ad omnes actus salutares. Cf. Augustinus de praedest. SS. n. 27. opusc. t. XXXVI.

[1]) Ita in summa Virginis puritate, quae deceat matrem Dei, jam inclusa erat originalis ejusdem sanctitas, quam tamen Ecclesia articulatius distinctiusque credendam proposuit.

[2]) Ita quod Ecclesia primis seculis practice, ipsa scil. receptione haereticorum sine nova baptismi collatione credidit, valere baptismum ab haereticis collatum, disertis dein verbis inculcavit, cum Cypriani dissensus id exegerit. Ceterum dum ista dogmata exempli gratia proponimus, nolumus ingredi quaestionem, utrum ea hac tantum ratione (implicite) revelationis deposito comprehensa fuerint: quod certe satis esset, ut Ecclesia a Spiritu s. ducta eadem articulatim credenda proponere possit. Cf. Möhler Symbolik § 40.

[3]) Comment. theolog. t. 3. disp. 1. q. 1. p. 6. Ita ex. gr. in Gallia usque ad annum 1680. praevaluit sententia theologorum de romani pontificis infallibilitate. Sed artibus et astutia tandem extorta fuit famosa cleri gallicani declaratio, qua eadem negaretur; hac deinde omnibus theologiae magistris rigidissime praescripta severissime prohibitum fuit, ne quis aliter doceret. Quid ergo mirum, si post 30 vel 40 annos aliqui serio in Gallia de hac dubitaverint veritate, de qua nunquam aliquid audierint. Hinc candida illa Tournelii confessio de Ecclesia II, 134: »Non dissimulandum, difficile esse in tanta testimoniorum mole . . . non agnoscere apostolicae sedis seu romanae Ecclesiae certam et infallibilem auctoritatem et longe difficilius esse ea conciliare cum declaratione gallicana, a qua recedere nobis non permittitur.« Cum utilitate legi possunt: Ueber die gallikanischen Freiheiten und die Freiheit der französischen Wissenschaft, Katholik 1865. I. pag. 385 ss.; die gallikanische Declaration vom J. 1682, ib. 1866. I. pag. 11 ss.; praesertim vero Andries Cathedra romana introd. p. 15 ss.

controversiam, et ideo investigari et examinari diligentius. Orta et durante controversia sine dubio fluctuatio aliqua inducitur et apud aliquos major obscuritas, quam fuerat ante controversiam, donec paulatim inquisitione ipsa sub assistentia et directione Spiritus sancti res ad liquidum deducatur. Tertium stadium est, quando magisterii authentici solemni judicio vel consensu invalescente de dogmatis revelatione demum certo constat, illudque quaestione jam eliquata transit in explicitum intellectum catholicum et in manifestam praedicationem ecclesiasticam[1]).

219. **Corollarium.** *De canone Vincentii lirinensis.* — Ex iis, quae diximus, liquet, canonem Vincentii lir. commonitorii c. 2, quo statuit: „In ipsa catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est: hoc est etenim vere proprieque catholicum,“ quo proinde assignat tamquam doctrinae catholicae characteres universitatem, antiquitatem et consensionem, verissimum esse **1.** sensu affirmante, cum certissime illud sit dogma fidei catholicae (non definibile sed jam definitum), quod ab omnibus semper et ubique explicite fuit creditum. Non tamen **2.** verum esse sensu excludente ita, ut ad depositum fidei nihil pertinere ideoque nec definiri possit, quod non ubique et ab omnibus semper explicite creditum fuerit, ut patet ex thesi praecedenti et ex historia dogmatum etiam eorum, quae protestantes admittunt. Neque **3.** hoc sensu excludente canonem proponit Vincentius. Supponit enim fieri posse[2]), ut consensus praesens turbetur, ut aliquid et nunc et olim non ab omnibus crederetur, ac propterea con-

---

[1]) Qua de re praeclarissime disserunt Franzelin thesi 23; Kleutgen t. ult. disp. 6. c. 2. § 4, ubi opinionem proponit, scil. Ecclesiam accepisse tantum suprema principia et veluti semina credendorum, et aliam huic plane oppositam, Ecclesiam nihil credendum proprie definire, sed jam olim explicite credita nonnisi iterum inculcare, utramque vero non esse probandam ostendit; Scheeben § 22. et 25, qui n. 368. regulas statuit, secundum quas facilius judicetur de controversiis subinde excitatis contra quaedam dogmata. Decursu disputationis plura exempla reperiemus triplicis hujus stadii dogmatum; interim cf. circa dogma de valore baptismi ab haereticis collati Augustinus de baptismo l. 2. n. 12—14.

[2]) »Quid igitur, inquit c. 3, tunc faciet christianus catholicus, si se aliqua Ecclesiae particula ab universalis fidei communione praeciderit? Quid utique nisi ut pestifero corruptoque membro sanitatem universi corporis anteponat? Quid si novella aliqua contagio non jam portiunculam tantum, sed totam pariter Ecclesiam commaculare conetur? Tunc item providebit ut antiquitati inhaereat, quae prorsus jam non potest ab ulla novitatis fraude seduci. Quid si in ipsa vetustate duorum aut trium hominum, vel certe civitatis unius aut etiam provinciae alicujus error deprehendatur? tunc omnino curabit ut paucorum temeritati vel inscitiae, si qua sunt, universaliter antiquitus universalis concilii decreta praeponat. Quid si tale aliquid emergat, ubi nihil hujusmodi reperiatur? Tunc operam dabit, ut collatas inter se majorum consulat interrogetque sententias, eorum dumtaxat, qui diversis licet temporibus et locis, in unius tamen Ecclesiae catholicae communione et fide permanentes, magistri probabiles exstiterunt.« Cf. Franzelin th. 24; Mazzella de virtutibus infusis disp. 2. § 6.

troversiae oriantur, adductisque exemplis ostendit, id revera factum esse; qua in hypothesi censet, consensionem majorem minoremque antiquitatis relativae, exsistentem scil. ante controversiam, notam esse apostolicitatis doctrinae, de qua agitur. Quare ad rem **4.** statuit Palmieri th. 26: »Dicimus scopum Vincentii fuisse suppeditare methodum scientificae inquisitionis pro invenienda veritate contra novas haereses; ideo enim distinguit inter novas et veteres, quia quoad has jam habemus definitiones Ecclesiae: quoad illas debemus ipsi nobis consulere.«

220. **Scholion II.** *Revelationis profectus.* — Reliquum est, ut quae de profectu, qui in Ecclesia relate ad revelationem locum habere potest, tenenda sint, paucis complectamur. **1.** Omnino concedi potest et debet, in V. Testamento revelationis objectum per novas revelationes temporis cursu prophetis factas crevisse, donec ea et quoad modum (Hebr. 1, 1 s.) et quoad objectum suam attigerit perfectionem in N. T., atque destinata fuerit non uni familiae vel populo electo, sed gentibus omnibus. Quo sensu vere scribit[1]) Gregorius M.: „Hoc quoque nobis sciendum est, quia per incrementa temporum crevit scientia spiritualium patrum. Plus namque Moyses quam Abraham, plus prophetae quam Moyses, plus apostoli quam prophetae in omnipotentis Dei scientia eruditi sunt . . . quia quanto mundus ad extremitatem ducitur, tanto nobis aeternae scientiae aditus largius aperitur.“

221. *Quo sensu eadem fides in V. et N. T.* — Licet **2.** numerus articulorum fidei in N. T. creverit, dici tamen potest eandem esse fidem patrum V. T. et fidelium N. T., ratione scil. objecti seu motivi formalis, cum et illi crediderint et isti credant propter auctoritatem Dei revelantis; quoad objectum vero materiale eatenus tantum, quatenus omnes articuli revelati in N. T. implicite continentur in veritatibus jam in V. T. revelatis tamquam in quibusdam primis credibilibus seu veritatibus principalibus. Magnum tamen est discrimen inter modum, quo nostrae fidei veritates continentur in veritatibus revelatis V. T., et modum, quo etiam in N. T. quaedam veritates implicite continere dicuntur in aliis fidei articulis. Veritates enim fidei N. T. ita includuntur in veritatibus fidei V. T., ut absque nova revelatione inde elici nullatenus potuerint: contra vero varia dogmata fidei, quae in N. T. temporis cursu explicite creduntur, ita in articulis fidei a Christo et a Spiritu s. revelatis continentur, ut absque nova revelatione facile inde eliciantur[2]).

222. *Revelationis explicatio in N. T.* Quamvis vero **3.** nullus admitti possit in N. T. revelationis profectus et incrementum sicut in V. T., concedi tamen potest et debet profectus explicationis et intelligentiae, quo vel Ecclesia sub directione s. Spiritus vel fideles

---

[1]) In Ez. l. 2. hom. 4. n. 12; cf. Thomas 2. 2. q. 174. a. 6; Scheeben § 6. praesertim n. 54.

[2]) Cf. d. Thomas 2. 2. q. 1. a. 7. et in 3. dist. 25. q. 2. a. 2. qcla. 1.

ipsum revelationis depositum clarius perspiciunt, altius penetrant, articulatius attingunt[1]), seu, ut loquitur[2]) Albertus M., „potius profectus fidelis in fide, quam fidei in fideli.“ Profectus hic intelligentiae fructus est atque merces fidei, ut patres inculcant innixi verbis (Is. 7, 9 sec. LXX): *Nisi credideritis, non intelligetis.* Quare passim inculcant illud: ‚Credo, ut intelligam.‘ Hunc profectum maxime aspirat theologia scholastica seu speculativa.

223. Neque immerito, si enim **a.** quaelibet scientia inter homines profectus est capax, ejusmodi profectus capax erit scientia fidei i. e. theologia. Praeterea **b.** veritates revelatae hinc quidem non sunt lapidum instar, sed instar seminum, et quo altiores, eo fecundiores conclusionumque feraciores; inde vero intellectus humanus non se habet in percipiendis hisce veritatibus mere passive, sed agri instar plus minusve fertilis ad semina recepta excolenda et evolvenda, praesertim si accesserit industria et lux atque calor solis supernaturalis seu gratia illustrationis s. Spiritus: qua de re plane egregie disputat Vincentius lirin., qui inter alia ita disserit c. 23: „Sed forsitan dicit aliquis: „Nullusne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur religionis? Habeatur plane et maximus. Nam quis ille est tam invidus hominibus, tam exosus Deo, qui istud prohibere conetur? Sed ita tamen, ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsum unaquaeque res amplificetur; ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur oportet et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum ac seculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo dumtaxat genere in eodem scil. dogmate, eodem sensu eademque sententia. Imitetur animarum religio rationem corporum, quae licet annorum processu numeros suos evolvant et explicent, eadem tamen quae erant permanent.“ Huic profectui occasionem praebent haereses variae, quae temporum cursu succrescunt[3]); illum promovent haud parum et ingenii subtilitas et status earum disciplinarum, quae thelogiae ancillari debent, et legitimus theologiae scholasticae usus. In primis vero hic profectus pendet a s. Spiritus charismatibus ejusque suavi directione, qua Ecclesiam in omnem inducit veritatem humanamque dirigit industriam ad clariorem veritatis revelatae cognitionem et declarationem distinctiorem. „Denique quid unquam aliud, inquit l. c. Vincentius, conciliorum decretis enisa est (Ecclesia), nisi ut quod antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentius crederetur; quod antea lentius praedicabatur, hoc idem postea instantius praedicaretur; quod antea securius colebatur, hoc idem postea

---

[1]) Hinc quamvis in N. Testamento locus non sit historiae revelationis, cum haec morte apostolorum fuerit completa ex th. XXXI, locus tamen est historiae dogmatum, cujus nomine intelligi non debet more protestantium historia originis vel mutabilitatis dogmatum, sed historia accuratioris explicationis doctrinae revelatae. Cf. Schanz Apologie des Christenth. t. III. § 1.

[2]) In 3. dist. 25. a. 1. ad 1. Cf. Heinrich II. § 78.

[3]) Cf. opusc. IX, 220. annot.

sollicitius excoleretur? Hoc, inquam, semper, neque quidquam praeterea, haereticorum novitatibus excitata, conciliorum suorum decretis catholica perfecit Ecclesia.« Si autem quaeritur in quo consistat hic profectus, dicimus eum consistere in explicatione impliciti, in declaratione, expolitione, definitione minus diserti secundum dicta n. 216; in distinctiori intelligentia dogmatum, de qua infra agemus th. LXXVI.

224. Cavendi tamen sunt **4.** in urgendo hoc profectu plures scopuli, praesertim ille, quem Pius IX. encyclicis literis d. 9. Nov. 1846. hisce verbis notat: »Divinae revelationis inimici humanum progressum summis laudibus efferentes, in catholicam religionem temerario plane ac sacrilego ausu illum inducere vellent, perinde ac si ipsa religio non Dei sed hominum opus esset aut philosophicum aliquod inventum, quod humanis modis perfici queat.« Quare idem pontifex reprobavit prop. 5. syllabi: »Divina revelatio est imperfecta et idcirco subjecta continuo et indefinito progressui, qui humanae rationis progressui respondeat.« Cavenda scil. est omnis opinio, quae accedit ad errorem th. XXXI. rejectum profectumque tuetur objectivum ipsius revelationis. Cavenda praeterea est theoria Güntheri, secundum quam revelationis intelligentia continua accipit incrementa ope scientiae philosophicae, adeo ut imperfectior fuerit in apostolis quam in sanctis patribus; in quibus tamen minime perfecta, imo admodum manca fuit propter defectum verae philosophiae: donec tandem nostra aetate jam reperta vera philosophia (i. e. sua) viam intravit, qua perveniatur ad supremam totius revelatae doctrinae intelligentiam, seu, ut ipse loquitur, ad id quo non plus ultra procedi possit. In quo scientiae profectu et explicatione ad Ecclesiae magisterium spectat inter varios modos intelligendi dogmatis quovis tempore obtinentes definire illum, qui eo tempore est aptissimus. Qua in definitione Ecclesia est infallibilis, at non ideo definitus modus intelligendi est perfectissimus, sed proficiente humano intellectu apparebit imperfectus, et jam alia definitio perfectior erit necessaria: ideoque Ecclesiae definitiones agnoscendae sunt ut aliqua veritas, non vero ut veritas et vera dogmatis intelligentia simpliciter. Haec summa theoriae Güntheri.

225. *Refellitur Güntheri opinio.* — Multa sunt quae in hac theoria displicent. Nam **1.** ministerium divinitus institutum ad conservandam explicandamque doctrinam revelatam, sicut et intellectus catholicus (n. 180 s.) fere eliminantur, atque in ejus locum substituuntur aliquo modo scientiae rationalis cultores: philosophia et aliae disciplinae naturales, quibus suapte natura munus tantum cujusdam subsidii competit, assumuntur ut causae principes totius explicationis. Quod **2.** de emendatione dogmatum dicitur, adversatur doctrinae conc. vaticani sess. 3. cap. 4. de fide et ratione: »Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum, proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tamquam depositum Christi sponsae tradita fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit s. Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu altioris intelligentiae specie et nomine recedendum.« Imo ea opinio reprobata fuit can. 3: »Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia, A. S.« Displicet **3.** quod affirmatur de

apostolis. Longe enim aliud est, quod apostoli dogmata non proposuerint sub omnibus formis, quibus enunciari possint directe opposita multiplicibus erroribus, et quod ideo novae definitiones aliis terminis et modis loquendi expressae et novae explicationes aptae ad temporum exigentias, adhibitis etiam analogis ideis rationalibus, sequioribus aetatibus necessariae fuerint[1]); et aliud est, quod apostoli ipsi fidei dogmata secundum totam rationem internam scientia infusa minus distincte cognoverint, quam doctores subsequentes. Licet illud prius possit concedi, hoc alterum theologi catholici communiter reprobant ut temerarium. Et merito, cum apostoli prae ceteris Ecclesiae ministris unquam exstituris plenissime receperint Spiritum sanctum, qui eos duceret in omnem veritatem, redderet infallibiles et in scribendo inspiratos: prae ceteris etiam perfecta indigebant revelationis cognitione ad primum aedificandam propagandamque Ecclesiam[2]).

226. Displicet denique **4.** quod Güntherus tam perfectam exspectet mysteriorum intelligentiam, ut omnis mysterii ratio cesset. Haec enim opinio adversatur unanimi patrum et theologorum sententiae, quae docet, fidei mysteria excedere intellectum vel angelicum; adversatur quoque statui fidei, in quo versamur. Nam usque ad consummationem seculi homines ea fide justificabuntur ac vivent, qua velut per speculum et in aenigmate tamdiu cognoscimus[3]), usquedum lumine gloriae collustrati ad visionem eorum quae crediderunt provehantur, et ea fide vivere et merere debent, quae sit argumentum seu convictio *non apparentium*[4]), qua captivetur omnis intellectus in obsequium Christi[5]). Ejusmodi porro oeconomia subvertitur, si unquam contingat, ut successiva explicatione jugique mentis cultura veritates revelatae omnes vel saltem potiores innotescerent rationi. Adversatur denique doctrinae conc. vaticani[6]): „Ac ratio quidem fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam Deo dante mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit

---

[1]) Admitti proinde potest relate ad apostolos **1.** profectus historicus, quod apostoli plura ignoraverint, quae ad historicam explicationem et diffusionem Ecclesiae, seriem romanorum pontificum etc. spectant; **2.** profectus modalis scil. quoad formam seu modum distinctum, articulatum, scientificum proponendi veritates revelatas; **3.** antitheticus, quia plures semper habitus oppositionis, quos successu temporis dogmata induunt relate ad errores in diem succrescentes, distincte cognoscimus. Hic vero qualiscunque profectus nullo pacto conferri potest cum eminentissima revelationis cognitione, qua pollebant apostoli, quia externam potius et accidentalem tantum revelationis faciem et formam attingit, modumque magis respicit, quo revelatio fidelibus proponi possit quam subjectivam eorum et infusam scientiam. Ita si quis pulchrioribus et nitidioribus utitur in scribendo characteribus, non propterea etiam rem melius intelligit. Cf. Kleutgen l. c. n. 585 ss.; Schäzler Neue Untersuchungen über das Dogma von der Gnade p. 296 ss.

[2]) Cf. Tertullianus de praescr. c. 22; Heinrich t. II. § 83.

[3]) 1. Cor. 13, 12. [4]) Hebr. 11, 1. [5]) 2. Cor. 10, 5.

[6]) Sess. 3. de fide et rat. can. 1. (supra n. 4) et cap. 4. Cf. Kleutgen n. 408 ss.; 432 ss.; 599 ss.; Franzelin th. 25 s.; Scheeben § 36. et in primis § 55.

analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo; nunquam tamen idonea redditur ad ea perspicienda instar veritatum, quae proprium ipsius objectum constituunt. Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus et non per speciem (2. Cor. 5, 7).«

Sectio II.

De sacra Scriptura.

227. *S. Scripturae praestantia.* — Summae praestantiae esse s. Scripturam negari nequit, sive ea philosophice tantum vel, quod idem est, critice et humano modo, sive etiam theologice consideretur. Quod si **1.** modo humano spectetur, ejus praestantia colligitur tam **a.** ex summa aetate, qua haud minima ejusdem pars antecedit, quotquot supersunt, antiquitatis libros; tum **b.** ex objecti seu doctrinae sublimitate[1]); tum **c.** ex ipsa forma, quae verborum fastum et pompam negligens, stili candore, simplicitate et idearum copia quandam prae se fert majestatem[2]), quam humana eloquentia assequi nequit. Si vero s. Scriptura **2.** theologice spectetur, patet ejus praecellentia ex mira analogia inter Verbum Dei incarnatum et hoc verbum Dei scriptum.

228. Sicut Verbum Dei **a.** carne indutum opera sancti Spiritus prodiit ex Maria V., ita Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines[3]) et pepererunt verbum Dei scriptum. Sicut **b.** in illo elementum divinum et humanum, quo divinum velabatur, secerni debet: ita hic sub cortice literae latent sensa divina[4]); et sicut ad illud cognoscendum non

---

[1]) Quare vel Fichte in Naturrecht p. 1. p. 32. ed. Jenae et Lipsiae 1790. scribit: „Ein Geist nahm sich der ersten Menschen an, ganz wie es eine alte ehrwürdige Urkunde vorstellt, welche überhaupt die tiefsinnigste erhabenste Weisheit enthält und Resultate aufstellt, zu denen alle Philosophie am Ende doch wieder zurückkehren muss.«

[2]) De hac ineloquenti s. Scripturae eloquentia cf. s. Augustinus de doctrina christ. l. 4. c. 6. 7; et de catechiz. rudibus c. 8. 9. (opusc. VIII. 116 ss. cum annot. subj.). Cf. Imit. Christi. lib I. cap 5.

[3]) 2. Petr. 1, 21. Cf. Ruppertus tuit. in Is. l. 2. c. 31.

[4]) Rabanus Maurus in prologo expositionum in Leviticum: „Sicut in novissimis diebus Verbum Dei ex Maria V. carne vestitum processit in hunc mundum, et aliud quidem erat quod videbatur in eo, aliud quod tegebatur, carnis namque aspectus in eo parebat omnibus, paucis vero et electis dabatur divinitatis agnitio: ita et cum per prophetas vel per legislatorem verbum Dei profertur ad homines, non absque competentibus profertur indumentis. Nam sicut ibi carnis, ita hic literae velamine tegitur, ut litera quidem aspiciatur tamquam caro, latens vero intrinsecus spiritalis sensus tamquam divinitas sentiatur.«

sufficiebat caro et sanguis, sed requirebatur revelatio paterna[1]); ita ad haec penetranda necessaria est illustratio superna[2]). Sicut **c.** in humanitate assumpta inhabitabat plenitudo divinitatis[3]), erantque omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi[4]); ita et Scriptura coelesti abundat sapientia; multiplici enim lingua loquitur, verbis et rebus, fontisque instar replet hominum mentes, innumeros libros integrasque bibliothecas[5]). Sicut **d.** Christus judaeis fuit scandalum, gentibus stultitia[6]), multis lapis offensionis et petra scandali[7]), credentibus vero Dei virtus et sapientia[8]): ita non minus haec de verbo Dei scripto, de s. Scriptura affirmare licet. Quemadmodum **e.** non obstante humana natura in Christo translucebat divinitatis splendor, ita etiam coelestis sapientia translucet sub cortice literae. Sicut **f.** patiente Christi humanitate impassibilis mansit divinitas, ita etiam qui s. Scripturae paginas dilacerat, non laedit doctrinam iis inscriptam (t. II. n. 514. a.). Quare **g.** mirum non est, quod sicut Christus inter homines eminet tamquam *Filius hominis* per excellentiam, ita hic liber divinitus inspiratus emineat inter scripta omnia tamquam *Scriptura,* Scriptura sacra per excellentiam[9]). Propter quam Scripturae dignitatem tres disciplinae illam sibi vindicant; introductio biblica, quae illius veluti fata per-

τὰ βιβλία. Biblia, the Bible.

[1]) Matth. 16, 17. [2]) 1. Cor. 2, 14. [3]) Col. 2, 9. [4]) Ib. 2, 3.

[5]) Chrysostomus hom. 21. in Genesim n. 1: »Ego vos omnes obsecro, ne simpliciter ea, quae in Scripturis sacris contenta sunt, transeatis. Nihil enim hic scriptum est, quod non multas sensuum habeat divitias: quandoquidem divino Spiritu afflati prophetae locuti sunt, ideo utpote a Spiritu scripta ingentem in se continent thesaurum . . . Neque enim vel syllaba vel apiculus est in sacris literis, in cujus profundo non sit grandis quispiam thesaurus.« S. Augustinus ep. 137. n. 3: „Tanta est christianorum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere.«

[6]) 1. Cor. 1, 23. [7]) 1. Petr. 2, 8. [8]) 1. Cor. 1, 24.

[9]) Praeclara est s. Scripturae descriptio penes Gregorium M. Mor. l. 20. c. 1. n. 1: „Quamvis omnem scientiam atque doctrinam Scriptura sacra sine aliqua comparatione transcendat, ut taceam, quod vera praedicat, quod ad coelestem patriam vocat; quod a terrenis desideriis ad superna amplectenda cor legentis immutat; quod dictis obscurioribus exercet fortes, et parvulis humili sermone blanditur; quod nec sic clausa est, ut pavesci debeat: nec sic patet, ut vilescat; quod usu fastidium tollit, et tanto amplius diligitur, quanto amplius meditatur; quod legentis animum humilibus verbis adjuvat, sublimibus sensibus levat; quod aliquo modo cum legentibus crescit, quod a rudibus lectoribus quasi recognoscitur, et tamen doctis semper nova reperitur; ut ergo de rerum pondere taceam, scientias tamen omnes atque doctrinas ipso etiam locutionis suae more transcendit, quia uno eodemque sermone dum narrat textum, prodit mysterium, et sic scit praeterita dicere, ut eo ipso noverit futura praedicare; et non immutato dicendi genere, eisdem ipsis sermonibus novit et anteacta describere et agenda nunciare.« Augustinus de Genesi ad lit. l. 5. c. 3. n. 6: Scriptura „sic loquitur, ut altitudine superbos irrideat, profunditate attentos terreat, veritate magnos pascat, affabilitate parvulos nutriat.« Cf. Hugo a s. Victore de Script. s. c. 1. 2; Petrus blessensis ep. 125 (Mig. 207. 373 s.).

sequitur et faciem considerat humanam; exegesis, quae illius scrutatur sensum: et dogmatica, quae ipsius ponderat pretium utiturque lumine.

229. *Disputationis partitio.* — Quaestionem autem, quarum consideratio praecipue ad theologiam dogmaticam spectat, ad quatuor revocabimus capita, in quorum **1.** de objectiva dignitate seu de inspiratione Scripturae agemus; in **2.** de ejusdem extensione seu de canone; in **3.** de versione ipsius seu de Vulgatae authentia; in **4.** denique de ejus sive ad fideles sive ad Ecclesiam docentem habitu.

Caput I.

De sacrae Scripturae inspiratione.

230. **Lemma I.** *Judaeorum fides de s. Scriptura.* — Certo constat, tempore Christi penes synagogam exstitisse collectionem quandam librorum a majoribus acceptorum et ex fide totius populi divinorum, qui unum velut corpus constituebant destinatum ad usum publicum in tota vita religiosa et civili ipsius populi: de quo facto et persuasione constat ex Philone et Josepho Flavio, qui ita scribit[1]: „Apud nos nequaquam est innumerabilis librorum multitudo dissidentium et inter se pugnantium, sed duo dumtaxat et viginti libri sunt totius temporis descriptionem continentes, qui merito creduntur divini.“ Quibus recensitis prosequitur: „Ab Artaxerxe autem usque ad nostram memoriam sunt quidem singula literis mandata, sed non in aequali auctoritate habiti sunt (ii libri) cum praecedentibus, quia non accurate perspecta erat successio prophetarum. Porro re ipsa manifestum est, quanta nos veneratione libros nostros prosequamur. Cum enim tot jam secula effluxerint, nemo nec adjicere quidquam, nec ab iis demere aut mutare ausus est. Sed omnibus judaeis statim a prima nativitate congenitum est, ut haec scripta credant Dei dogmata, et eis inhaereant ac pro eis, si opus sit, libenter mortem subeant.“ Idem colligitur ex prologo Ecclesiastici aliisque s. Scripturae locis[2]).

231. **Lemma II.** Hi vero libri in N. T. nunc seorsim, nunc conjunctim, ac si essent unus liber[3]), imo singuli librorum textus[4]) nomine *Scripturae, Scripturae sacrae* et formula citationis *scriptum est* designantur ita, ut appareat esse hoc nomen proprium unius cujus-

---

[1]) Ad Appionem l. 1. n. 8.

[2]) Cf. 2. Esdrae 8, 8; 1. Mach. 1. 59; 2. Mach. 2, 13; Luc. 4, 16; Act. 13, 15. 27; 15, 21; 2. Cor. 3, 14 etc.

[3]) Cf. Jo. 7, 42; 1. Petr. 2, 6.

[4]) Cf. Marc. 12, 10; Luc. 4, 10; 24, 27; Act. 1, 16; 8, 32. 35; Joan. 19, 36. etc.

dam collectionis librorum notissimae in synagoga et esse nomen excellentiae, quo par quidem omnibus illis libris et librorum textibus, sed singularis et exsors auctoritas significetur. Nam si pauca etiam verba tamquam sacra Scriptura vel forma *scriptum est* adhibentur, id quod enunciant irrefragabilis est judaeis auctoritatis. Quae proinde dicuntur et probantur de auctoritate Scripturae universim, ea demonstrant auctoritatem totius collectionis omniumque librorum et omnium partium ad s. Scripturam pertinentium.

232. **Lemma III.** Tantum vero abest, ut Christus hanc fidem populi judaici reprobaverit, ut eam potius multiplici comprobaverit ratione, provocando scil. **a.** ad Scripturas tamquam ad testificationem non humanam, sed divinam, irrefragabilem, majorem testimonio hominis vel sanctissimi[1]), parem testimonio ipsius Patris coelestis et testimonio miraculorum; vel **b.** eam aequiparando voluntati paternae ut dum passim inculcat *oportet impleri Scripturam*[2]); vel **c.** inculcando eam firmitate praecellere leges naturae, nam *facilius est coelum et terram transire, quam de lege unum apicem cadere*[3]). Simili ratione et apostoli fidem hanc comprobant, cum res gravissimi momenti demonstrant simplici formula: *Scriptura dicit; scriptum est* etc. In re evidenti abstinemus a citandis exemplis [4]).

233. **Thesis XXXII.** ***Scripturae sacrae auctor est Deus per supernaturalem in scriptores humanos actionem, quae usu ecclesiastico inspiratio dicitur.***

Demonstratio. Deum auctorem esse librorum sacrorum Ecclesia saepe solemni sententia declaravit et professa est. Jam olim episcopus consecrandus ex praescripto [5]) concilii antiqui profiteri debebat: „Credo

---

[1]) Joan. 5, 34 ss.: *Ego non ab homine testimonium accipio . . . Ego habeo testimonium majus Joanne. Opera enim, quae dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me. Et qui misit me Pater ipse testimonium perhibuit de me . . . Scrutamini Scripturas . . . illae sunt, quae testimonium perhibent de me . . . Si autem illius* (Moysis) *literis non creditis, quomodo verbis meis credetis?*

[2]) Luc. 22, 37; 24, 26. col. Act. 1, 16. [3]) Luc. 16, 17; Matth. 5, 18.

[4]) Cf. Franzelin de divinis Script. th. 1; Mazzella de virtutibus in fusis disp. 4. a. 4. Imo quandoque apostoli unicum Scripturae verbum urgent tamquam plenum mysterii et probandi virtute praeditum. Ita Paulus, quod Abrahae dictae sint promissiones et semini ejus, et non *seminibus* (Gal. 3, 16); quod Aggaeus 2, 7. dicat *adhuc semel* Hebr. 12, 27. etc. Cf. etiam Hebr. 7, 3.

[5]) Tribuebatur hoc praescriptum concilio carthaginensi a. 398., quod plures eruditi in dubium vocant: canones tamen illi tributi aliorum sunt conciliorum antiquorum ab aliquo viro erudito in unum collecti. Cf. Hefele Conciliengeschichte II, 66. ed. 2.

etiam N. et V. Testamenti, legis et prophetarum et apostolorum unum esse auctorem Deum et Dominum omnipotentem." Praetermissis autem decretis conc. florentini pro jacobitis et tridentini sess. 4. aliisque [1]), recentissime concilium vaticanum statuit sess. 3. can. 4: „Si quis s. Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus[2]), prout illos s. tridentina synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit, A. S.;" et cap. de revelatione: „Eos Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea, quod Spiritu sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt." Quare libri s. Scripturae dicuntur divini non solum ratione argumenti et auctoritatis, sed etiam ratione originis.

234. Merito autem Ecclesiam id profiteri et credere, probatur **1.** ex fide judaeorum (cf. supra n. 230), quam Christus approbavit (cf. n. 232). Probatur **2.** ex modo, quo Christus et apostoli ss. Scripturas citant. Nam vel **a.** Deus vel Spiritus s. auctor ponitur in recto, homo ut instrumentum in obliquo: *Oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus s. per os David de Juda*[3]); vel **b.** ajunt scriptorem in Spiritu s. quae scripsit dixisse, quod idem valet, ac Spiritum s. per ipsum esse locutum[4]): *Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum* (Christum) *Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo?* vel **c.** Scriptura simpliciter pro ipso Deo loquente ponitur, quod fieri nequit, nisi quatenus Deus est auctor Scripturae et per eam loquitur: *Providens autem Scriptura . . . praenunciavit Abrahae*[5]) etc. Merito igitur **d.**

---

[1]) De conc. tridentino cf. Katholik 1868. II, 672 ss. Conferri etiam possunt professio fidei ab imp. Mich. Palaeologo in conc. lugdunensi II. oblata et professio fidei ab haeresi waldensium redeuntibus ab Innocentio III. praescripta; symbolum Leonis IX. Petro ep. propositum.

[2]) Si autem quaeritur, quid conc. tridentinum nomine partis intellexerit, dicimus eo non tantum designari librorum vel capitum majora segmenta, quae protestantes deuterocanonicis accensent (n. 251. annot.), sed singulares quoque textus, qui secundum em. card. Franzelin de Deo trino th. 4. hisce duabus notis distinguuntur: „**1.** nempe ut textus certo sint per se dogmatici ad confirmanda dogmata et morum christianorum regulam stabiliendam directe pertinentes (cf. infra n. 268); tum **2.** ut iidem textus tamquam verbum Dei scriptum fuerint ab ipsa Ecclesia longo seculorum usu suscepti atque in veteri latina editione vulgata legi consueverint."

[3]) Act. 1, 16; 4, 25; Rom. 1, 2; Hebr. 4, 7. etc.

[4]) Matth. 22, 43; Marc. 12, 36. [5]) Gal. 3, 8.

Paulus omnem Scripturam diserte *divinitus inspiratam* [1]) appellat, quo praedicato eam tamquam opus exhibet divinae actionis.

235. Eandem **3.** fidem patres unanimi suo suffragio eoque multiplici modo expresso confirmant; et quidem **a.** diserte vel aequivalenter; ita Origenes, qui docet [2]) ad manifestam praedicationem ecclesiasticam spectare, »quod per Spiritum sanctum Scipturae conscriptae sint.« Ita Clemens romanus Scripturas dicit [3]) »veraces dictiones Spiritus sancti,« et Chrysostomus scribit [4]): »Deus velut longe absentibus literas misit, quas quidem literas dedit Deus, attulit Moyses;« et aliis praetermissis Irenaeus [5]): »Scripturae quidem perfectae sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu ejus dictae.« Vel **b.** hanc veritatem analogiis illustrant, cum docent auctorem inspiratum ita se habere ad Deum, ut se habet manus ad hominem, calamus ad scribam, cithara ad musicum. Praeclare Augustinus: »Omnibus discipulis suis per hominem, quem assumpsit, tamquam membris sui corporis caput est (Christus). Itaque cum isti scripserunt, quae ille ostendit ac dixit, nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit: quandoquidem membra ejus id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt. Quidquid enim ille de suis factis et dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tamquam suis manibus imperavit. Hoc unitatis consortium et in diversis officiis concordium membrorum sub uno capite ministerium quisquis intellexerit, non aliter accipiet, quod narrantibus discipulis Christi in Evangelio legerit, quam si ipsam manum Domini, quam in proprio corpore gestabat, scribentem conspexerit [6]).« Nec minus praeclare Gregorius M. in praef. Moral. in Job n. 2: »Quis haec scripserit, valde supervacue quaeritur, cum tamen auctor libri Spiritus s. fideliter credatur. Ipse igitur haec scripsit, qui scribenda dictavit. Ipse scripsit, qui et in illius opere inspirator exstitit, et per scribentis vocem imitanda ad nos ejus facta transmisit. Si magni cujusdam viri susceptis epistolis legeremus verba, sed quo calamo essent scripta quaereremus, ridiculum profecto esset, epistolarum auctorem scire sensumque cognoscere, sed quali calamo earum verba impressa fuerint indagare. Cum ergo rem cognoscimus ejusque rei Spiritum s. auctorem tenemus, qui scriptorem quaerimus, quid aliud agi-

---

[1]) 2. Tim. 3, 16: *Omnis Scriptura divinitus inspirata* θεόπνευστος *utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia.* Tria autem hic quaeri possunt: **1.** utrum *omnis Scriptura* significet universam Scripturam, an quemlibet ejus librum. Probabilius hoc alterum significat. **2.** Utrum dictio *divinitus inspirata* sit appositum an praedicatum, utrum proinde sensus sit, omnis Scriptura est divinitus inspirata et utilis: quod posterius probabilius est. **3.** Quid significet θεόπνευστος, nam ea vox hic tantum occurrit in divinis literis. Significat vero singularem Dei actionem in scriptorem tum ex ipsa vi vocis tum ex loco analogo 2. Petr. 1, 21: *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati* (φερόμενοι) *locuti sunt sancti Dei homines.*« Quod enim Petrus de prophetis loquentibus affirmat, id dicit Paulus de Scripturis.

[2]) De princ. praef. n. 8. [3]) Ep. 1. ad Cor. n. 45.

[4]) Hom. 2. in Gen. n. 2. [5]) L. 2. c. 28. n. 2.

[6]) De consensu Evang. l. 1. c. 35. Cf. enar. in Ps. 8. n. 7; Scheeben § 16; Denzinger Vier Bücher von der relig. Erkenntniss 2, 170 ss.

mus, nisi legentes literas de calamo percontamur?« Eundem in sensum Theodoretus praef. in Psalmos postquam retulit quorundam sententiam plures esse psalmorum auctores: »Ego autem, inquit, de his nihil sane affirmo. Quid enim mea refert sive hujus omnes, sive illorum aliqui sint, cum constet divini Spiritus afflatu universos esse conscriptos? . . . Prophetae autem est linguam praebere ministram gratiae s. Spiritus, ut legitur in Psalmis 44, 2: *Lingua mea calamus scribae velociter scribentis.*« Vel denique c. ea inferunt consectaria, quae originem divinam supponunt, scil. vel minima in divinis libris plena esse sensibus, ut ex. gr. Gregorius naz.: »Nos qui perfectam veracitatem Spiritus etiam usque ad levem apicem et lineam extendimus, non concedimus, neque enim fas est, vel res minimas a scriptoribus esse temere positas[1]).«

236. *Inspirationis notio.* — Dogmate catholico de inspiratione Scripturae vindicato, jam ad evolvendam inspirationis notionem accedamus. In quolibet libro considerari possunt veritates, quae exprimuntur, signa, quibus eaedem exprimuntur, et finis, qui ab auctore in scribendo libro intenditur. A fine pendet, quid ex omnibus, quae librum constituunt, sit ab auctore per se intentum elementumque formale libri determinans ejus propriam rationem, ut talis sit, qualem illum auctor intendit. Jam vero veritates (plurimum) pertinent ad elementum formale, verba autem, quibus veritates significantur (et plerumque eorum dispositio), pertinent per se ad elementum libri materiale[2]). Quibus praenotatis dicimus, neminem vere haberi posse libri auctorem, nisi qui efficiat, ut saltem id, quod est elementum formale libri, a se mente conceptum literis consignetur. Ut ergo aliquis per alterum tamquam per causam ministerialem, ratione tamen et voluntate agentem, auctor sit libri, efficiat oportet, ut haec causa instrumentalis ipsomet suggerente et mente concipiat et ipsomet movente feratur voluntate ad scribendum id omne et id solum, quod pertinens ad formalem libri rationem ipse tamquam libri auctor principalis scribendum mente praeconceperat.

237. Quare etiam ut Deus dici possit auctor Scripturae, hoc requiritur: unde colligimus inspirationem non excludere humanum studium, laborem, cooperationem (sicut haec neque in justificatione, quae est opus alioquin maxime divinum, excluditur), dummodo supernaturalis illustratio et directio Dei efficiat, ut menti hominis inquirentis et

---

[1]) De fuga sua n. 105: cf. verba Chrysostomi n. 228. annot.

[2]) Ita lingua plerumque, qua conscriptus est liber, spectat ad elementum materiale: qua de causa Canisius manet auctor sui catechismi, in quamcumque vertatur linguam. In recensione chronologica romanorum pontificum ordo chronologicus est elementum formale, non vero in aliqua chrestomathia[3]) ordo poëmatum. In lexico certe lingua elementum est essentiale etc.

[3]) Χρηστομάθεια, rerum bonarum et utilium studium, liber continens locos optimos et delectos e scriptore.

scribentis ea omnia et sola ad scribendum occurrant, et voluntas ad ea omnia et sola scribenda moveatur, quae scribenda divinum comprehendit consilium. Liquet igitur **1.** dicta illa auctorum, qui creduntur inspirati, quibus laborum sudorumque suorum in componendis libris mentionem faciunt [1]), non adversari eorum inspirationi; **2.** ad inspirationem non requiri revelationem proprie dictam, nisi auctor scribere debeat ea, quae ei naturaliter sunt plane incomperta, ut mysteria vel vaticinia; in aliis vero, quae jam aliunde scit vel ex aliorum libris (2. Mach. 2, 25. 27); vel ex aliorum relatione (Luc. 1, 3); vel ex propria experientia (Jo. 19, 35), sufficere, ut nutu et directione divina scriptor ex his ea literis consignet, quae Deus consignata vult [2]). Quod vocabula attinet, patet, auctoris sensa exprimi non posse, nisi apta seligantur vocabula: quamobrem inspiratio non ad solas pertinet res et sententias, verum etiam secundum quid extenditur ad signa et vocabula, ita scil. ut ipsa operatione divina homo inspiratus ab errore in seligendis vocabulis idoneis praeservetur. Cum vero haec (saltem plerumque) non pertineant ad elementum formale libri, nisi quatenus apta sunt ad auctoris sensa exprimenda, sed tantum ad materiale: nulla est ratio affirmandi in plerisque locis praeter illam assistentiam Deum ipsum supernaturali actione signa et modum scribendi in individuo suppeditasse. Proinde ad inspirationem quadruplex requiritur elementum: **1.** motio voluntatis ad scribendum efficax; **2.** illustratio intellectus, vi cujus scriptoris mens ea omnia concipiat, quae Deus scribi vult; **3.** directio divina, ne scriptor inspiratus aliqua ex iis, quae Deus literis consignata vult, omittat, multoque minus ne quid addat alienum; **4.** assistentia, ne scriptor adhibeat verba inepta ad sensa divinitus concepta exprimenda. Horum vero elementorum necessitas sicut sequitur ex ipsa analysi dogmatis, quo profitemur Deum auctorem s. Scripturae, ita quoque confirmatur patrum suffragio, qui de inspiratione loquentes, vel diserte vel aequivalenter eorum mentionem faciunt [3]).

238. Ex analysi instituta pleraeque si non omnes aliae opiniones de inspirationis ratione erroris vel per defectum vel per excessum ar-

---

[1]) 2. Mach. 2, 24. 27; Luc. 1, 3. Neque de inspirationis essentia est, ut scriptor se cognoscat inspiratum. Non tamen facile est supponendum, alicui ex sacris scriptoribus suam inspirationem fuisse incompertam.

[2]) Huc refer verba Augustini l. c. c. 13. n. 48: »Recordationes eorum (evangelistarum) ejus manu gubernatae sunt, qui gubernat aquam, sicut scriptum est, qualiter illi placuerit.« Cf. Bonfrerius prael. c. 8. s. 6.

[3]) Cf. Franzelin th. 2. 3; Kaulen Geschichte der Vulgata § 4. 5.

guuntur. Omissis sententiis absurdioribus celebriores tantum, ad quas aliae facile revocari possunt, crisi subjiciemus.

Corollarium I. *Tota Scriptura est inspirata.* — Plures inspirationem divinam ita coercent, ut affirment, eam se non ad omnia, quae divinis literis continentur, sed tantum ad res majoris momenti extendere, proinde in reliquis, maxime in factis historicis, scriptores sibi fuisse relictos,atque idcirco potuisse errare. Quam sententiam plus minusve tenent gnostici, manichaei, Aëtius, cathari, Erasmus, arminiani, ut Hugo Grotius et Episcopius, Spinoza, rationalistae (si quam adhuc inspirationem admittunt), Feilmoser etc. Huic vero errori adversantur **1.** quae praemisimus n. 231., ex quo consequitur nomine sanctae Scripturae designari homogeneam quàndam uniformemque dignitatem inhaerentem singulis libris librorumque textibus, quae auctoritas derivanda sit ex inspiratione. Ergo inspiratio tam late patet quam ipsa s. Scriptura. Adversatur **2.** fides majorum, qui tam theoretice quam practice totam Scripturam singulasque partes inspiratas crediderunt: ut patet tum ex indistincta citatione textuum omnis generis, tum ex eorum sollicitudine componendi antilogias vel minimas, quae inter auctores inspiratos subinde esse videntur, tum ex disertis effatis.

239. Ita Hieronymus ep. 27. respondens suis detrectatoribus propter emendationem Evangeliorum ad veterum codicum normam, scribit: »Non adeo me hebetis fuisse cordis et tam crassae rusticitatis, ut aliquid de dominicis verbis aut corrigendum putaverim aut non divinitus inspiratum;« Augustinus: »Ibi (in Scriptura s.) si quid velut absurdum moverit, non licet dicere: Auctor hujus libri non tenuit veritatem, sed, aut codex mendosus est, aut interpres erravit, aut tu non intelligis[1].« Et ep. 82. ad Hieronymum scribens n. 3: »Ego enim fateor caritati tuae, solis eis Scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorum scribendo aliquid erasse firmissime credam. Ac si aliquid in eis offendero literis quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel in-

---

[1]) L. 11. c. Faustum c. 5, quo complectitur potiora, quae dici possunt ad vindicandam s. Scripturam, ab erroribus, qui illi subinde tribuuntur. In eundem sensum loquitur Justinus in dial. cum Tryphone n. 65: »Si ob eam causam, quod te existimaveris disputationem in eas angustias conjicere posse, ut Scripturas inter se dicerem pugnare, errasti. Id enim nunquam audebo nec cogitare, nec dicere; sed si qua proponatur Scriptura, quae ejusmodi esse videatur, et praetextum, quasi esset alteri contraria, praebeat, cum persuasum habeam nullam Scripturam alteri contrariam esse, fatebor potius me non intelligere quae dicuntur, et iis, qui Scripturas inter se pugnare suspicantur, ut idem potius sentiant, persuadere conabor.« Cf. Kleutgen Theol. der Vorzeit t. 1. n. 28 ss.; Denzinger 2, 219 ss.

terpretem non assecutum esse, quod dictum est vel me minime intellexisse non ambigam . . . De quorum (prophetarum vel apostolorum) scriptis, quod omni errore careant, dubitare nefarium est.« Eadem fides colligitur **3.** indirecte ex agendi ratione adversariorum, qui putant sufficere ad negandam alicujus libri sacri inspirationem vel ad hoc dogma penitus subvertendum ostendere, aliquid falsi quamvis in re minoris momenti in libro de quo agitur reperiri. Demum **4.** adversariorum opinio inspirationem ipsam haud parum reddit incertam. »Admisso semel, inquit Augustinus ad eundem ep. 29. n. 3., in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio (idem dicatur de errore), nulla illorum librorum particula remanebit, quae non ut cuique videbitur vel ad mores difficilis vel ad fidem incredibilis eadem perniciosissima regula ad mentientis auctoris consilium officiumque referatur.« Ceterum advertatur, etsi omnia in sacris literis ex divina inspiratione sint scripta, non tamen omnia divinitus sunt dicta: voluit enim Deus, ut scriptores inspirati referrent etiam subinde verba impiorum, stultorum etc.

240. **Corollarium II.** *Inspiratio non consistit in mera assistentia.* — Falsa quoque est opinio, quae inspirationem revocat ad meram assistentiam, qua Deus praeservet scriptores ab errore eosque proinde reddat infallibiles. Ea proponitur a Jahn[1]), Holden etc. Ad eam accedit sententia Bonfrerii[2]), licet ipse inspirationem non revocet ad assistentiam tantum ut Jahn, neque minutam hanc inspirationem pro omnibus libris defendat; eumque sequuntur Contenson, Janssens etc.; nec ab ea multum dissentire videntur Rich. Simon, Dupin et Calmet; falso vero ea passim tribuitur Bellarmino et Cornelio a Lapide. Quae opinio refellitur, tum quia assistentia praeservans est quid negativum, inspiratio vero est praerogativa, qua quis auctor est libri, proindeque actum vere positivum designat vel supponit; tum quia secundum eam decreta etiam conciliorum oecumenicorum forent inspirata ut Scriptura sacra, quod nemo dicet.

241. **Corollarium III.** *Sola approbatio divina non sufficit.* — Secundum aliam opinionem liber aliquis sola approbatione divina seu insertione in canonem evadit divinus et verbum Dei, eo modo, quo sententia aliqua a Cicerone scripta fit verbum meum, si ea utar ad conceptum meum exprimendum. Hanc ut hypothesim possibilem innuit Bonfrerius; ut thesim saltem quoad aliquos libros proponit

---

[1]) Introd. in V. T. t. 1. § 19.

[2]) In praeloquiis c. 8 s. 3. Ipse quidem impulsum praevium admittit et assistentiam, quae scriptorem comitetur, accuratius ita describit, ut sit „determinatio quaedam ab extrinseco, ut diversa vel contraria iis, quae scribunt, scribere non possint, cum scribentes Spiritus s. non patiatur errare, semper adest scribentibus paratus in actu primo illa, quae scribenda sunt, inspirare, sicubi sibi relicti essent aberraturi; ab intrinseco tamen liberi sunt, cum re ipsa illos Spiritus s. non determinet, nec quidquam antecedenter in illis operetur, nisi sicubi operatio divina illis est necessaria.«

cl. Haneberg[1]). Verum ea sententia admitti nequit, praesertim post declarationem concilii vaticani (n. 233), ut patet vel ex ipsa obvia vocis notione, cum profecto longe aliud sit inspiratio et approbatio: illa enim actum, qui scriptionem praecedit, haec actum, qui illam consequitur significat. Inde autem orta videtur haec opinio, quod non satis distinguatur inter verbum Dei et librum inspiratum. Concedimus quidem librum aliquem humanum sola Dei approbatione posse fieri verbum Dei (non quidem proprium, sed adoptatum): ipsa enim approbatione revelat Deus omnia, quae illo continentur, esse vera proindeque ut verbum Dei credi posse; sed non ideo evadit liber inspiratus, qui omnino exigit positivum Dei influxum in scriptorem. Atqui Scripturae non sunt credendae verbum Dei utcunque, sed verbum Dei inspiratum. Quare haec inspirationis notio non est genuina.

242. **Corollarium IV.** *Non requiritur verborum dictatio.* — Ex analysi doctrinae catholicae de inspiratione (n. 236 s.) liquet quoque, verborum dictationem, quam tueri videntur nonnulli scholae theologi amplexique sunt multi ex veteribus protestantibus[2]), non pertinere per se et necessario ad inspirationis rationem; ideoque nisi certo demonstretur, non esse praesumendam. Eoque minus quod suppetant argumenta, quibus probetur auctores inspiratos in verbis seligendis et in modo scribendi grammatico atque rhetorico plerumque ad unum non fuisse determinatos. Argumenta porro sunt: **a.** ipsa elocutionis et stili diversitas diversae respondens indoli et eruditioni scriptorum: **b.** diversitas, quae reperitur apud evangelistas, cum eosdem Christi sermones aliis atque aliis referunt verbis[3]): **c.** verba auctoris 2. Mach.

---

[1]) Gesch. der Offenbar. sect. 9. c. 4. § 8: cf. Welte Tüb. Qtschr. 1855. p. 58 ss.

[2]) Cf. Denzinger l. c. 2, 238; Rothe in foliis period. Studien und Kritiken 1860. p. 1 ss. Contra eam scripsit jam sec. IX. Agobardus ep. lugd. l. ad Fredegisum n. 12. (Mig. 104, 166). Eam fuse iterum tuetur nostra aetate Fernandez O. S. Aug. in Revista Augustiniana a. 1884. t. 7. et 8., contra quem cf. Schmid Zeitschr. für kath. Theol. 1885. p. 670—90.

[3]) Cf. Kaulen l. c. p. 62 ss. Ita ex. gr. inter psalmum 17., prout habetur in libro psalmorum et 2. Reg. 22., sunt discrimina 95, et certe in utroque loco David haberi debet inspiratus, licet illum probabiliter una tantum forma enunciaverit. Porro haec diversitas divinitus idcirco permissa est secundum Augustinum de consensu evang. l. 3. n. 28., ut »quod ad doctrinam fidelem maxime pertinet, intelligeremus, non tam verborum quam rerum quaerendam vel amplectendam esse veritatem, quando eos, qui non eadem locutione utuntur, cum rebus sententiisque non discrepant, in eadem veritate constitisse approbamus.« Cf. generatim de hoc argumento opus insigne cl. Fr. Schmid de inspirationis bibliorum vi et ratione; Brixinae 1885.

15, 39., quae cum singularum vocum dictatione conciliari vix possunt. Patrum vero effata, quae pro ejusmodi dictatione afferri solent, ita commode explicari possunt, ut significent tantum, summa reverentia sacram Scripturam excipiendam esse omniaque ejus verba diligenter esse expendenda, quia multa divinitus sunt inspirata, omnia sensu plena, nullum inutile aut otiosum, utpote Deo invigilante conscripta et providente, ne voces superfluae aut ad sensus inspirati expressionem minus idoneae adhiberentur.

Caput II.

De inspirationis extensione seu de canone.

243. **Thesis XXXIII.** ***De facto inspirationis modo quo oportet nobis constare non potest 1. ex rei natura et a priori; neque 2. a posteriori ex characteribus ipsis sacris libris inhaerentibus: neque 3. ex eo, quod horum librorum auctor fuerit apostolus, praesertim si criterium hoc exclusive sumatur.***

Demonstratio p. I. Demonstrata Scripturarum in genere inspiratione, jam inquirendum est in criterium, vi cujus liber inspiratus, qui ad sacram pertineat Scripturam, tuto possit secerni a libro non inspirato. Ejusmodi criterium maxime esse necessarium per se patet, eoque magis, quod jam primis Ecclesiae seculis teste Irenaeo haeretici „inenarrabilem multitudinem apocrypharum[1]) et perperarum (νόθων) scripturarum, quas ipsi finxerunt,“ attulerint. Cum autem in ejusmodi criterium inquirimus, non qualicunque contenti sumus, sed tale exigimus, quo tuto, authentice, modo omnibus accommodato, quoad omnes Scripturae partes certi de libris inspiratis reddamur. Evidens vero est, hos libros a priori et ex rei natura non dignosci, cum omnia argumenta, quae ad hoc suadendum afferri solent, ad summum convenientiam inspirationis evincant; quinam autem sint ejusmodi libri et quidem omnes et soli, nunquam demonstrent.

244. **Demonstratio p. II.** Cum protestantibus, magisterio Ecclesiae authentico ac traditione divina rejectis, nulla amplius pateret via cognoscendi libros inspiratos, desperatione adacti ad criteria provocarunt interna: quorum nonnulli ad 16 conglŏbant (ex quibus tamen aliqua sunt externa). Praecipua sunt: historicum, quod constituunt in miraculis et prophetiis, quae literis divinis continentur; dogmaticum, quod repetitur ex miris effectibus, quos legentes ex vi et efficacia verbi Dei experiuntur;

---

[1]) L. 1. c. 20. n. 1. Supersunt adhuc evangelia apocrypha de juventute vel passione Christi decem; acta diversorum apostolorum, quorum notitia vel fragmenta, vel etiam textus supersunt, circa sexdecim; plures epistolae et apocalypses (5) apocryphae. Cf. Movers, Apocryphenliteratur im Kirchenlex. 1, 334 ss.

quibus addi potest aestheticum in sublimitate et simplicitate dictionis situm. Nemo vero est qui non intelligat[1]), ejusmodi criteria esse indeterminata et vaga, subjectiva et arbitraria, incerta, nec exclusiva (cf. n. 24).

245. **Demonstratio p. III.** Secundum Joannem David Michaelis[2]) criterium positivum et exclusivum ad sacros N. Testamenti libros dignoscendos est munus apostolatus, quo scriptores fuerunt instructi. Verum **1.** apostolatus munus non est criterium positivum; id saltem certo demonstrari nequit. Charisma enim inspirationis ad scribendum distinctum est a charismate revelationis, infallibilitatis et inspirationis ad loquendum. Demonstrari quidem potest ex divinis literis, apostolos hoc triplici charismate fuisse praeditos, sed cum de scriptione nullibi sit sermo, non poterit, saltem certo, inferri eos etiam donatos fuisse charismate inspirationis ad scribendum. Multo magis **2.** absurdum est hoc criterium sensu excludente, tum quia illo admisso contra totius antiquitatis sensum e librorum inspiratorum censu excludenda forent tam Evangelia ss. Marci et Lucae, quam actus apostolorum; tum quia gratis supponit Deum nulli alteri nisi apostolis hoc charisma concessisse.

246. **Thesis XXXIV.** ***De librorum sacrorum inspiratione constare nobis tantum potest ex testimonio eoque divino, quod pro integro Scripturarum catalogo neque ex ipsis Scripturis, neque ex sola traditione historica, sed tantum ex traditione divina sensu catholico accepta innotescit.***

Demonstratio p. I. Inspiratio est factum mere internum: cognosci ergo nequit nisi vel ex effectibus externis, vel ex testimonio ipsius hominis inspirati, vel ex testimonio Dei. Verum ejusmodi effectus externi in ipso libro inspirato certi sunt nulli (cf. n. 244). Testimonium autem hominis inspirati est humanum, illusionibus obnoxium; neque testimonium mere humanum unius de facto omnino sibi interno et supernaturali sufficit, ut omnes fide divina credere teneantur, ea quae ab ipso conscripta sunt, divinitus esse inspirata et esse verbum Dei ex eo solo, quod illius libro contineantur, nisi illud miraculis confirmetur, qua in hypothesi elevatur ad testimonii divini dignitatem. Quare merito concludimus, nonnisi testimonio divino constare tuto posse de ss. librorum inspiratione.

247. **Demonstratio p. II.** Concedimus quidem protestantibus testimonium divinum de inspiratione plurium librorum ex iis, qui communi consensu a christianis recensentur inter sacras Scripturas, innotescere posse. Nam ostendimus (n. 232) Christum et apostolos approbasse fidem judaeorum, qui plures libros pro vere sacris et inspiratis habebant. Atqui historice et critice satis certo constare nobis potest, quinam fuerint hi libri. Pariter concedimus probari posse ar-

---

[1]) Cf. Wiseman Die vornehmsten Lehren und Gebräuche der Kirche sect. 2.

[2]) Introd. in N. T. t. 1. c. 3.

gumento haud infirmo quarundam epistolarum s. Pauli inspirationem ex 2. Petr. 3, 16: *In quibus* (epistolis Pauli) *sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles deprāvant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Negamus tamen posse protestantes ex ipsis Scripturis omnium librorum, vel etiam eorum, quos ipsi in suum canonem recipiunt, inspirationem demonstrare, cum nuspiam ejusmodi testimonium exstet, in quo omnes hi libri recenseantur, nec ipsi unquam ejusmodi testimonium attulerint.

248. **Demonstratio p. III.** Demonstratio, qua protestantes testimonium divinum de inspiratione singulorum librorum ope traditionis historicae comprobare nituntur, triplici defectu eoque gravi laborat: **1.** quidem protestantes sibi contradicunt, ut ostendimus n. 208. Contendunt enim revelationem omnem divinis contineri literis, nullamque ejus particulam traditionis ope fuisse transmissam. Modo vero ne totius Scripturae inspirationem gratis admittant, supponere debent, extra et praeter Scripturam hanc saltem doctrinae revelatae particulam exstare, quae indicet, quinam omnes sint libri divinitus inspirati, eamque ope traditionis historicae cognosci posse. Praeterea **2.** haec demonstratio est insufficiens, nam praecisione etiam facta ab ea quam notavimus contradictione, non possunt protestantes hac via certo, tuto et absque controversia determinare omnes libros inspiratos, ut patet ex facto; quo magis enim gloriantur se via incedere historica et critica, eo minus de canone inter se conveniunt [1]). Verum **3.** dato etiam posse protestantes hac via omnes et singulos libros inspiratos determinare, non esset tamen haec methodus omnibus accommodata et a Christo pro omnibus instituta: est enim nimis difficilis, implexa, et sagax plane exigit judicium criticum (cf. n. 162 s.). Quare concludendum est nonnisi traditione divina sensu catholico intellecta constare nobis posse, quinam sint libri divinitus inspirati.

---

[1]) Cf. Perrone t. 3. sect. prioris c. 1. prop. 2. Et revera in antiquitatis monumentis invenimus circa 131 canones diversos. Quis vero gloriabitur se sola via critica ex tot diversis canonibus posse tuto et peremptorie eum agnoscere canonem, qui exacte referat praedicationem apostolorum de hoc dogmate fundamentali? Vere enim dici potest dubia de canone, si magisterium Ecclesiae authenticum negligatur, crescere in ratione directa studii critici; quod assertum audax confirmat ad evidentiam usque quotidiana experientia, cum vix jam supersit liber, libri pars aut caput, capitisque versus, qui non in discrimen vocetur. Cf. Franzelin thes. 5 ss.; Beleuchtung der Vorurtheile wider die kath. Kirche Lucernae 1843. t. 1. p. 2. pag. 125 ss.; t. 2. p. 1. pag. 190 ss., ubi afferuntur testimonia doctissimorum virorum protestantium necessitatem traditionis confitentium pro agnoscenda inspiratione s. Scripturae. Cf. Heinrich § 70.

249. **Thesis XXXV.** ***Canon Scripturarum a concilio tridentino sess. 4. sancitus, si secundum principia catholica de divina traditione spectetur, plane authenticus censeri debet; si vero ad rationes scientiae theologicae exigatur, sincera et fidelis est expressio illius fidei, quae semper in Ecclesia plus minusve clare obtinuit, sopitisque hinc inde obortis dubiis demum praevaluit.***

Demonstratio p. 1. Demonstratum est, doctrinam universam revelatam conservari per successionem apostolicam (thesi XXIII). Atqui in deposito fidei continetur tamquam pars in toto testimonium divinum de libris inspiratis, nempe quot et quinam sint. Custodia igitur hujus testimonii et dubiis exortis judicium infallibile de ipso pertinet ad functionem successionis apostolicae sub promissa Spiritus sancti assistentia; proinde ex hujus successionis testimonio per solemne judicium manifestato tuto et authentice agnoscitur divinum de libris inspiratis testimonium. Ejusmodi vero judicium solemne latum est in concilio tridentino. Ergo secundum principia legitima de divina traditione canon [1]) a concilio tridentino sancitus authenticus haberi debet.

250. Quae illatio confirmatur sentiendi ratione antiquitatis: patres enim passim inculcant ab Ecclesia discendum esse, quinam sint libri spectantes ad s. Scripturam seu divinitus inspirati. Ita Tertullianus[2]), Augustinus, cujus notissima sunt verba[3]): „Ego vero Evangelio non crederem, nisi me catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas, . . . qua infirmata jam nec Evangelio credere potero.“ Et iterum: „Cui libro (actuum

---

[1]) Canonis vox multiplicis est significationis; proprie significat regulam, qua rectum ab obliquo discernitur, quae neque additionem neque detractionem patitur: hinc translate significat credendi normam, secundum quam judicetur, quid fide sit tenendum quidve respuendum. Et quia fidei regula (objectiva et mediata) in primis continetur s. Scriptura, seu collectione librorum, qui constituunt Scripturam divinitus inspiratam seu verbum Dei scriptum, canonis nomine haec ipsa librorum collectio designatur. Cum autem etiam conciliorum definitiones norma sint credendi vel agendi, illae quoque vocantur canones, eademque de causa, praedicatio et praxis Ecclesiae canon appellantur. In re liturgica psalmus vel canticum secundum normam fixam cantandum vocabatur canon, et modo illa pars, quae prae ceteris solemnis et fixa est, eodem nomine appellatur. Catalogus quoque clericorum, quia secundum fixam regulam vitam degere debebant, et annua pensitatio certa, quae ipsis erat solvenda, canon dicebatur. Hinc derivatur verbum κανονίζειν, quod triplici praesertim significatione usurpatur: **1.** secundum certam regulam aliquid examinare; **2.** secundum certam regulam aliquid statuere; **3.** in catalogum librorum Scripturae aliquem librum (et per analogiam aliquem in sanctorum catalogum) referre. Adjectivum κανονικός praedicatur de libro in Scripturarum catalogum relato; de clericis, qui secundum certam piamque normam vivebant, etiam de virginibus et viduis; de literis episcoporum, quas sibi invicem in orthodoxiae suae tesseram mittebant, quasque latini formatas appellare consueverant.

[2]) Supra n. 165; adv. Marc. l. 4. c. 5. [3]) C. ep. fund. c. 5.

apostolorum) necesse est me credere, si Evangelio credo, quoniam utramque Scripturam similiter mihi catholica commendat auctoritas.« Ita Cyrillus hier. cat. 4. n. 34: »Studiose idque ab Ecclesia disce, quinam veteris T. libri, qui vero novi . . . Eos solos studiose meditare et versa, quos etiam in Ecclesia cum certa fiducia legimus; multo prudentiores et religiosiores te erant apostoli et veteres episcopi Ecclesiae rectores, qui eos tradidere; tu ergo filius Ecclesiae cum sis, ne leges positas transverte.« Ita Origenes: »In his omnibus (evangeliis) nihil aliud probamus, nisi quod Ecclesia i. e. quatuor tantum evangelia recipienda[1]).« Huc etiam pertinet can. 12. conc. toletani a. 447: »Si quis dixerit vel crediderit alias scripturas, praeter quas Ecclesia catholica recipit, in auctoritate habendas vel esse venerandas, A. S.«

251. **Demonstratio p. II.** Quamvis demonstratio, quam dedimus de canone tridentino, sit stricte theologica et peremptoria, decet tamen theologum via etiam scientifica comprobare, illum non solum arbitrarium non esse, revelationique primitivae non adversari, verum etiam fidelem esse expressionem illius fidei, quam apostoli Ecclesiae tradiderunt (cf. n. 183). Ut vero ejusmodi probatio adversus protestantes sit plena, necessarium quidem foret ostendere, singulos libros canone tridentino contentos, in primis deuterocanonicos[2]) (nam de protocanonicis nulla saltem cum antiquioribus protestantibus est controversia) jam ab antiquissimis temporibus habitos fuisse pro inspiratis. Compendio tamen studentes, argumentis tantum generalibus evincemus, canonem illum ad traditionem apostolicam esse exactum.

---

[1]) Hom. 1. in Luc. ab Hieronymo versa. Cf. alia patrum effata opusc. IX., 19 ss., quibus adde Zosimum ep. 2. ad episcopos Africae n. 8. (opusc. XVIII., 120); Isidorum hisp. Etymol. l. 6. c. 2. n. 52; de eccl. officiis l. 1. c. 11. n. 3; Bedam ep. 10; libros carolinos l. 1. c. 6. et Petrum ven. in tr. contra Petrobruss. Mig. 189, 738 ss. Cf. Gretser tract. de agnoscendis Scripturis sacris c. 8. opp. t. VIII.

[2]) Libri protocanonici illi dicuntur, de quorum inspiratione seu canonicitate dubitatum fuit nunquam, qui propterea etiam dicebantur (cf. Eusebium H. E. l. 3. c. 35) ὁμολογούμενοι, seu ab omnibus admissi. Deuterocanonici vero illi vocantur, de quorum inspiratione olim intra Ecclesiam dubitatum fuit vel non omnibus certo constabat, qui proinde non ubique in canonem sunt recepti atque ideo ἀντιλεγόμενοι, controversi vocabantur. Libri deuterocanonici V. T. sunt: Baruch, Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus et duo libri Machabaeorum. Quaedam quoque librorum partes deuterocanonicae habentur, ut canticum seu hymnus trium puerorum Dan. 3, 24—90; historia Susannae ib. c. 13. et destructio Beli et draconis c. 14; Esther a c. 10, 4—16, 24. Libri deuterocanonici N. T. sunt: epistola Pauli ad Hebraeos, ep. II. b. Petri, II. et III. s. Joannis, ep. s. Jacobi et Judae et apocalypsis. Partes deuterocanonicae N. T. sunt: Vers. posteriores Marc. 16. a v. 9; historia sudoris sanguinei Christi Domini Luc. 22, 43. 44; historia mulieris adulterae Joan. 8, 2—12. incl. Haec vero terminologia primum a Sixto senensi in bibliotheca sancta adhibita deinceps invaluit.

252. Sane **1.** ante conc. tridentinum, ut ordine chronologico ascendamus, vel sanciunt vel proponunt vel qua cognitum referunt hunc canonem: sec. XV. Eugenius IV. in decreto pro Jacobitis; sec. XII. Petrus blessensis de divisione et scriptoribus ll. sacrorum; sec. XI. Ivo carnot.[1]); sec. IX. Theodulfus aurelianensis in praef. praemissa bibliis[2]), Rabanus Maurus[3]), Nicolaus I. ep. 75. ad episc. Galliae; sec. VIII. Leo III. in decreto edito a Blanchinio in vindiciis can. Scripturarum (in quo recensentur libri deuterocanonici V. T.); sec. VII. Isidorus hispal. saepius[4]), s. Ildephonsus toletanus[5]), synodus trullana can. 2. approbans canones conciliorum afric. (in quibus omnes s. Scripturae libri, prout in Vulgata exstant, recensentur); item et Cresconius in sua collectione can. 299; sec. VI. Cassiodorius[6]), Ferrandus et Dionysius in suis canonum collectionibus; sec. V. Gelasius in decreto synodali 70 episcoporum a. 496., in quo dicitur: „De Scripturis divinis quid universaliter catholica recipiat Ecclesia, vel post haec quid vitare debeat, ordo de V. T., quem sancta et catholica romana suscipit et honorat Ecclesia, iste est etc.," quod decretum probabiliter[7]) est jam Damasi († 384). Initio sec. V. eum proponunt Innocentius I. in ep. 6. ad Exsuperium c. 7. provocans ad traditionem, Augustinus[8]) et conc. carthaginense a. 419., cui interfuerunt episcopi 218 et legati romani pontificis, can. 29. cum hac conclusione: „Hoc etiam fratri et consacerdoti nostro Bonifatio urbis Romae episcopo vel aliis earum partium episcopis pro confirmando isto canone innotescat, quia a patribus ita accepimus in Ecclesia legendum." Sec. IV. prostat in conc. carthaginensi III. a. 397 can. 47. et in hipponensi totius Africae a. 393 can. 36.

253. Praeterea **2.** antiquissimae versiones continent libros etiam deuterocanonicos V. T. omnes et quidem protocanonicis permixtos, ita versio graeca alexandrina LXX interpretum[9]), quousque saltem illam per

---

[1]) In decr. p. 4. c. 61. [2]) Mig. 105, 299. ss.

[3]) De Universo l. 5. c. 1; de instit. cleric. l. 2. c. 53.

[4]) Etymol. l. 6. c. 1; de eccl. officiis l. 1. c. 11.

[5]) De cogn. bapt. c. 79. [6]) Div. instit. c. 1 ss.

[7]) Cf. Hefele Conciliengesch. II, 620. [8]) De doctr. christ. l. 2. c. 8.

[9]) Quod factum magni est momenti, cum Christus et apostoli persaepe usi sint versione alexandrina; nam ex 350 citationibus, quae in N. T. occurrunt, circ. 300 expressae sunt ad illam. Quare Augustinus in ep. ad Hieronymum (inter hujus ep. 104. al. 88) n. 6. scribit: „Qua usos apostolos non solum res ipsa indicat, sed etiam te attestatum esse memini." Cf. etiam ejusdem ep. inter Hieronymi ep. 11. n. 35; Kaulen Einleitung in die h. Schrift § 28 ss. et de universo hoc argumento § 22 ss.

antiquitatis monumenta persequi licet; item versiones, quae immediate ex graeca derivatae sunt, versio latina itala, cujus aetas primum forte jam attingit seculum, coptica, aethiopica, syriaca hexaplaris[1]), armeniaca, slavonica: vetustissimi quoque codices, cujusmodi sunt alexandrinus, vaticanus (in quo tamen sicut prae vetustate initio periit tota fere Genesis, ita in fine desunt libri machabaeorum), claromontanus (sec. III.), sinaiticus Tischendorfii et ille, cujus jam meminit Cassiodorius[2]), et amiatinus. Libros vero deuterocanonicos N. T. omnes cum protocanonicis jam recensent Origenes[3]), Athanasius in ep. festali, auctor synopsis Athanasio adscriptae; Rufinus[4]), Hieronymus[5]), Leontius[6]), typicum s. Sabae c. 2. et 56; omnes omissa sola apocalypsi (de qua infra) recensent Gregorius naz.[7]), Cyrillus hieros.[8]); conc. laodicenum can. 60. et can. 85. apostolorum.

254. Accedit **3.** citandi usus. Nam etiam ll. deuterocanonici cum protocanonicis citantur sub formula: *scriptum est, Scriptura, Scriptura sacra* vel *divina, Spiritus s. in Scriptura sacra* dicit etc., et quidem iis in contextibus, ubi agitur de instituendis publice fidelibus in doctrina Christi sive theoretica sive practica. Affirmari autem tuto potest ex omnibus patribus, quorum scripta sat ampla supersunt, etiam ex iis, qui alioquin dubitasse subinde videntur, nullum esse, qui libros deuterocanonicos tamquam Scripturas sacras non usurpaverit, quod citationibus stupenda sedulitate collectis demonstrant J. Blanchinius[9]) et Vincenzi[10]). Sufficit provocare ad epistolam primam s. Clementis rom., opus alioqui non amplum, sed vetustate conspicuum utpote sec. primi, in qua cum libris protocanonicis promiscue 7 libri (ex 14) deuterocanonici tam V. quam N. Testamenti citantur. Ejusmodi vero usum horum librorum publicum, perpetuum, universalem, constantem non obstantibus dubiis exortis, qui nisi traditione niteretur apostolica, verus esset abusus in re momenti maximi, quique oborta controversia non solum non imminutus, sed confirmatus sit, ac tandem in universalem consensionem et manifestam veritatis praedicationem desierit, ex apostolica traditione originem traxisse manifestum est. Fatemur quidem, hinc inde a patribus quibusdam citari etiam libros ut s. Scripturam, quos Ecclesia pro inspiratis non agnoscit, ut Hermae pastorem, l. 3. Esdrae, Barnabae epistolam etc., sed ejus-

---

[1]) Versio syriaca, quae vocatur peschito seu simplex, facta ex fonte hebraico libros deuterocanonicos primum non continebat, postea tamen jam ante sec. IV. illi adjecti fuere.

[2]) Instit. div. c. 12 ss. [3]) Hom. 7. in Jos. col. hom. 13. in Gen. n. 2.

[4]) De symb. n. 37. [5]) Ep. 53. n. 8. [6]) De sectis art. 2.

[7]) Carm. 12. [8]) Cat. 4. n. 33 ss.

[9]) In vindiciis can. Script. [10]) Sess. 4. conc. trid. vindicata.

modi citationum usus nec adeo frequens, nec adeo universalis fuit ac gradatim evanuit.

255. Tandem **4.** canon tridentinus confirmatur consensu quoque Ecclesiae graecae schismaticae (quae tamen retinuit etiam l. 3 Machab.) aliarumque sectarum Orientis, qui in ejusmodi controversiis maximi faciendus est. Illa enim in synodo hierosolymitana a. 1672 de ll. deuterocanonicis V. T. haec statuit: „Ecclesiae catholicae regulam sequentes s. Scripturam eos omnes appellamus libros, quos a laodicena synodo Cyrillus (Lucaris) ipso quidem corrogante probatos recenset iis insuper additis, quos insipienter, inscite aut magis malitiose vocavit apocryphos: Sapientiam videlicet Salomonis, l. Judith, Tobiam, draconis historiam, Susannae, Machabaeos et Sapientiam Sirach. Hos etenim cum ceteris genuinis s. Scripturae libris ceu germanas ejusdem Scripturae partes censemus esse numerandos. Quoniam quae sancta Evangelia aliosque Scripturae libros ut genuinos tradidit antiqua consuetudo seu magis Ecclesia catholica, et istos haec ipsa ceu s. Scripturae partes procul dubio tradidit . . . quos omnes et nos judicamus esse canonicos et sacram eos esse Scripturam confitemur[1].“

256. **Scholion I.** *Exceptionibus satisfit.* — Non ignoramus contra hanc thesim plura excipi, quae paucis expendere juvabit. Praecipua exceptio inde petitur, quod plures patres sacrarum Scripturum canonem recensentes libros deuterocanonicos, saltem V. T., omittant, ut Origenes, Melito, Athanasius, auctor synopsis athanasianae, Gregorius naz., Amphilochius, Cyrillus hieros., Hieronymus, Epiphanius, Rufinus, conc. laodicenum, can. 60. et can 85. apostolorum. Verum **1.** ex his seponi debent Origenes, Melito et Epiphanius, quibus constitutum est libros canone hebraeorum comprehensos recensere, de quo nunc non sumus solliciti. Ad haec **2.** nomine canonis et librorum canonicorum intellexerunt patres persaepe indicem librorum eosque libros, qui tum apud omnes et ubique in confesso (ὁμολογούμενοι) erant, et de quibus nulla mota fuerat controversia; nolunt tamen ideo libros deuterocanonicos, de quibus nonnulli dubitabant et qui idcirco ἀντιλεγόμενοι dicebantur, definita sententia a librorum inspiratorum censu excludere. Id vel exinde patet, quod his libris passim utantur qua sacris Scripturis in suis operibus. Quare **3.** inter canonem tridentinum completum et canones illos deficientes non est oppositio contradictionis, sed diversitatis tantummodo, sicut inter perfectum et perficiendum suoque
A.D. 565. tempore supplendum, ut jam Cassiodorius c. 14. advertit: „Patres non contraria dixerunt, sed diversa, ut non impugnare, sed invicem se potius exponere videantur.“

---

[1]) Hard. XI, 258. Ita etiam Nicephorus H. E. II, 4. disserens de epistolis Jacobi, Judae, II. Petri, II. et III. Joannis, scribit: „Sed enim libri illi, tametsi controversi ab antiquis sint habiti, postea tamen in omnibus, quae sub coelo sunt, ecclesiis auctoritatem sacrosanctam et irrefragabilem obtinuerunt, et tamquam principia et elementa pietatis nostrae sempiterna permanserunt.“

257. Ceterum **4.** usque ad seculum tertium nullum apparet dubium vel controversiae vestigium de libris deuterocanonicis V. T., imo satis liquet tum ex Origene († a. 253 vel 254) ep. ad Julium africanum, tum ex Justino († c. a. 167) [1]), christianos alium quam hebraeos [2]), qui tunc libros tantum protocanonicos admittebant, habuisse canonem. Primam occasionem controversiae praebuisse videtur Origenis recensio et comparatio Scripturarum ut erant in ecclesiastica editione cum textu hebraico. Cum enim in hoc deessent libri deuterocanonici, de eorum canonicitate dubitandi occasio aliquibus praebebatur [3]). Quod vero quidam dubitaverint sec. III. et IV. de aliquot libris deuterocanonicis N. T., mirum esse non debet, tum quod aliqui ex illis, cum admodum sint breves atque ad personas tantum singulares directi, frequenter citari non potuerint [4]), ideoque etiam minus facile in omnium notitiam pervenerint; tum quod haeretici nonnullis abuterentur [5]). Hisce tamen dubiis non obstantibus et horum librorum usus in Ecclesia perseveravit, et ipsa dubia tempore procedente paulatim dissipata sunt, maxime in Occidente, universalique consensioni locum dederunt. Si vero aliqui scriptores etiam media aetate ante solemne concilii tridentini judicium libros illos extra canonem numerare videantur [6]), ii vel sola loquendi ratione a communi doctrina dissentire sunt dicendi, vel certis quibusdam vetustioris alicujus doctoris (Hieronymi praesertim) sententiis plus aequo permoti vel singulares fuisse censendi sunt. Hinc **5.** satis clare cernitur triplex stadium (n. 218), quod distingui potest in explicatione dogmatis de Scripturarum canone: simplicis scil. fidei et susceptionis librorum in usu et praxi Ecclesiae usque ad initia sec. IV; ortae deinde haesitationis et stadium inquisitionis penes doctores, praesertim in Ecclesia

---

[1]) Dial. cum Tryph. n. 71. ss.

[2]) Hebraeos scil. posteriores intellige; nam haud improbabile est judaeos vetustiores sec. II. ante Christum saltem alexandrinos eo ipso, quod versione alexandrina uterentur, libros etiam deuterocanonicos V. T. habuisse pro inspiratis et canonicis. Cf. Kaulen l. c.; Cornely introd. in V. T. libros s. c. 2. § 3. n. 25 ss. Plures quoque protestantes censent, alium fuisse judaeorum alexandrinorum canonem scil. ampliorem canone hierosolymitano.

[3]) Cf. Franzelin th. 10., qui de canone erudite disputat atque haec pluribus evolvit et comprobat. Et revera dubia de quorundam librorum V. T. canonicitate coaeva sunt cum editione recensionis origenianae, quae mox facta est admodum celebris.

[4]) Mirari potius debemus, graviores non fuisse controversias circa quasdam N. T. epistolas.

[5]) Ita Philastrius haer. 89. al. 61. testatur, legi Pauli »tredecim epistolas et ad Hebraeos interdum . . . quia factum Christum dicit in ea, inde non legitur; de poenitentia autem propter novatianos aeque.«

[6]) Ita ex. gr. Hugo a s. Victore de Scripturis c. 6 et 12; de sacr. prol. c. 7; erud. didascalicae l. 4. c. 2. Nonnulli quoque vel de quibusdam libris protocanonicis haesitanter loquuntur, de quibus olim nulla fuit controversia. Quae dubia non fuisse seria, sed forte tantum de verbis, patet inde, quod inter scholae theologos nulla mota fuerit controversia vel exceptio contra canonem florentinum, et in concilio tridentino nulla sit seria prolata difficultas, licet magna haberetur ibidem ratio dissensionum inter scholae theologos.

graeca sec. IV. et V., quae paulatim praelucente jugi Ecclesiae usu et accedentibus decretis conciliorum Africae, rom. pontificum Innocentii I. et Gelasii, conquievit desiitque in universalem consensionem, non ita tamen, quin media quoque aetate prioris controversiae vestigia remanerent. Sequitur denique solemne Ecclesiae judicium, quo omnis controversia terminatur excluditurque penitus inter catholicos dissensio. Quae omnia **6.** non novae revelationis necessitatem ad canonem tridentinum constituendum, ut Ecclesiae calumniantur hostes, demonstrant, sed potius evincunt infallibilitatis Ecclesiae in depositi custodia necessitatem.

258. *De ep. ad Hebraeos.* — Succedit difficultas contra epistolam ad Hebraeos et apocalypsim, quam verbis s. Hieronymi ep. 119. ad Dardanum (a. 414) n. 3. proponemus. „Illud, inquit, nostris dicendum est, hanc epistolam, quae ad Hebraeos inscribitur, non solum ab ecclesiis orientalibus, sed ab omnibus retro ecclesiasticis graeci sermonis scriptoribus quasi Pauli apostoli suscipi, licet plerique eam vel Barnabae vel Clementis arbitrentur et nihil interesse, cujus sit, cum ecclesiastici viri sit et quotidie ecclesiarum lectione celebretur. Quod si epistolam ad Hebraeos latinorum consuetudo inter canonicas Scripturas non recipit, nec graecorum quidem ecclesiae apocalypsim Joannis eadem libertate suscipiunt, et tamen nos utramque suscipimus, non hujus temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes.“ Verum praeter dicta, quibus etiam haec difficultas satis soluta censeri potest, advertimus quoad epistolam ad Hebraeos, hanc latinorum consuetudinem fuisse paucorum et novam, cum **1.** s. doctor ipse ibidem testetur, hanc epistolam „quotidie ecclesiarum lectione celebrari,“ seque veterum scriptorum sequi in ea suscipienda auctoritatem[1]); cum **2.** haec s. Hieronymus potius permittendo et transmittendo asserat quam ut certum asseveret; cum **3.** ejusmodi scriptores, saltem latini, non reperiantur; imo haec epistola ante Hieronymum († a. 420) et ejus aetate vel citetur ut Scriptura sacra vel inter Scripturas sacras recenseatur, e. g. a conciliis hipponensi (a. 393) et carthaginensi III. (a. 397), a Mario Victorino († post a. 361), Hilario pictaviensi († a. 367 vel 368), Lucifero calaritano († a. 371), Faustino (fl. c. a. 384), Philastrio († c. a. 387), Paciano († 392), Ambrosio († 397), Rufino († 410), Gaudentio († c. a. 410), Innocentio I. († 417), Augustino († 430) etc. Quod si tamen nonnulli de ea dubitaverint, horum plerique non tam de auctoritate quam de scriptore ejusdem, utrum nempe is fuerit Paulus, an aliquis alius, quaestionem movisse videntur[2]).

---

[1]) In epist. ad Tit. 2, 2. (a. 387) scribit: „Relege ad Hebraeos epistolam Pauli ap. sive cujuscunque alterius eam esse putas, quia jam inter ecclesiasticas est recepta.“ Ceterum de ea scribit etiam Maximus M. in dial. de Trin. l. 4. n. 5: „Ex quo annunciatum est Evangelium Christi, creditum est hanc epistolam Pauli esse, et ea connumerata omnes epistolae Pauli sunt numero quatuordecim.“

[2]) De qua quaestione ita scribit ipse Hieronymus de viris illustr. c. 5: „Epistola autem quae fertur ad Hebraeos, non ejus creditur propter stili sermonisque dissonantiam, sed vel Barnabae juxta Tertullianum (de pudic. c. 20), vel Lucae evangelistae juxta quosdam (cf. Eusebium H. E. l. 3. c. 38); vel Clementis romanae postea ecclesiae episcopi (ita Clemens alexandrinus apud

259. *De Apocalypsi.* — Restringi etiam debet, quod s. Hieronymus de ecclesiarum graecarum consuetudine relate ad apocalypsim affirmat. Etsi enim aliquot patres post Eusebium († c. a. 338) apocalypsim recensuerint inter ἀντιλεγομένους, et ex rationibus polemicis ab ejus usu abstinuerint: patres tamen vetustissimi a tempore quo conscripta fuit usque ad sec. III. labens illam numerant inter ss. Scripturas, nullumque dubium motum est usque ad Origenis tempora, imo nonnulli ut Melito (fl. c. a. 170) et Hippolytus († circa medium sec. III.) commentariis illam illustrarunt, et Origenes apud Eusebium[1]) eam recenset inter Scripturas ὁμολογουμένας. Orto tandem dubio in Oriente, non solum non praevaluit sententia opposita, sed patres ex diversis ecclesiis gravissimi in eadem cum suis antecessoribus sententia perstiterunt.

260. **Scholion. II.** *Jahni opinio.* — Nulla veri specie cum Jahn[2]) aliisque auctoribus[3]) defendere licet, discrimen inter libros deuterocanonicos et protocanonicos decreto tridentino non esse sublatum: saltem si eo sensu hoc affirmetur, quo etiam post illud decretum censeri possit, librorum deuterocanonicorum minorem esse auctoritatem quam protocanonicorum. Id enim adversatur **1.** disertis decreti verbis, quibus synodus testatur, se pari pietatis affectu ac reverentia suscipere et venerari omnes libros tam N. quam V. T. (utique illos, quos dein recenset, inter quos sunt omnes deuterocanonici), cum utriusque Testamenti unus sit auctor Deus. Adversatur **2.** ipsi librorum connumerationi; neque enim seorsim deuterocanonici, seorsim protocanonici libri numerantur, sed promiscue. Adversatur **3.** clausulae decreti: „Si quis autem libros ipsos (utique recensitos, inter quos sunt omnes deuterocanonici) integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina habentur, pro sacris et canonicis non susceperit . . . A. S.« Adversatur **4.** scopo in ipso decreto expresso, qui est, ut „omnes intelligant, quibus potissimum testimoniis ac praesidiis in confirmandis dogmatibus et instaurandis in Ecclesia moribus (s. synodus) sit usura.« Adversatur denique **5.** iis, quae Pallavicini[4]) et Sarpi[5]) narrant occasione hujus decreti. Uterque enim sua narratione confirmat, revera hujus decreti scopum fuisse, ut constitutis veluti fundamentis et fontibus revelationis, tutius dein doctrina catholica quoad praecipua dogmata proponeretur.

Eusebium H. E. l. 6. c. 4., cf. etiam Philastrium haeres. 88), quem ajunt ipsi adjunctum sententias Pauli proprio ordinasse et ornasse sermone; vel certe quia Paulus scribebat ad Hebraeos, et propter invidiam sui apud eos nominis, titulum in principio salutationis amputaverit.« Cf. Perrone c. 1. propos. 1.

[1]) Cf. etiam ib. III, 25.

[2]) Introd. in V. T. l. 1. § 30.

[3]) Ita Dobmayer syst. theol. cath. t. 4. append. § 24. affirmat: »Sunt theologi probe catholici, qui discrimen inter libros proto- et deuterocanonicos hodiedum valere teneant.« Cf. Welte Tüb. Qtlschr. 1839 p. 225 ss.

[4]) Hist. conc. trid. l. 6. c. 11.

[5]) L. 2. pag. 149 s.

Caput III.

De authentia Vulgatae.

261. **Thesis XXXVI.** ***Eodem jure, quo concilium tridentinum librorum sacrorum canonem constituere potuit, versionem vulgatam authenticam declaravit.***

Declaratio. Quae de inspiratione statuimus, valent in primis de codicibus originalibus. Cum autem hisce non amplius fruamur, sed apographis tantum seu exemplaribus inde descriptis, neque hisce utamur in textu originali, sed in alias atque alias linguas versis: merito quaeritur, utrum tuto aliqua saltem uti possimus versione, quae fideliter exhibeat exemplar originale, adeo ut eadem s. Scripturae auctoritas ipsi competat, quae codici primitivo et originali. Itaque delabimur sponte, imo necessario ad quaestionem de authentia versionis vulgatae, qua Ecclesia catholica occidentalis utitur. Porro ut haec notio rite declaretur quaedam sunt praemittenda.

Nomen αὐθέντης significat apud scriptores graecos eum, qui potestatem, auctoritatem habet, proinde obedientiam sive voluntatis sive etiam intellectus i. e. fidem sibi conciliare potest. In jure transfertur ad scripta et instrumenta praesertim publica, quae authentica dicuntur, si per se indubitatam et legitimam auctoritatem faciunt, nec alterius probatione indigent. Jam vero quaeri primum potest de auctoritate ipsi instrumento αὐτογράφῳ a sua origine inhaerente seu de authentia originali, quae pendet ab auctoritate ipsius auctoris. Potest deinde quaeri, authentia originali supposita, de authentia exemplarium apographorum aut versionum, quam dicere possumus αὐθεντίαν conformitatis, seu authentiam communicatam apographis et versionibus ratione conformitatis earundem cum exemplari originali. De authentia originali s. Scripturae jam egimus ostendentes eam esse divinam, cum Deus sit Scripturarum auctor. Modo ergo agemus de authentia conformitatis, cum Ecclesia saltem latina utatur tantum exemplaribus s. Scripturae apographis iisque in linguam latinam conversis. Authentia autem conformitatis est vel interna redundans ex ipso facto conspirationis cum textu primitivo authentico, vel externa, quae est haec ipsa conformitas cum textu originali, sed manifestata et cognita; quae manifestatio potest esse duplex, aut publica per declarationem sive expressam sive aequivalentem ab ipsa auctoritate societatis factam, aut privata ope demonstrationis parta, quo in casu authentia vocari etiam potest critica, eaque sola protestantes, rejecta magisterii ecclesiastici auctoritate, uti possunt.

262. **Demonstratio.** Ecclesiae ex munere a Christo injuncto docendi omnes gentes jus est et officium proponendi et tradendi verbum Dei scriptum illudque in concreto i. e. determinatam aliquam editionem. Quod quidem ex dictis certum est, et vel ipsi protestantes concedere debent, cum secundum ipsos Scriptura unicus sit fons (n. 152),

unde omnes haurire debeant Christi doctrinam, neque sacri codices ad singulos coelitus deferantur. Atqui Ecclesia hoc munus obire nequit, nisi aliquam editionem seu recensionem aut versionem tamquam genuinam Scripturam sacram ac proinde textui primitivo conformem designandi, vel talem efficiendi jus habeat, praesertim si multae inter se et a textu primigenio dissonae circumferantur. Ergo Ecclesia jure atque potestate gaudet versionem aliquam declarandi authenticam. Praeterea nisi Ecclesia aliquam versionem posset declarare authenticam, nunquam tuto sciret, an revera habeat verbum Dei; nunquam efficaciter hortari posset auditores ad legendam s. Scripturam (quod tamen secundum protestantes praecipuum est ipsius officium) propter dubium de authentia, quae per se non est evidens. Quare nisi affirmare velimus s. Scripturam periisse pro fidelibus vel saltem latere tamquam thesaurum inaccessum, hoc jus Ecclesiae est vindicandum.

263. Ut autem Ecclesia ex versionibus pluribus unam praeferat, exigit ejus unitas; si enim promiscue adhibere possent Scripturae versiones quaecunque, facile orirentur dissensiones et dubia de ipsa s. Scriptura. Ejusmodi vero declarationem tempore concilii non solum admodum opportunam fuisse, sed et plane necessariam, vel exinde patet, quod praeter multiplices vulgatae correctiones propria editorum auctoritate factas prodierint ab a. 1515—1550. saltem editiones 181 variarum versionum sive integrae Scripturae sive partium ejusdem; ad quas accedit Erasmi versio, cujus N. T. saltem biscenties quinquagies fuit editum. Ratio autem quare concilium tridentinum merito provocare potuerit ad usum universalem tot seculorum tamquam ad criterium pro dignoscenda authentia conformitatis Vulgatae cum textu primigenio, petitur ex perpetua assistentia Spiritus s. Ecclesiae in docendo et proponendo verbo Dei promissa. Neque enim Spiritus s. permittere potuit, ut Ecclesia per novem secula uteretur verbo humano pro divino, quod contigisset, si Vulgata fuisset a textu originali difformis [1]).

264. Ut clare definiatur quid de Vulgatae authentia sit tenendum, quasdam statuemus propositiones.

Propositio I. *Vulgatae*[2]) *authentia non fuit declarata comparate*

---

[1]) Cf. Franzelin th. 18; Bellarminus de verbo Dei l. 2. c. 10 ss.; Becanus de tit. calvin. tit. 1. q. 5; Perrone c. 4. prop. 1; Scheeben, § 20; Mazzella de virt. infusis disp. 4. a. 6.

[2]) Editionis seu versionis *vulgatae* nomine intelligimus illam versionem, quae quoad V. T. maxima ex parte ad textus originales adornata fuit a s. Hieronymo; reliquos vero libros secundum versionem tempore s. Hieronymi jam adhibitam complectitur, sed hos quoque, si paucos excipias, secundum emendationem et

ad textus originales [1]), prouti modo supersunt, *sed comparate ad versiones latinas,* quae eo tempore circumferebantur, ut patet ex ipsis decreti verbis, quod ita habet (sess. 4.): „Insuper eadem sacrosancta synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat: statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot seculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat vel praesumat.“ Proinde hoc decreto textui originali sive hebraico sive graeco authentia sublata non est, sed ea manet talis, qualis fuit ante concilium tridentinum; neque unquam prohibitus fuit illius usus privatus, ut ex ipsa agendi ratione catholicorum satis liquet.

265. **Propositio II.** Decreto tridentino *vulgata non declaratur gradu summo authentica,* scil. quoad omnia etiam minima et ad fidem moresque

---

recensionem ipsius Hieronymi. Quae editio, quia gradatim ubique adhibita fuit, vulgatae nomen meruit.

[1]) Quid ergo de horum authentia dicendum? Textus hebraicus usque ad Christum certe erat authenticus; cum autem ab eo tempore Ecclesia illo amplius non sit usa, cumque pro authentia conformitatis codicum, quos modo possidemus, cum codicibus originalibus formale et disertum non habeamus Ecclesiae testimonium, authentiam scientificam et privatam textus ille habere potest, non vero publicam. Ceterum practice Ecclesia eam sec. XVI. supposuit, cum illo usa sit in correctione Vulgatae. Et quamvis forte a sec. V. post Christum nulla facta fuerit in eo mutatio, non tam facile admitti debent, quae nonnulli de absoluta hujus textus immutabilitate affirmant, nam cum lapsu seculorum mutationes saltem aliquas subiisse et menda in eum irrepsisse probari potest. Cf. Kaulen sect. 4; Cornely, qui l. c. diss. 2. s. 1. c. 1. n. 101. hanc statuit thesim: »Immerito judaeos corruptae Scripturae accusari, textumque hebraicum ea puritate non carere, qua authenticus revelationis fons constituitur.« Versio alexandrina censeri debet authentica, tum propter usum apostolorum et primitivae Ecclesiae, quae vel immediate vel mediate (per versiones inde derivatas) ea usa est, tum propter usum Ecclesiae graecae cum Ecclesia romana unitae, quae tranquille semper mansit in ejus possessione, tum propter solemnem Sixti V. declarationem, qua versionem illam ad emendatissimos codices exactam solemniter approbavit. Cf. Cornely l. c. n. 135. Textus vero originalis graecus N. T. prout adhibetur in Ecclesia graeca unita Ecclesiae romanae, pollet saltem indirecte authentia publica (propter usum solemnem in illa ecclesia vigentem); eamque Ecclesia romana supposuit, cum ejus ratio haberetur in emendatione vulgatae: ea tamen deficit ab authentia Vulgatae, tum quia solemniter declarata non est, tum quia Ecclesia graeca textum non adeo fixum habet. Versio itala authentica fuit usque ad sec. VI., sed cum deficiente usu Ecclesiae penitus in oblivionem venerit, stante decreto pro authentia editionis vulgatae, authentiam quoad fragmenta, quae supersunt, privatam et scientificam habere poterit.

per se non spectantia textui originali conformis, quod tenendum est contra aliquot theologos hispanos antiquiores, qui vulgatae authentiam nimis exaggerarunt. Sane assertio nostra colligitur **1.** ex definitionis fundamento, quod fuit Ecclesiae usus, ex quo inferri quidem potest authentia in rebus fidei et morum et in ceteris quoad substantiam, ad quae docenda utitur Ecclesia Scripturis: nullatenus vero summa conformitas etiam quoad ea, quae fidem moresque non attingunt, et quae Ecclesia fidelibus credenda non proponit. Probatur **2.** ex scopo decreti, qui fuit, ut nobis constaret de fontium sinceritate, ex quibus depromuntur testimonia ad confirmanda dogmata et instaurandos in Ecclesia mores; quem ad finem nihil pertinent minutiora quaedam, cujusmodi sunt certa quaedam nomina personarum, regionum, animalium, plantarum; numeri annorum, individuorum etc. Probatur **3.** ex adjunctis declarationis. Sane concilium eam editionem vulgatam declaravit authenticam, qua tunc Ecclesia utebatur. Atqui simul agnovit[1]) hanc ipsam indigere emendatione eamque emendandi negotium romano pontifici commendavit. Ergo non intendit concilium summam vulgatae cum textu originali conformitatem declarare. Probatur **4.** ex testimonio gravissimorum theologorum, quorum plures interfuerunt concilio, ut Salmeronis, Didaci Paiva de Andrada etc.[2]). Deinde **5.** absoluta conformitas defendi nequit, quin multa miracula sine testibus admittantur, scil. s. Hieronymum omnium emendatissimos habuisse codices, in codices versionis seculorum lapsu amanuensium negligentia nunquam irrepsisse menda etc. Quid, quod **6.** vulgatae editio post diligentissimam correctionem jussu rom. pontificum institutam, post tot labores a doctissimis emendatoribus exantlatos „adhuc nunc nondum sit omnibus numeris absoluta," quod aliqua quae mutanda videbantur consulto in ea fuerint relicta immutata[3]), ut legimus in praefatione editioni Clementinae praemissa?

266. **Propositio III.** *Quare vulgata eo sensu est authentica, ut negative quidem nullus error perniciosus ex ea sequatur: positive vero ut sit conformis Scripturis originalibus in iis, quae ex sese ad fidem morumque regulam spectant et quibus historiae et prophetiae summa continetur.* Si enim vulgata hac authentia careret, authentica simpliciter non esset; neque ulla esset versionis s. Scripturae utilitas, si ei tuto

---

[1]) Fatente Vercellone in solis duobus libris Samuel 54 reperiuntur interpolationes, e quibus Sixtus V. novem, alias quatuordecim Clemens VIII. correxit, ac proinde 31 adhuc supersunt.

[2]) Ille op. I, 24 s. hic def. conc. trid. l. 4. f. 247 ss. Cf. Bellarminus in op. posthumo ed. a Zacharia in proleg. ad t. 1. Ticini 1795; Mariana de edit. Vulgata c. 21; Hodius de ant. bibl. vers. p. 2. l. 3. c. 15, qui ultra 80 catholicorum theologorum conspirantes sententias describit.

[3]) Ideo autem quaedam mutata non fuere, ne **a.** populus offenderetur; quia **b.** concilium noluit ut adornaretur nova versio, sed tantum ut editio vulgata pristinae redderetur puritati; **c.** quia praesumi poterat, Hieronymum bonos habuisse codices beneque vertisse etiam ibi, ubi secundum codices modo exstantes error esse videtur.

fidere non possemus in iis, quae ad fidem moresque spectant. Quod ut distinctius explicemus, ita cum em. card. Franzelin (th. 19) vulgatae authentiam declaramus: **1.** dogma, quod expressum exstat in editione vulgata, non deerat in textu originali. Hoc ergo sensu admitti nequit diversitas negativa discrepantiae[1]). Concedere tamen **2.** liceret, illaeso decreto tridentino, deesse posse in vulgata textum dogmaticum, qui fuerit in texto primitivo. **3.** In nullo textu dogmatico vulgatae aliud dogma est expressum quam in textu primitivo[2]), proinde nulla exstat diversitas positiva discrepantiae realis; concedi tamen **4.** potest discrepantia modalis, ut scil. dogma in vulgata non eodem modo sit expressum, quo in textu originali[3]). Multo

---

[1]) Quaestio hic moveri posset, utrum esset contra sensum decreti tridentini affirmare ex. gr. locum celebrem et certe dogmaticum 1. Joan. 5, 7: *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum et Spiritus s., et hi tres unum sunt,* non exstare in textu originali. Sunt qui affirment, quia Vulgata declarata est authentica quoad omnes libros cum omnibus partibus suis, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt. Atqui textum adeo dogmaticum ambitu partium contineri contendunt (cf. Franzelin de trinitate th. 4). Sunt tamen qui negent innixi silentio constanti patrum, si paucos excipias, qui textum hunc plane ignorasse videntur, codicibus quam plurimis, in quibus ille deest etc. Ideo autem censent insertione hujus textus non genuini non laedi vulgatae authentiam, quod doctrina eo enunciata aequivalenter aliis in locis contineatur: hinc nil in ea enunciari, quod non sit in codice originali; ideoque non adesse difformitatem quoad doctrinam fidei: nec obesse decretum trid., quod partes declaravit authenticas „prout in Ecclesia catholica legi consueverunt" et „in vetere vulgata habentur." Atqui hic textus non consueverat legi in Ecclesia catholica, deest quoque in plus quam 50 cod. vulgatae, etiam antiquissimis. Quare vix credibile patres tridentinos suo decreto voluisse textum critice adeo dubium declarare authenticum. Cf. Cornely l. c. n. 176 et Introd. spec. in N. T. n. 231, ubi candide expositis argumentis pro utraque sententia, controversiam non audet dirimere.

[2]) Ita versio vulgata Gen. 3, 15: *Ipsa* (mulier) *conteret caput tuum,* non adversatur dogmati de redemptione generis humani in textu originali expresso verbis: *Ipse* (semen mulieris) *conteret caput tuum.* Nam in textu originali clarius proponitur Redemptor, obscurius pars, quam ejus mater in redemptione esset habitura, quae in vulgata clarius significatur, non tamen seclusa causa principe.

[3]) Ita in vulgata Job. 14, 4. clarius est expressum dogma de peccato originali; 19, 25. s. dogma de identitate carnis resuscitandae; et Ps. 109, 3. dogma de aeterna Filii generatione, quam in textu primitivo, saltem prouti nunc legitur, quamvis haec dogmata satis sint significata etiam in textu originali. Concedi quoque potest, interpretem textum sensum ampliorem vel minus determinatum prae se ferentem versione sua restrinxisse vel magis determinasse (huc forte pertinent Is. 11, 10. et Hab. 3, 18.); vel quae in autographo directe de Messiae regno, et indirecte tantum de ejus persona intelligenda sunt, in versione directe ad ejus personam referri et indirecte de ejus regno intelligi.

minus vero **5.** admitti potest diversitas contradictionis inter textum originalem et vulgatam, adeo ut in texto dogmatico originali affirmetur aliquid, quod in versione negetur vel vicissim[1]).

267. Quod si **6.** aliqua ejusmodi diversitas occurrat, adhibitis scientiae praesidiis demonstrari semper poterit, lectionem textus genuinam eam esse, quae sensu a vulgata non discordet. Dato etiam **7.** ope criticae hanc diversitatem non posse conciliari, praesumptio staret pro vulgata[2]), non solum ex ratione theologica scil. specialis Dei providentiae, sed etiam quod Hieronymus meliores vetustioresque habuerit codices quam nos, et quod codices lingua originali conscripti longe facilius potuerint corrumpi, quam versiones, quae usu quotidiano in ecclesiis frequentantur. Non obstante **8.** vulgatae authentia textus originalis plurimum confert et adhibendus sane est ab exegetis, etiam in testimoniis dogmaticis, ad ipsorum vim et genuinum sensum assequendum et illustrandum. In rebus **9.** quae ad fidem moresque non spectant, vulgata tantam habet authentiam scientificam, quanta competit versioni tam antiquae, accuratae, celebri, a tam erudito doctoque viro confectae, qualis fuit Hieronymus[3]).

268. Si autem quaeritur, quaenam sint illa, quae ex se spectent ad fidem vel mores, vel quibus historiae et prophetiae summa contineatur, in quibus vulgatae authentiam vindicamus: respondemus, ea plerumque facillime posse discerni; si vero quandoque id dubium

---

[1]) Huc spectat 1. Cor. 15, 51., ubi legimus in vulgata: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur,* quod plane contrarium videtur textui originali, qui habet: *Non omnes dormiemus, sed omnes immutabimur.* Sed pugna est tantum in verbis, non in ipsa re. Nam in vulgata affirmatur universalitas resurrectionis in genere, et negatur universalitas resurrectionis gloriosae seu immutationis in statum gloriosum. In textu autem originali negatur universalitas non mortis, sed status habitualis mortis, et affirmatur universalitas resurrectionis seu immutationis e statu mortalitatis in statum immortalitatis, quae quidem aliqua ratione diversa sunt, sed non contraria.

[2]) Plures protestantes vere eruditi magni faciunt vulgatam. Ita ex. gr. Michaelis (in suo supplem. ad lex. hebraicum pag. 992 et bibl. orient. t. XXI. n. 311): „Praeiverat Vulgata male deinceps ab aliis neglecta, cum sit versionum una omnium praestantissima . . . Ipsi enim auditores mei tam protestantes quam pontificii facile recordantur, quantopere ego Vulgatae usum tum criticum, tum exegeticum commendem, ejusque contemptum vituperem.“ Cf. aliorum testimonia apud Brunati in diss. bibl. III. p. 73 ss. Mediolani 1838; Czuppon, vindiciae vulg. lat. edit. t. 1. p. 33. 89. Imo Themius in suis ad II. Samuelis comment. textum hebraicum secundum Vulgatam emendat. Cf. Kaulen s. 7, 10.

[3]) Merito enim Sixtus V. in constit. suae edit. praemissa ita statuit: „Quicunque igitur tanti interpretis sanctitatem, ingenium, eruditionem, solertiam, magistros, labores, illud in quo vixit seculum, cum linguarum omnium ac praesertim hebraeae studia florerent, diligenter spectaverint; facile judicium damnabunt eorum, qui aut tam eximii doctoris lucubrationibus non aequiescunt, aut etiam meliora seu paria praestare se posse confidunt.“

videtur, rem ex fontibus theologicis, ex patrum consensu, ex concordi interpretationis catholicae testimonio, vel ex declaratione, si qua exstet, Ecclesiae esse dijudicandam.

Caput IV.

De habitu inter sacram Scripturam et Ecclesiam sive docentem sive discentem.

269. Quae *ad habitum inter s. Scripturam et Ecclesiam* spectant, ad quaedam capita revocabimus. Opportunum autem erit **1.** prae oculis habere, quod prudenter advertit Stapleton[1]), cavendum nobis esse ab adversariorum fraude, qui ut facilius huic quaestioni offundant tenebras, Scripturam semper considerant simpliciter ut verbum Dei, et Ecclesiam ut meram hominum collectionem; cum tamen Scriptura sit verbum Dei scriptum, quod non immediate singulis a Deo proponitur, sed de quo quaeritur, in quibus reperiatur libris, versione etc.; Ecclesia vero docens sit auctoritas divinitus instituta infallibilitatis praerogativa instructa, quaeque regatur a Spiritu s., qui eam in omnem ducit veritatem. Jam vero **2.** si Scriptura s. et Ecclesia in se spectentur, ratione scil. eorum quae docent, ejusdem sunt auctoritatis. Nam illa est verbum Dei scriptum, Ecclesia vero docens est vox loquentis Dei, quae certe ejusdem sunt auctoritatis; hinc illud Christi: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (Matth. 18, 17). At vero **3.** quoad nos prior est Ecclesiae auctoritas, nam Scriptura s. omnem quoad nos certitudinem ab Ecclesia accipit (cf. n. 202 ss.). Qua de re egregie disserit Stapleton, qui ad haec illustranda aptis usus similitudinibus c. 17. subjungit: „Ea, quae Ecclesia docet absque Scriptura, certiora sunt iis, quae Scriptura docet absque Ecclesia; quia hic testimonium quidem auditur, sed fortasse ab impostore aliquo prolatum aut ab ignorante verborum sensum male explicatum: ibi vero testis ipse loquitur, qui a Spiritu veritatis in omnem veritatem inductus nec falli potest nec fallere, qui etiam viva voce docens, mentem suam clarius explicat et certius.“

270. *Scripturae obscuritas.* — Accedit **4.** praeter hunc dependentiae habitum, vi cujus auctoritas Scripturae in ordine cognitionis quoad nos (non vero in se) pendet ab Ecclesiae auctoritate, alius quidam habitus ortus ex s. Scripturae obscuritate, quam quidem protestantes etiam contra omnem experientiam acriter negare pergunt. Ex hac enim obscuritate enascitur necessitas interpretis, cujus munus alii profecto tribui nequit quam Ecclesiae, cui ipsum concreditum fuit revelationis

---

[1]) In demonstr. method. princ. fidei doctr. l. 12. c. 15.

depositum. Quare profitemur in prof. fidei trid.: „Item s. Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet s. mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione s. Scripturarum, admitto, nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum patrum accipiam et interpretabor (cf. n. 180 ss.).“ Scripturam autem revera saepe in iis, quae ad fidem et mores spectant, esse obscuram vel saltem non ita perspicuam, ut interprete non egeat, ita est manifestum, ut mirum sit, id velle revocare in dubium. Id enim probare possumus tum ex ipsis divinis literis patrumque testimoniis, tum ex ipsorum protestantium confessionibus, nec non ex ipsa rei natura i. e. ex fidei objectis, quae sive modum spectes, quae proponuntur, sive naturam eorundem, rationis captum maximam partem excedunt ideoque necessario obscura intellectuque difficilia sunt. Quibus omissis ad factum XVIII seculorum, nominatim ad ipsam protestantium experientiam, qui de singulorum fere Scripturae incisorum sensu digladiantur, provocare sufficiat (cf. n. 165 s.). Causae autem obscuritatis praeter mysteria sunt: vaticinia, locutiones figuratae et allegoriae apud nos minus usitatae, typi, hebraismi, apparentes contradictiones, repentini transitus de sensu literali ad translatum, de uno objecto ad aliud ex. gr. de primo adventu Christi ad alterum, de Christo secundum unam naturam ad ipsum secundum alteram, de typo ad antitypum, disserendi ratio nimis concisa, unde sententiarum nexus pervius non est etc.

271. Cujus obscuritatis patres[1]) praeclaras reddunt rationes, scil. **a.** voluisse eam Deum, ut homo haberet, in quo utiliter exerceretur atque laboraret[2]); eandem relictam esse **b.** „ad intellectum a fastidio revocandum, cui facile investigata vilescunt,“ ut ait Augustinus[3]); **c.** „ad edomandam, ut ib. scribit, labore superbiam;“ **d.** pro honore ipsarum Scripturarum, quibus obscuritas auctoritatem quandam conciliat; quod **e.** Deus

---

[1]) Patrum testimonia a Bonfrerio c. 9. s. 2. in 20 classes distributa videri possunt. Cf. Bellarminus l. 3. c. 1 ss.; Perrone c. 3; Mazzella a. 5., et in primis Becanus summae theol. p. 2. t. 2. tr. 1. c. 3. q. 8., qui bene varias causas obscuritatis enumerat.

[2]) Ita auctor commentarii in Isaiam (inter opera s. Basilii) praef. n. 6. inter alia dicit: „Quemadmodum opifex noster in his (rebus naturalibus) commoditates vitae nobis haud invidens omnia una nobiscum similiter ac brutis produci ac procreari non permisit, sed velut ingenii exercitium rerum necessariarum inopiam nobis excogitavit; itidem et in Scripturis data opera voluit esse obscuritatem ad mentis nostrae utilitatem, vim ipsius ac virtutem excitans. Primum quidem ut his occupata a deterioribus avocetur. Deinde quod quae labore parta sunt, ea nescio quo pacto magis amantur, quaeque longo tempore contingunt, constantius permanent. Porro quae facile parantur, his non perinde avide fruimur.“

[3]) De doctr. chr. l. 2. c. 6; de cat. rud. c. 9.

alios vellet in Ecclesia magistros, alios esse discipulos. Potiora ex patribus complexus est Bonaventura in praef. Breviloquii § 5: „Ideo sub cortice literae apertae occultatur mystica et profunda intelligentia ad comprimendum superbiam, ut ipsius profunditate in humilitate literae latente et superbi comprimantur, et immundi repellantur, et fraudulenti declinentur, et negligentes excitentur ad intelligentiam mysteriorum. Et quia auditor doctrinae istius non est unius generis, sed cujuslibet, omnes enim salvandos oportet aliqua de doctrina hac scire, ideo ipsa multiformem habet intelligentiam, ut sic omnem intellectum capiat et omni intellectui condescendat, omnem intellectum superexcedat et omnem intellectum sibi diligenter intendentem multitudine radiositatis suae illuminet pariter et accendat.« Quae vero adversarii ex Scripturis vel patribus corradunt pro omnimoda Scripturae claritate, vel **a.** non agunt de Scriptura qua late patet; vel **b.** de Scripturis intelligi debent, postquam intellectae sunt, quo sensu omnis veritas est lux; vel **c.** de Scripturis objective spectatis, quo sensu iterum omnis veritas etiam superrationalis, quatenus est intelligibilis, est lux, et Deus est ipsa lux, quamvis nobis verissimo quodam sensu *inaccessibilis* (1. Tim. 6, 16); vel **d.** referuntur ad fideles jam plene fidei notitia imbutos atque pendentes ab ore magisterii ecclesiastici, cujus est Scripturas interpretari. Ceterum **e.** qualicunque polleant claritate, non propterea teste ipsa experientia sequitur, eas ita esse comparatas et claras, ut nullo indigeant interprete, nam haeretici non obstantibus testimoniis vel clarissimis in contrarium suos effutierunt errores.

272. Hinc **5.** jam liquet, quinam sit *habitus Scripturam inter et Ecclesiam discentem.* Liquet scil. eum esse mediatum, non immediatum. Fideles nimirum ab Ecclesia accipere Scripturas, illius authentico testimonio edocti earum inspirationem discere, et ab ipsa authenticam interpretationem petere debent; non vero (via saltem ordinaria) ex Scripturis cognoscere Ecclesiam, et independenter ab ea integrum inde eruere symbolum. Neque propterea constituimus Ecclesiam supra verbum Dei, ut inscite objici solet: sed dicimus, Ecclesiam dirigi verbo Dei in credendo, itaque esse sub verbo Dei; et eandem genuinum Dei verbum infallibiliter agnoscere ejusque sensum intelligere et singulis credendum proponere; atque ita esse non supra verbum Dei, sed supra privatam fallibilemque singulorum intelligentiam. Pollet proinde judicio tantum discretionis, non superioritatis, quo possit Scripturam corrigere, damnare etc.

273. *De s. Scripturae lectione.* — Cum ergo **6.** Scripturae **a.** ita clarae non sint, ut interprete non egeant; cum eaedem **b.** organum divinitus institutum ad propagandam fidem et in singulos derivandam non sint (th. XXIII); cum **c.** earum intelligentia ab Ecclesia sit petenda, adeoque omnes fideles ab ore Ecclesiae pendere debeant; cum **d.** nullibi exstet praeceptum sive divinum sive apostolicum, quo fideles omnes etiam rudes sub periculo amittendae salutis obstringantur ad ss.

Scripturarum lectionem; cum denique c. fidelibus multiplici alia ratione consuli possit, ut potiora, quae divinis literis continentur, cognoscant: manifestum est, juris et potestatis, necnon muneris Ecclesiae esse, lectionem ss. Scripturarum, quod fideles spectat, moderari et etiam, si id exigant temporum locorumque adjuncta, restringere. Quo jure usa est merito Ecclesia sec. XVI. Cum enim hujus temporis haeretici[1]) passim Scripturas in linguas vernaculas verterent, et in vertendo subinde etiam perverterent addendo, subtrahendo, immutando pro lubitu, ut eas ad sua dogmata traherent: cum eo tempore pruritus invaserit omnes, rudes quoque et imperitos, disputandi de fide, Scripturas secundum proprias opiniones interpretandi: Ecclesia nonnisi inepte et imperite arguitur, quod pro munere suo in utilitatem fidelium prohibuerit non lectionem vulgatae latinae, sed Scripturae in lingua vernacula, eamque non absolute, sed cum congrua restrictione[2]). Multo etiam minus Ecclesia argui potest, quod concilium tridentinum sess. 5. c. 1. de reform. alia ratione providerit, ut fideles omnem illum percipiant fructum, quem ex lectione s. Scripturae percepissent, quinimo uberiorem etiam sine ullius damni periculo referant. Merito proinde damnatae fuerunt propositiones Quesnelli 79—85, ex quibus ex. gr. 81. ita sonat: „Obscuritas sancti verbi Dei non est laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione;“ 85: „Interdicere christianis lectionem s. Scripturae, praesertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis, et facere, ut patiantur speciem quandam excommunicationis.“

---

[1]) Pro more eorum solito, quem egregie describunt Tertullianus de praescript. n. 17. et Vincentius lir. commonit. c. 15. s. opusc. IX.

[2]) Ex decreto s. congregationis Indicis 13. Jun. 1757: „Si hujusmodi Bibliorum versiones vulgari lingua fuerint ab apostolica sede approbatae aut editae cum annotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiae patribus vel ex doctis catholicisque viris, conceduntur.“ Ceterum ab inventione typographiae usque ad Lutherum i. e. circiter 70 annorum spatio prodierunt 800 sacrae Scripturae editiones sive totales sive partiales, et c. 200 editiones in linguis vernaculis (e quibus saltem 18 lingua germanica, cf. Lit. Handweiser 1882. c. 166; Jostes die Waldenser und die vorluth. Bibelübersetzungen, Monasterii 1885), eo scil. tempore, quo Ecclesia ubique dominabatur. Proinde non Ecclesia fidelibus subtrahit s. Scripturas, sed haeretici cogunt Ecclesiam, ut in permittenda fidelibus earum lectione sit cauta, ne fideles pro verbo Dei legant editiones ab haereticis plus minus immutatas, et illorum licentia seducti pro lubitu illas interpretentur. Cf. Perrone cap. 5; Scheeben § 19.

Tractatus III.

De Ecclesia Christi.

274. *Disputationis cum praecedentibus nexus.* — Demonstrata revelationis divinae exsistentia ostensisque canalibus, per quos ad omnium seculorum generationes eadem decurrit, accuratius jam indagemus in naturam atque indolem illius instituti et societatis a Christo conditae, cui ipse revelationis depositum custodiendum atque in alios derivandum commisit, et in qua non solum auditur revelatio, sed eadem veluti vivit atque incarnatur. Obiter quidem illius instituti atque societatis, quae Ecclesia nuncupari solet, in praecedenti disputatione fecimus mentionem, sed modo data opera secundum omnes illius proprietates ac praerogativas est de ea disserendum. Has tibi jam in antecessum adumbrabimus, ut nobili Ecclesiae idea imbutus ad ipsam accedas disputationem.

275. *Ecclesiae praestantia.* — Si ergo quaeras **1.** quid sit Ecclesia, universa tibi antiquitas christiana respondebit, eam esse scholam et regnum veritatis atque lucis, in quo veritas unice dominatur agendi vivendique est norma, et cui opponitur regnum tenebrarum; regnum Christi, mundum supernaturaliter transformatum per divinam doctrinam, legem et gratiam[1]); sponsam, imo et corpus Christi, templum s. Spiritus[2]). Si inquiris **2.** in ejus destinationem, scias illam eandem esse, quae fuit Christi, qui est *via, veritas* et *vita* (Joan. 14, 6); ipsa

---

[1]) Cf. Franzelin de Ecclesia th. 17.

[2]) Augustinus in Enchir. n. 56: „Rectus itaque confessionis ordo poscebat, ut Trinitati subjungeretur Ecclesia tamquam habitatori domus sua et Deo templum suum et conditori civitas sua.“ Vocatur autem Ecclesia templum s. Spiritus, ut significetur **a.** ejus praestantia prae quolibet alio instituto et societate; **b.** finis, qui est Dei cultus; **c.** sanctitas propter specialem s. Spiritus praesentiam in ea; idcirco **d.** gratiarum abundantia, qua in bonum membrorum suorum abundat; et quod **e.** reis omnibus ad eam confugientibus tutissimum asylum praestet.

enim ducit ad Christum, docet nos quae unigenitus Dei Filius carofactus enarravit (Joan. 1, 18), communicat nobis vitam Christi, unde et mater nostra dicitur. Ipsa etiam de se dicere potest illa Isaiae verba (Is. 61, 1. 2), quibus Christi describitur missio Luc. 4, 18: *Spiritus Domini super me; propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, praedicare captivis remissionem et coecis visum, dimittere confractos in remissionem, praedicare annum Domini acceptum et diem retributionis.* Si autem **3.** sponsa est Christi, quae erunt ejus dotes? Plane insignes, quales decent tantum sponsum scil. **a.** incorruptibilitas in vivendo i. e. perennitas immota; **b.** infallibilitas in docendo; **c.** gratiarum abundantia ad sanctificandum[1]). Quod si **4.** sollicitus es de ejus ornatu, adverte, alium esse internum, qui consistit in s. Spiritus charismatibus, omnigena membrorum virtute et sanctitate, nam *omnis gloria ejus filiae regis ab intus, in fimbriis* tamen *aureis, circumamicta varietatibus* (Ps. 44, 14), quibus et aliquis ornatus externus designatur, qui consistit in populorum quos complectitur numero, in catholicitate. Ecclesiae virtus **5.** solem aemulatur, nam ut sol **a.** illuminando dissipat errorum ignorantiaeque tenebras; **b.** calefaciendo solvit peccatorum vitiorumque glaciem, liquefacit dura hominum corda atque ad omnem accendit virtutem; **c.** fecundat gratia, ut fidelium coetus hortus exsistat floridus, lilia virginum, martyrum rosas, poenitentium violas etc. germinans (n. 124 s.). Vita denique **6.** Ecclesiae licet sit pugnax, victrix tamen est et expressa ad normam nobilissimam, ad vitam ipsius Christi[2]).

276. *Ecclesia in V. T. praefigurata et praedicta.* — Quocirca praeclarissima sunt, quae apud veteres passim de Ecclesia leguntur; illam multipliciter adumbratam et praefiguratam vident in vetere Testamento. Ab illa indigesta mundi materia verbo Dei et ineffabili virtute s. Spiritus, qui ferebatur super aquas (Gen. 1, 2), ad speciosissimum ordinem redacta, quidquid deinceps per singulos V. T. libros illustrius factum gestumque reperitur, ad Ecclesiam transferunt, de Ecclesia interpretantur.

Ita in opificio sex dierum, in formatione Evae, de qua Augustinus tr. 9. in Joan. n. 10: „Dormit Adam, ut Eva fiat; moritur Christus, ut fiat Ecclesia. Dormienti Adae fit Eva de latere, mortuo Christo lancea percutitur latus, ut profluant sacramenta quibus formetur Ecclesia ... cui non appareat, quia in illis tunc factis futura figurata sunt?“ Et

---

[1]) Irenaeus l. 3. c. 24. n. 1: „Ubi Ecclesia, ibi et Spiritus Dei, et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia et omnis gratia.“

[2]) Cf. praeclaram Ecclesiae descriptionem apud Epiphanium exposit. fid. n. 2; Cassiodorium praef. in Psalt. c. 17; P. Damianum s. 69.

Hieronymus in Ephes. 5, 31: „Quomodo de Adam et uxore ejus omne hominum nascitur genus, sic de Christo et Ecclesia omnis credentium multitudo generata est, quae unum Ecclesiae corpus effecta rursum in latere Christi ponitur et costae locum replet.« In paradiso, de qua comparatione cf. praeter alios Anastasium sinaitam[1]) contempl. in Hexaëmeron l. 7; in arca Noë et domo Rahab[2]), in variis patriarcharum uxoribus, de quibus ingeniose et pie disserunt Augustinus contra Faustum l. 22. et Cyrillus alex. Glaphyrorum in Genesim II, 3. 4., aliisque famosis mulieribus V. T.; in vellere Gedeonis, in civitate Jerusalem etc.; cf. Bruno astensis sentent. l. 1. prol. et c. 1. ss. Alios typos complectitur s. Martinus legionensis serm. 4. in nat. Domini n. 22: „Sancta Ecclesia ab initio mundi figuris et aenigmatibus fuit praeostensa, videlicet in Adae costa, in Abel justitia, in fide Abrahae, in sterili Sara, in constructione tabernaculi, in aedificatione templi, in auditione et confessione reginae Austri et in multis aliis fuit praefigurata.« Neque mirum, quod Ecclesiam invenerint ubique adumbratam, praefiguratam atque praedictam; est enim ipsa eximium ss. Trinitatis opus, sanguinis pretiosissimi Christi fructus, atque ut singulari Tertulliani phrasi de resurrect. carnis c. 9. utamur, ingenii ipsius cura ac singulare manuum suarum opus: ipsius regnum, sponsa, imo et corpus. Cum ergo finis legis sit Christus (Rom. 10, 4) universumque V. T. Christum portendat, Christum loquatur: mirum esse non debet, quod post Christum princeps prophetiae objectum ejus sit regnum, ejus sponsa atque corpus ipsius mysticum i. e. Ecclesia. Hinc Augustinus de gestis collat. carthag. die 3. n. 101: „Nos, inquit, eam Ecclesiam retinemus, quam in illis Scripturis invenimus, in quibus etiam cognovimus Christum. Scripturae quidem nostrae . . . Christum et Ecclesiam tamquam sanctum commendant conjugium: Christum sponsum, illam sponsam. Ubi illum cognoscimus, ibi et illam invenire debemus.« Idem in Ps. 56. n. 1: „Quia ergo totus Christus caput est et corpus ejus, propterea in omnibus psalmis sic audiamus voces capitis, ut audiamus et voces corporis. Noluit enim loqui separatim, quia noluit esse separatus dicens: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi* (Math. 28, 20);« et in Ps. 147. n. 16: „Quis numerat testimonia de Ecclesia toto terrarum orbe diffusa? Quis numerat? Non sunt tot haereses contra Ecclesiam, quot sunt testimonia legis pro Ecclesia. Quae pagina non hoc sonat? Quis versus hoc non loquitur? etc.« Atque iterum t. 1. contra ep. Parmen. n. 1: „Tichonius, inquit, omnibus sacrarum paginarum vocibus circumtusus evigilavit et vidit Ecclesiam Dei toto orbe diffusam.« Et enar. 2. serm. 2. in Ps. 30. n. 8: „Obscurius dixerunt prophetae de Christo, quam de Ecclesia; puto propterea, quia videbant in spiritu contra Ecclesiam homines facturos esse particulas et de Christo non tantam litem habituros, de Ecclesia magnas contentiones excitaturos. Ideo illud, unde majores lites futurae erant, planius praedictum et apertius prophetatum est, ut ad judicium illis valeat, qui viderunt et foras fugerunt[3]).«

---

[1]) Cf. opusc. XXVII, 2. annot. [2]) Cf. diss. nostra opusc. III.

[3]) Gemina habet n. 9. et l. 3. c. Cresconium n. 72. s. Vaticinia V. T. de Ecclesia collecta reperies in Katholik 1880. II, 477 ss.; Selbst Die Kirche J. Chr. nach den Weissagungen, Moguntiae 1885

276[a]. *Analogia inter Ecclesiam et Christum.* — In primis vero Ecclesiae praestantia colligitur ex mira quae inter ipsam et Christum ejusdem caput intercedit analogia. Sicut enim **1.** Christus caput conceptus est ex intemerata Virgine, quam obumbravit Spiritus s.; ita nata est Ecclesia die Pentecostes descendente eodem Spiritu de coelo (Act. 2, 1 ss.), nasciturque quotidie in suis membris ex utero virginali fontis baptismalis et Spiritu sancto[1]). Sicut **2.** ille vagiit in praesepio, fugit in Aegyptum, vitam degit diu humilem: ita et Ecclesia diu gemuit in cryptis, proscripta fuit atque humilis admodum erat conditionis. Sicut Christus pertransiit benefaciendo et sanando omnes, ita et Ecclesia per secula, nationes regionesque benefaciendo pertransit (n. 313). Sicut **3.** illum oportebat per multas passiones intrare in regnum suum (Luc. 24, 26), ita Ecclesia quamdiu degit in terris, est militans ac nonnisi per multas tribulationes ad triumphum perveniet sempiternum. Sicut **4.** ille *positus est in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum, cui contradicetur* (Luc. 2, 34), ita et Ecclesia (n. 308). Ille **5.** divinis refulsit dotibus, haec coelestibus ornatur praerogativis. In illo **6.** secerni debet natura duplex, licet unus sit persona: unde errant sive qui negant naturam divinam, ut ebionitae, sociniani etc., sive qui infitiantur humanam, ut docetae, sive qui unionem dissolvunt, ut nestoriani etc.; ita in una Ecclesia duplex secerni debet, non dividi, elementum humanum et divinum, adeo ut errent sive qui eam revocant ad merum institutum humanum subtracto quovis charactere supernaturali, sive qui negant ejus visibilitatem excludendo ab ea omnes peccatores omnesque eos, qui in gratia non perseverant, sive qui illam scindunt in duas ecclesias, vocatorum alteram et visibilem, justorum alteram et invisibilem. Sicut **7.** non licet negare Christi divinitatem propter miserias et passiones, quibus ut homo erat obnoxius, adeo ut aliquamdiu careret omni specie atque decore, essetque despectus et novissimus virorum, vir dolorum (Is. 53, 2 s.): ita propter humanas miserias atque fragilitates, quibus Ecclesiae membra semper plus minusve erunt obnoxia, quamdiu in hac lacrimarum valle peregrinantur et corpus portant, quod aggravat animam (Sap. 9, 15), non licet ejus praerogativas supernaturales in dubium vocare. Sicut **8.** operationes Christi erant theandricae: ita et functiones operationesque Ecclesiae geminum prae se ferunt elementum: speciem enim prae se ferunt humanam, sed virtute sanctificatrice informantur, ut maxime cernere licet in sacramentis[2]). Patet

---

[1]) Cf. Patrum effata opusc. t. X. p. 92. annot., quibus adde Augustinum enchiridii n. 34. (opusc. t. XVI); de virgin. n. 2; Fulgentium de incarn. et gratia c. 20. n. 40; Chrysologum s. 117. et Caesarium arelatensem hom. 3., qui ita scribit: „Conferamus, si placet, has duas matres (Mariam et Ecclesiam), et utriusque generatio fidem nostram in alterutra corroborabit. Mariam secreto implevit illapsu s. Spiritus obumbratio, et Ecclesiam in fonte benedicto sancti Spiritus maritavit infusio. Maria filium sine peccato genuit, et Ecclesia in his, quos generavit, peccata consumpsit. Per Mariam natum est quod in principio erat, per Ecclesiam renatum quod in principio perierat. Illa plurimis generavit, haec populos. Illa ut novimus virgo permanens semel peperit filium, haec semper parit per virginem sponsum.«

[2]) Cf. Franzelin th. XIX; Möhler Symbolik § 34.

igitur momentum hujus disputationis; nam ut scribit Augustinus de unit. Eccl. n. 49: »Ad ipsam salutem et vitam aeternam nemo pervenit, nisi qui habet caput Christum; habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in ejus corpore fuerit, quod est Ecclesia.«

277. *Ecclesiae notio.* — Ecclesiae nomen derivatur e voce graeca ἐκκαλέω evoco, unde ἔκκλησις evocatio, ἐκκλησία, quod convocatione prodit, coetus, conventus. Unde per se ecclesiae nomen designare potest quemlibet coetum etiam ad malum finem congregatum (Act. 19, 32). In nostra vero disputatione Ecclesiae nomen nunc pressius, nunc laxius accipitur. „Potest, inquit Valentia[1]), Ecclesia describi latius, ut sit eorum multitudo, quos beneficio vocationis divinae verus Dei cultus et vera Dei cognitio indita divinitus quomodocunque conjungit.“ Qua notione accipitur, cum Ecclesia distinguitur in triumphantem, patientem, militantem. „Alio modo definitur Ecclesia angustius, ut sit hominum multitudo, quos verus Dei cultus veraque cognitio, sed obscura, nimirum fidei, hac in vita conjungit partim secundum se conjunctione interna, partim secundum sui protestationem externa conjunctione.“ Hac notione accipitur, cum Ecclesiae adnumerantur etiam fideles V. T. „Postremo pressius definitur Ecclesia, ut sit hominum multitudo, quam in hac vita verus Dei cultus et vera cognitio fidei, non qualiscunque sed christianae et in sacramento baptismi susceptae conjungit conjunctione partim tum externa, tum interna . . . partim conjunctione externa tantum.“ Seu usu loquendi maxime proprio, cujus auctor est Christus (Matth. 16, 18: *Aedificabo Ecclesiam meam*) significat coetum eum, quem Christus vocatione sua ad omnes gentes per ministerium apostolicum a se institutum directa ex illis congregavit, coetum vere fidelium, qui propterea passim in N. T. dicuntur *vocati.* Homines enim in primis debent vocationi coelesti gratiaeque divinae quod sint fideles spectentque ad Ecclesiam. Hoc sensu Ecclesia clarius definitur a Bellarmino[2]): „Coetus hominum unius et ejusdem fidei christianae professione et eorundem sacramentorum communione conjunctus sub regimine legitimorum pastorum ac praecipue romani pontificis;“ vel brevius a Palmieri[3]): „Regnum Christi in terris auctoritate apostolica regendum.“ Per synecdochen Ecclesia vocatur vel aedes sacra, templum complectens fidelium coetum (qua tamen acceptione nunquam videtur hoc nomen accipi in N. T., ne 1. Cor. 11, 22. quidem), vel elementum veluti formale coetum ad unitatem revocans, Ecclesiae pastores, praesules, qui constituunt Ecclesiam docentem (Matth. 18, 17); vel elementum magis materiale, simplices fideles,

[1]) In 2. 2. d. 1. p. 7. 9. 4. § 14. [2]) De Ecclesia l. 3. c. 1.
[3]) De rom. pont. proleg. § 9. Cf. Franzelin de Eccl. Chr. th. 1. 2.

oves quae constituunt Ecclesiam discentem. Prouti autem consideratur vel coetus fidelium universus, vel coetus aliquis partialis, pars tamen totius coetus, sermo erit vel de Ecclesia universali vel particulari.

278. *Disputationis partitio.* — Ecclesia ut regnum vel societas constat membris et regimine, cujus apex et caput est romanus pontifex. Quocirca disputationem in duas dividemus partes, in quarum priori de Ecclesia generatim disseremus, in altera speciatim ejus caput considerabimus. Ut vero objecti alicujus exsistentis notionem assequamur perfectam, quatuor quaestionibus satisfaciendum est: scil. an sit, quid et quale sit, et quomodo agnoscatur dignoscaturque ab aliis. Quare et de Christi Ecclesia haec inquirenda sunt. Porro hisce quaestionibus respondebimus quatuor capitibus, scil. de Ecclesiae exsistentia, essentia, proprietatibus et notis.

PARS I.

DE ECCLESIA CHRISTI GENERATIM.

Caput I.

De Ecclesiae exsistentia.

279. Quatuor de Ecclesiae Christi exsistentia quaeri possunt: **1.** utrum aliquando exstiterit ac proinde instituta fuerit; **2.** utrum modo pergat exsistere; **3.** utrum ita pergat exsistere, ut praecedentis explicatio merito haberi possit; et utrum **4.** jugiter atque ad finem seculi usque sit exstitura. Ut primae quaestioni respondeamus, sit

Thesis XXXVII. ***Christus Ecclesiam instituit ita ut sit societas.***

Demonstratio p. I. Factum institutionis Ecclesiae per Christum adeo est evidens, ut ab iis tantum negari potuerit, qui omnem evangeliis denegant fidem. **1.** Solemniter enim **a.** promisit Christus [1]: *Aedificabo Ecclesiam meam,* omniaqua **b.** praestitit, ut p. II. videbimus, quae ad tantum opus requiruntur. Ideo etiam **c.** apostoli in omnibus suis epistolis Ecclesiam ex judaeis et gentibus ab ipsis collectam Christi esse dicunt, qui *dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii in aedificationem corporis Christi* [2]. Accedit **2.** suffragium universae Ecclesiae a remotissima antiquitate, quae nunquam alium agnovit sui auctorem praeter J. Christum. Cui testimonio per se jam omni exceptione majori accedit suffragium ipsorum judaeorum, gentilium et haereticorum. Confirmatur illud prae-

---

[1]) Matth. 16, 18. [2]) Eph. 4, 11 s.

terea **3.** ex eo, quod ante Christum nullius Ecclesiae mentio fiat, ejusque exsistentia coincidat cum fatis Christi ejusque discipulorum, quos ad omnes gentes docendas sibique subjiciendas misit[1]). Quare nisi testimoniis evidentioribus vis invicta suffragii totius antiquitatis elidatur et auctor alius Ecclesiae christianae demonstretur, absurde negatur institutio Ecclesiae per Christum. Ceterum quaecunque fere diximus de divina Christi missione tr. I. sect. 2. c. 1., hanc assertionem confirmant.

280. **Demonstratio p. II.** Haud aegre concedent Ecclesiae adversarii, Christum esse auctorem novae religionis, novae doctrinae novique cultus, cujus professione visibili vel invisibili ejus asseclae quadamtenus saltem et in spiritu uniantur: sed praefracte negant plures ex rationalistarum[2]) libertinorumque grege, Christum voluisse, ut discipuli sui in unam coalescerent societatem, seu societatem veri nominis eamque perfectam constituerent. Atqui tenendum est secundum doctrinam catholicam, Ecclesiam a Christo Domino institutam veram esse societatem atque „voluisse Redemptorem nostrum religionem suam ita societati a se institutae inhaerentem, ut cum ea penitus conserta ac velut concreta maneret, et extra illam vera Christi religio nulla esset[3]).“ Demonstrationem hujus asserti in praesenti tantum adumbrabimus, cum ejusdem elementa in ipso disputationis progressu fusius evolvamus et confirmemus, atque ea, quatenus accuratam societatis notionem spectat, a juris canonici peritis data opera instituatur. Sane **1.** Ecclesia a prima sua origine, quoadusque illam persequi licet, formam habuit socialem sub certo regimine seu ministerio, quod episcopis, presbyteris, diaconis coalesceret. Atqui hujus formae institutionem

---

[1]) Quapropter in schemate constit. dogmaticae de Ecclesia Christi patribus concilii vaticani proposito cap. 2. dicitur: »Hanc Ecclesiam, quam acquisivit sanguine suo et tamquam sponsam unice electam aeternum dilexit, auctor fidei et consummator Jesus ipse fundavit atque instituit.« Cf. Palmieri de rom. pontifice proleg. § 2 s.; Cercià de Ecclesia sect. 1. lect. 3. 4; Reinerding theol. fundam. tr. 1. p. 2. s. 1. c. 3. a. 1; Mazzella de relig. et Ecclesia disp. 3. a. 3.

[2]) Cf. Hettinger die Krisis des Christenth. § 4.

[3]) In eodem schemate c. 2; ibidem quoque proponuntur duo canones; **1.** »Si quis dixerit, Christi religionem in nulla peculiari societate ab ipso Christo fundata exstantem et expressam esse, sed a singulis seorsum, non habita ratione ad ullam societatem, quae vera ipsius Ecclesia sit, rite observari et excoli posse, A. S. **2.** Si quis dixerit, Ecclesiam a Christo Domino nullam certam ac immutabilem constitutionis formam accepisse, sed aeque ac reliquas hominum societates, pro temporum diversitate vicissitudinibus et transformationibus subjectam fuisse aut subjici posse, A. S.« Cf. Stimmen aus Maria Laach 1878. I, 358 ss.

christiana antiquitas nulli unquam, non alicui patri, non episcoporum consensui, non concilio adscripsit, sed ipsi auctori suo Christo. Ergo si societati et quidem tali de se testanti est credendum, ipse qui auctor fuit religionis, auctor credi debet et formae socialis, in qua illa concreta semper reperitur. Quare **2.** Ecclesia a Christo ipso iis nominibus designatur, quae societatis notionem prae se ferunt[1]). Exhibetur enim passim ab ipso ut regnum, ovile, vinea, civitas: quorum nominum eo major est probandi vis, quod simul significatur Ecclesiam illud fore regnum a Messia instituendum, ovile ab ipso colligendum, vineam ab eo plantandam, quae antitypi instar successura sit regno, ovili, vineae typicae, quae erat synagoga, cui certe competebat forma socialis.

281. Et revera **3.** Christus omnia ea praestitit in condenda Ecclesia, quae requiruntur ad formam socialem. Non enim solum docuit doctrinam plane coelestem tradiditque praecepta sanctissima, sed instituit quoque pro potestate sibi data in coelo et in terra ministerium, a quo homines doctrinam a se allatam accipiant atque discant, magisterium et regimen in hominum salutem, idque tanta auctoritate praeditum, ut qui illud spernant, ipsum spernant[2]); quod credentes ritu visibili in numerum suorum discipulorum adlegere debeat; cui omnes ita obsequi teneantur, ut qui illud non audiant, habendi sint ut ethnici et publicani i. e. extorres a salute[3]); quod praeditum clavibus regni coelorum ligare atque solvere, necnon et praecipere possit[4]); cujus sit pascere agnos et oves ipsius, regere Ecclesiam Dei[5]); adeo ut coetus fidelium unum sit ovile unumque corpus. Atqui ubi plurium habetur collectio sub uno magisterio, ministerio et regimine, cui omnes subesse debent, adeo ut unum prodeat ovile, unum corpus, idemque omnium sit finis, ibi est veri nominis societas. Tribuit ergo Christus ipsa ministerii authentici institutione Ecclesiae suae formam socialem. Verum Christus voluit ut Ecclesia esset non qualiscunque societas, sed societas perfecta. Quam Ecclesiae proprietatem infra opportunius demonstrabimus, postquam de ejus egerimus fine; nam societatis indoles et perfectio quam maxime pendet ab ejusdem fine.

281[a]. **Corollarium.** *Quando Ecclesia coeperit.* — Unde solvitur quaestio, quo sensu Ecclesia exstiterit a mundi origine et quo sensu Christus Ecclesiam instituerit. Si enim Ecclesiae nomine (laxiori significatione) intelligitur coetus seu multitudo divinitus vocatorum, qui vera fide Deum

---

[1]) Cf. Luc. 1, 31 ss.; Joan. 10, 10 ss.; Matth. 21, 33 ss. etc. Cf. de hoc argumento Franzelin de Ecclesia th. VII.

[2]) Luc. 10, 16; cf. th. XLVIII ss. [3]) Matth. 18, 17.

[4]) Ib. 16, 19; Act. 15, 41. [5]) Jo. 21, 15 ss,; Act. 20, 28.

colunt, ea semper exstitit. Quatenus vero Christus praeter ampliorem notitiam fidei coetui fidelium indidit perfectam rationem supernaturalis societatis, instituendo hierarchiam qua idem regeretur et infallibiliter doceretur, et sacramenta, quibus illius membra sanctificarentur, et quidem ita ut deinceps homines eatenus ipsi mediatori et capiti adhaererent, quatenus hierarchiae ab ipso institutae adunarentur et subjicerentur, auctor Ecclesiae et Ecclesia ab ipso originem ducere dici debet. Quod si quaeritur, quando Christus Ecclesiam instituerit, respondemus, tunc cum visibilis in terris cum apostolis versabatur. Tunc enim consilium de condenda Ecclesia expressit, operarios conduxit et ad consilium exsequendum emisit, leges fundamentales promulgavit, homines ad illam amplectendam obligavit. Quod si sicut in homine distinguimus inter conceptionis et nativitatis tempus, illud tempus Ecclesiae conceptioni seu praeparationi, dies Pentecostes ejusdem nativitati assignare licebit. Et sicut homo conceptus nondum separatur a matre, ita tunc Ecclesia concipiebatur et praeparabatur intra sinum synagogae. Falsum porro est, quod adversarii contendunt, apostolos nullos a synagoga distinctos coetus instituisse, quod scil. primi fideles convenerint cum judaeis in templum servaverintque ritus adhuc judaicos. Nam primos christianos in coetum a synagoga prorsus distinctum convenisse est evidens ex Actis 2, 42. 46; 4, 32. 34; 5, 12. 13. etc.; et profecto illi fideles in rebus fidei et sacramentis non amplius pendebant a sacerdotibus judaicis, sed prorsus a magisterio et ministerio apostolico. Quod si servarunt adhuc ritus mosaicos, quorum alioquin obligatio exspiraverat cum morte Christi, id ex quadam oeconomia divina permissum erat, ut synagoga, quae etiam erat institutionis divinae et typus Ecclesiae, cum honore sepeliretur. Deinceps facti sunt hi ritus, a morte Christi jam mortui, etiam mortiferi, si quis illis se obstrinxisset. Falsum quoque est, persecutiones primum coëgisse fideles a judaeis e suis coetibus ejectos ut in coetum aliquem convenirent. Persecutionibus id unum tribui potest, ut separatio, quae jam exsistebat, patentior redderetur et periculum commixtionis efficacius excluderetur.

282. **Thesis XXXVIII.** ***Ecclesia, quam Christus instituit, perennis est atque ad finem usque mundi duratura.***

Declaratio. Demonstrata Ecclesiae institutione et exsistentia, necessarium non erit data opera ad quaestionem secundam et tertiam n. 278. propositam respondere. Utrique abunde satisfactum erit, si probaverimus Ecclesiae perennitatem. Porro Ecclesiae perennitas, i. e. nunquam interrupta si substantiam spectes ad finem usque mundi continuatio, non asseritur contra protestantes, qui quamdiu praescinditur a quaestione, utrum Ecclesia necessario sit visibilis, eam ultro admittunt: sed in primis contra socinianos, qui docent: **1.** Ecclesiam posse deficere, neque **2.** Deum decrevisse perennem Ecclesiae exsistentiam, imo **3.** ne potuisse quidem Deum hanc decernere, nisi voluerit vim inferre humano arbitrio[1]).

---

[1]) Haec exceptio nullius est momenti. Nam Deus incolumi manente ho-

Statuitur haec thesis etiam contra anabaptistas, qui excluso quovis externo doctorum ministerio totos se internis divini Spiritus revelationibus ac inspirationibus permittunt, atque novum et verum Christi regnum praestolantur; contra quakeros, qui pariter se committunt interiori Spiritus lumini ab eoque exspectant plenam perfectamque Verbi, »cujus semen cuique divinitus inditum« dicunt, institutionem; contra swedenborgianos, secundum quos 19. Jun. 1770 incepit Ecclesia nova eaque perfectissima et omnium postrema quaeque vere spiritualis sit; contra irvingianos, qui credunt novam effusionem s. Spiritus ad unam, catholicam et apostolicam Ecclesiam fundandam et usque ad finem seculi conservandam illamque primum factam esse dicunt a. 1830 et deinceps porro continuatam esse juxta Joel 2, 28; contra mormones qui, cum 6. Apr. 1830 effusionem s. Spiritus accepissent, fundarunt ecclesiam J. Christi sanctorum ultimi diei sive ultimae mundi periodi. Quo pariter spectat secta, quae se coetum *populi Dei* appellat, cujus auctor quidam verbi minister würtembergensis, comminiscens accepisse se Spiritum s., qui denuo in filios Dei effusus fuerit, fundandum in Palaestina pro ultimis mundi temporibus novum Dei regnum sive ecclesiam Spiritus s. praedicavit. Quibus ex parte saltem revocantur profligata olim veterum haereticorum deliria, gnosticorum[1]), montanistarum[2]), manichaeorum[3]), massalianorum sive messalianorum vel euchitarum[4]), Almarici ejusque asseclarum, profitentium evangelium aeternum, catharorum, beguardorum et beguinarum, contra quos constitutionem edidit Joannes XXII. a. 1318. Est etiam contra figmentum trium ecclesiarum, petrinae (catholicae), paulinae (protestantium) et joanneae (adhuc futurae), quod tuentur recentiores quidam ut Fichte, Schelling, Lassaulx, Döllinger[5]) etc.

283. **Demonstratio.** Contra hos ergo tenendum est, Ecclesiam Christi esse perennem, non tantum facto et contingenter, sed necessario: non quasi id sequeretur ex rei natura, sed consequenter ad voluntatem Christi, qui decreto efficaci et hominum vel daemonis malitia infrustrabili voluit suae Ecclesiae perennitatem. Adumbratur autem

---

minis libertate, ita gratia sua hominum inflectere potest corda, ut semper futuri sint, qui libere velint nomen suum dare Ecclesiae et »ideo fuit de istis certa praedictio, quia et Deus etiam futuras praevidet voluntates,« ut advertit Augustinus ad eandem difficultatem a donatistis propositam de unit. Ecclesiae n. 23. (opusc. XXVII, 172) respondens.

[1]) Cf. Irenaeus l. 3. c. 2; Tertullianus de praescr. c. 23.

[2]) Cf. Tertullianus de vel. virgin. l. 1.

[3]) Cf. Augustinus contra Faustum XXXII, 1.

[4]) Cf. Theodoresus H. E. IV, 11.

[5]) Contra hoc figmentum egregie disserit Wieser Die Döllinger'sche Dreikirchenidee, Oeniponti 1875. In schemate constit. dogm. de Eccl. Christi patribus conc. vat. proposito proponuntur duo canones: 7. »Si quis dixerit, eandem Christi Ecclesiam posse offundi tenebris aut infici malis, quibus a salutari fidei morumque veritate aberret, ab originali sua institutione deviet aut depravata et corrupta tandem desinat esse, A. S.« Alterum (8) cf. supra n. 213 annot.

haec Ecclesiae praerogativa **1.** parabola boni seminis crescentis et fructificantis in agro una cum zizaniis *usque ad messem* i. e. consummationem seculi [1]), qua parabola Christus adumbrat fata Ecclesiae ideoque significat ejus ad seculi usque finem durationem. Ea **2.** sequitur ex praerogativa, qua Ecclesia passim dicitur corpus Christi (n. 296 ss.), regnum Christi. Merito autem Ecclesia vocatur regnum Christi, cum sit coetus eorum, qui legem Christi amplectuntur et sequuntur, qui ei se subjiciunt: coetus proinde, in quo dominatur, in quo actuatur ejus religio. Atqui regnum Christi praedictum est [2]) perenne non solum ratione habita futuri seculi, sed et praesentis, cum hac praerogativa exhibeatur praecellere reliqua hujus mundi regna; nec unquam corpus Christi universum divelletur a suo capite, praesertim si ratio habeatur illius curae, qua Christus Ecclesiam prosequitur et fovet: *nemo enim,* inquit Paulus Eph. 5, 29, *unquam carnem suam odio habuit: sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam.* Nunquam ergo deficiet Ecclesia. Confirmatur eadem veritas **3.** comparatione novi foederis cum vetere, Ecclesiae cum synagoga. Ita enim confertur et praefertur Ecclesia synagogae, ut significetur **a.** novum foedus non fore abrogandum, ut abrogatum fuit vetus [3]); verum **b.** illud fore perenne, aeternum, immobile. Hinc Paulus citatis verbis Aggaei 2, 7. ita prosequitur Hebr. 12, 27: *Quod autem ‚adhuc' semel dicit, declarat mobilium* (veteris testamenti) *translationem tamquam factorum, ut maneant ea quae sunt immobilia. Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam* etc. Is. 54, 10: *Montes enim commovebuntur et colles contremiscent: misericordia autem mea non recedet a te et foedus pacis meae non movebitur, dixit miserator tuus Dominus.* Praedicitur **c.** novum foedus tamdiu duraturum, quamdiu leges naturae sint mansurae. *Si defecerint leges istae* (naturales, quas recensuerat v. praecedenti) *coram me, dicit Dominus: tunc et semen Israel* (quo designantur membra N. T., cujus hic evidenter fit mentio) *deficiet, ut non sit gens coram me cunctis diebus,* Jerem. 31, 36. Hanc vero **d.** Ecclesiae perennitatem declarat inde esse repetendam, quod Deus legem suam cordibus inscribat fidelium, et faciat, ut in suis ambulent praeceptis [4]). Ergo Ecclesiae perennitas

---

[1]) Matth. 13, 24 ss. coll. 37 ss.

[2]) *Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis,* Luc. 1, 32. *Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus,* 1. Cor. 15, 25; Dan. 2, 44; 7, 13. 14. 27; Is. 9, 7; Jer. 23, 5; Ezech. 34, 22 s.; Ps. 88, 36 ss.

[3]) Jer. 31, 31 ss.; Ez. 37, 24 ss.; Hebr. 8, 6 ss.; cf. n. 105.

[4]) Ez. 11, 19 s.; 36, 26.

solemniter praedicta et promissa fuit. Unde evertitur primarium adversariorum fundamentum, quo Ecclesiae indefectibilitatem impugnant. Arguunt enim adversus eam, quod etiam synagoga defecerit. Atqui nullam esse paritatem inter Ecclesiam et synagogam, in primis quod firmitatem attinet, patet ex dictis [1]). Accedit **4.** expressa Christi promissio [2]): *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Atqui praevalerent adversus Ecclesiam, si ea vel semel a Christo deficeret, cum inimicus humanae naturae nil magis satagat, quam ut diffuso errore et peccato homines Christi sanguine redemptos ab ipsorum avertat Salvatore. Quare Alexander alex. apud Theodoretum scribit [3]): „Unam et solam catholicam et apostolicam Ecclesiam confitemur, inexpugnabilem semper, etsi totus mundus eam oppugnare instituat, victricemque omnis impiae diversa sentientis rebellionis.“ Pariter Christus solemniter suam et s. Spiritus assistentiam perennem Ecclesiae promisit docenti ad consummationem usque seculi [4]), quae jugis assistentia supponit perennem Ecclesiae existentiam. Et Paulus dum hortatur mulieres, ut viris suis subjectae sint *sicut Ecclesia subjecta est Christo* (Eph. 5, 24), supponit Ecclesiam nunquam a Christo esse defecturam.

284. Succedit **5.** luculentum patrum suffragium. Omnium nomine audiantur Hieronymus et Augustinus. Quorum ille ita suum in Amos commentarium absolvit: „Ex quo intelligimus, Ecclesiam usque ad finem

---

[1]) Cf. Bossuet instruct. pastor. sur les promesses de l' Eglise II. § 17 ss., Becanum opusc. t. 4. opusc. 4. de comparatione Ecclesiae et synagogae.

[2]) Matth. 16, 18., de quo textu quaeri possunt **1.** ad quod subjectum referendum sit pronomen *eam.* Referri potest ad subjectum proximum *Ecclesiam,* ad remotius *petram,* et ad utrumque, quod videtur praeferendum; adeo ut sit sensus: Portae inferi non praevalebunt adversus Ecclesiam, *quia* fundata est supra petram. Exhibet enim Christus se hic tamquam architectum; atqui de architecti sapientis domo dixerat (ib. 7, 24), idcirco eam orta tempestate non corruisse, *quia fundata erat supra petram.* Quaeritur **2.** quid significetur per *portas inferi.* Dicimus omnem potestatem diabolicam significari; ostendit enim Christus Ecclesiae immotam firmitatem, quod vel validissimi et capitales hostes nil adversus eam possint. Quaeritur **3.** ratio hujus appellationis *portae inferi.* Ratio est, quia infernus passim exhibetur ut regnum, civitas; potentia vero regni, civitatis solet symbolo repraesentari portarum, tum quia portae erant munitissimae, tum quia urbium senatores et principes ad portas congregari solebant ad consilia capienda et judicia facienda. Denique **4.** adverti debet, illud *praevalebunt,* non solum negare victoriam inferni, sed per figuram sat frequentem in divinis literis (μείωσιν) significare aliquid positivum, inferni cladem, scil. portae inferi non solum non vincent, sed vincentur, confundentur. Cf. Passaglia de praerog. b. Petri l. 2. c. 7. et egregium in h. l. commentarium Chrysostomi in l. quod Christus sit Deus n. 12 ss. opusc. t. XV.

[3]) H. E. l. 1. c. 4. [4]) Joan. 14, 16; Matth. 28, 20: cf. n. 161.

mundi concuti quidem persecutionibus, sed nequaquam posse subverti: tentari, non superari; et hoc fiet, quia Dominus Deus omnipotens sive Deus ejus i. e. Ecclesiae se facturum esse pollicitus est, cujus promissio lex naturae est.« Alter vero in Ps. 103. s. 2. n. 5. scribit: »Non inclinabitur in seculum seculi. Fundavit terram super firmitatem ejus i. e. firmavit Ecclesiam super fundamentum Christi. Nutabit Ecclesia si nutaverit fundamentum: sed unde nutabit Christus . . . qui omnia continet majestate et nos bonitate? . . . ubi sunt qui dicunt, periisse in mundo Ecclesiam, quando nec inclinari potest?« Hinc cum donatistae contenderent, Ecclesiam non quidem penitus periisse, sed tamen defecisse a sua catholicitate atque fuisse redactam ad solum quendam Africae angulum, sententiam hanc appellat »vocem abominabilem, detestabilem, praesumptionis et falsitatis plenam, nulla veritate suffultam, nulla sapientia illuminatam, nullo sale conditam, vanam, temerariam, praecipitem, perniciosam[3]).« Et mox inducit Ecclesiam Dominum ita alloquentem: *„Exiguitatem dierum annuncia mihi* (Ps. 101, 24). Quid est quod nescio qui recedentes a me murmurant contra me? Quid est quod perditi me periisse contendunt? Certe enim hoc dicunt, quia fui et non sum: *Annuncia mihi exiguitatem dierum meorum.* Non a te quaero illos dies aeternos: illi sine fine sunt, ubi ero; non ipsos quaero: temporales quaero: temporales dies mihi annuncia . . . Quamdiu ero in isto seculo, annuncia propter illos, qui dicunt: Fuit et jam non est; propter illos qui dicunt: Impletae sunt Scripturae, crediderunt omnes gentes, sed apostatavit et periit Ecclesia de omnibus gentibus . . . Et annunciavit, nec vacavit ista vox. Quis annunciavit, nisi ipsa via? Quomodo annunciavit? *Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem seculi* (Matth. 28, 20).« Ceterum universa s. Augustini disputatio adversus donatistas contendentes Ecclesiam a sua catholicitate defecisse, a fortiori valet contra eos qui eam penitus deficere posse somniant. Immotam Ecclesiae firmitatem depraedicat passim Chrysostomus. Ita hom. de capt. Eutropii n. 6: »Ne ab Ecclesia secedito, nihil enim Ecclesia validius; ipsa est spes tua, ipsa salus tua, ipsa perfugium tuum; excelsior est coelis terrisque latior; nunquam senescit, imo semper juvenescit. Quare dum immotam illius firmitatem Scriptura patefacit, eam vocat montem, vocat et virginem incorruptam. Propter ejusdem praestantiam illam dicit reginam, et propter ejusdem fecunditatem illam tamdiu sterilem dicit matrem septem hominum millium, ut ipsius ingenuitatem ob oculos ponat.« Eandem veritatem imagine navis patres illustrant. »Navem adaeque Ecclesiam debemus accipere (Prov. 30, 19) in salo mundi istius constitutam, quae crebris ventorum fluctibus i. e. tentationum plagis et verberibus fatigatur: quam turbidi fluctus i. e. hujus seculi potestates, conantur ad saxa perducere. Quae etsi undarum fluctibus aut procellis saepe vexatur, tamen nunquam potest sustinere naufragium, quia in arbore ejus i. e. cruce Christus erigitur, in puppi Pater residet, gubernator proram Paracletus servat Spiritus. Hanc per angusta hujus mundi freta duodeni in portum remiges ducunt i. e. duodecim apostoli et similis numerus prophetarum[1]).« Denique **6.** Ecclesiae perennitatem exigit ejusdem finis[2]), qui est hominum salus.

---

[1]) Ita auctor serm. 46. inter serm. s. Ambrosio adscriptos n. 10. Migne 17, 697. Cf. opusc. III, 231.

[2]) Haec ratio innuitur in schemate cit. c. 8. Post verba enim laudata annot.

J. Wanling

285. **Thesis XXXIX.** ***Ecclesia, quam Christus instituit et cui factae sunt promissiones, visibilis est.***

Declaratio. Vindicata Ecclesiae perennitate demonstranda est ejusdem visibilitas. Hic vero incipit controversia principalis cum protestantibus, qui haud aegre Ecclesiae Christi plerasque concedent praerogativas, quas illius proprias esse ostendemus, quamdiu manet invisibilis; Ecclesia enim quae non videtur nullum eis negotium, molestiam facessit nullam. Retenta vero Ecclesiae perennis visibilitate nimis evidens est, eos a vera Ecclesia defecisse reosque esse gravissimi criminis schismatis, quod nullo praetextu excusare possunt[1]). Ad suam ergo defectionem saltem quadamtenus colorandam hoc coacti sunt excogitare effugium, ut contenderent, Ecclesiam Christi veram posse esse quidem visibilem: sed non necessario debere esse visibilem; posse fieri invisibilem, deficiente nempe coetu fidelium visibili a vera fide, vero cultu etc., prout factum esse contendunt post seculum IV. vel V. Non tamen negamus, varias protestantium sectas etiam ex aliis, quae profitentur, principiis erroneis in hunc demum lapsas esse errorem: in quo tuendo singularem varietatem et inconstantiam ex causae desperatione profectam produnt. Contra hos contendimus, Ecclesiam a Christo institutam esse visibilem[2]), et quidem ita visibilem, ut semper debeat esse conspicua. Idcirco autem conspicua censeri debet, quod non solum constet ex hominibus visibilibus, sed quia visibilis est visibilitate collectionis, unionis, conservationis, visibilitate ministerii, magisterii et regiminis tam materiali, quae in oculos incurrit, quam formali, qua illico innotescit ut Ecclesia Christi; verbo, quia visibilis est ea ratione, qua quaelibet societas politica solet esse visibilis et ab aliis societatibus discernibilis, vel qua ratione ipse homo simpliciter est diciturque visibilis, licet non omnia, quae homini essentialia sunt, videantur. Nam ut aliquod subjectum compositum ex duplici elemento, quorum unum est invisibile, simpliciter dici possit visibile: sufficit **a.** ut elementum alterum sit immediate et per se visibile; ut **b.** elementum invisibile cum hoc elemento visibili penitus uniatur et **c.** per illud se manifestet.

---

ad n. 213 ita legimus: „Etenim cum ad finem usque mundi qui in terris peregrinantur mortales Christo auctore salvandi sint: Ecclesia ipsius, quae sola est salutis societas (n. 292 ss.), ad finem usque mundi in sua constitutione immutabilis semper et immota persistet . . . Quare Christi Ecclesia nunquam potest excidere suis proprietatibus et dotibus, sacro suo magisterio, ministerio et regimine, ut Christus per corpus suum visibile perpetuo sit omnibus hominibus via, veritas et vita.«

[1]) „Der Protestantismus, inquit Winer comparative Darstellung des Lehrbegriffes der versch. christl. Kirchenpartheien § 19. n. 2., vernichtet sich selbst, wenn er die Kirche Christi ihrem Wesen nach als äusserliche Anstalt anerkennen wollte.« Sed acute et verissime alius protestans, Lagarde, advertit (Deutsche Schriften, Göttingae 1878 pag. 118): „Auf die Lehre von der unsichtbaren Kirche folgt ganz folgerichtig die Lehre von der unsichtbaren Religion, und auf diese ganz nothwendig das Verschwinden der Religion.

[2]) Cf. schema cit. de Ecclesia Christi c. 4. et 5. et can. 3, qui ita habet: „Si quis dixerit, divinarum promissionum Ecclesiam non esse societatem externam ac conspicuam, sed totam internam et invisibilem, A. S.«

286. **Demonstratio. 1.** Ecclesiae visibilitas necessario consequitur ejus formam socialem. Fieri enim nequit, ut coetus ille, in quo visibile est magisterium, a quo credenda interius exteriusque profitenda fides publice proponitur, visibile quoque ministerium, quod visibilia Dei mysteria administrat et celebrat, quibus interior sanctificatio hominibus et debitus Deo cultus comparatur, visibile regimen, quod membrorum inter se communionem ordinat externamque omnem et publicam fidelium in Ecclesia vitam disponit ac dirigit, ut ille, inquam, coetus non sit visibilis. Atqui ejusmodi est coetus fidelium seu Ecclesia, in qua est visibile magisterium, visibile ministerium et regimen visibile[1]). Ergo censeri debet visibilis. Ad haec **2.** homines tenentur Ecclesiam ingredi, nam extra Ecclesiam non est salus[2]); ingressi tenentur Ecclesiam audire eique obsequi, nam qui *Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*[3]); tenentur ejus profiteri fidem et ab ea suscipere sacramenta, cum ipsa sit constituta mysteriorum Dei dispensatrix; ipsius est componere controversias (n. 164 s.), damnare haereses, contumaces excommunicare etc. Quae omnia conciliari nequeunt cum Ecclesiae invisibilitate. Qua de causa in tota antiquitate nullum contrariae opinionis reperitur vestigium, ne apud haereticos quidem, qui ea facile se tueri potuissent adversus omnia conciliorum anathemata. Ad haec **3.** illa est vera Ecclesia, cui factae sunt a Christo promissiones. Atqui inductione liquet, praecipuas promissiones factas esse Ecclesiae visibili. Ita perpetua Christi et Spiritus s. assistentia, ideoque infallibilitas promissa est apostolis, non quatenus sunt justi, sancti, praedestinati, sed quatenus docent et visibile ministerium exercent; potestas clavium concessa est illi Ecclesiae, ad quam deferendi sunt fratres peccantes, quaeque sub salutis periculo est audienda; firmitas immota promissa est illi Ecclesiae, in qua est potestas clavium, potestas judicialis, quae bono exemplo est aedificanda. Legantur ex. gr. Matth. 28, 19: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos . . . et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi;* 18, 17: *Quod si* (frater qui peccaverit) *non audierit eos* (testes), *dic Ecclesiae. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo* etc.; 16, 18: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.. Et tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis: et quodcunque solveris super terram, erit so-*

---

[1]) Cf. n. 160. 350 ss. [2]) Cf. th. XLII.
[3]) Matth. 18, 17.

lutum et in coelis; 1. Tim. 3, 14. 15: *Haec* (monita de ministris Ecclesiae) *scribo . . . ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei viri, columna et firmamentum veritatis* [1]).

287. Talis **4.** censeri debet Ecclesia ex ipsa sua constitutione et indole, qualem eam constanter exhibent Scripturae omniaque antiquitatis christianae monumenta. Atqui haec aliam non agnoscunt Ecclesiam a prophetis praedictam et a Christo institutam quam visibilem. Quare visibilis est censenda. Sane prophetae praedicunt regnum messianum ipsa sua diffusione conspicuum, ad quod gentes confluent; Dei Filius humana natura conspicua assumpta factus est visibilis, visibili modo doctrinam suam annunciavit, visibili modo apostolos atque discipulos collegit instituitque, eisque praecepit ut eadem ratione sibi ex omnibus gentibus colligerent discipulos visibilique ritu, baptismo scil., eos initiarent, μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη βαπτίσαντες αὐτούς. Quod visibili ratione praestiterunt apostoli eorumque successores; hinc videmus in actibus apostolorum omnibusque monumentis historicis christianae antiquitatis Ecclesiam ab ipsis cunabulis crescere, dilatari, persecutiones pati, haereses damnare etc.; hinc quavis aetate innumeri scriptores narrant ejus historiam.

288. Ecclesiam visibilem esse **5.** semper tradunt, vel ubique supponunt patres in suis scriptis. Libenter eam exhibent sub imagine *civitatis supra montem positae* [2]).

Ita Augustinus ex ea refellens donatistas[3]): „Non estis in civitate super montem constituta, quae certum signum hoc habet, quod abscondi non potest. Nota est ergo cunctis gentibus; pars autem Donati ignota est pluribus gentibus: non est ergo ipsa.« Et pulcherrime explicans verba: *Mulierem fortem quis inveniet*[4])? ita disserit: „Difficile est invenire eam, imo difficile est nescire eam. Nonne ipsa est civitas in monte, quae abscondi non potest? Quare ergo dictum est: Quis inveniet? cum dici debuerit: Quis non inveniet? Sed tu civitatem in monte positam vides: ut autem in monte poneretur, inventa est quae perierat. Quando illustrata est, quis eam non videt? quando latebat, quis eam inveniret? Ipsa enim civitas est, et una illa ovis, quam perditam quaesivit pastor, et inventam gaudens in humeris reportavit (Luc. 15, 4). Iste pastor mons est: ovis autem in humeris ejus civitas in monte. Facile est ut videas eam collocatam in monte: quando eam invenires, cum lateret in vepribus, in spinis utique delictorum suorum? Ibi enim quaesisse magnum est: ibi invenisse mirabile est. Haec ejus difficilis inventio commendatur, cum dicitur: *Mulierem fortem quis inveniet?* nolite putare de Ecclesia dici, quae latet, sed

---

[1]) Cf. Scheffmacher Lettres à un Gentilhomme et à un Magistrat protestants ep. 1.

[2]) Matth. 5, 14. [3]) Contra lit. Petil. l. 2. c. 104 n. 239.

[4]) Prov. 31, 10 serm. 37 n. 2.

de illa, quae ab uno inventa est, ut neminem lateret . . . Mulierem istam tam fortem quis non videt? Sed jam inventam, jam eminentem, jam conspicuam, jam gloriosam, jam ornatam, jam lucidam, jam, ut cito explicem, toto terrarum orbe diffusam[1]).« Praetermittere non possumus aliud pulcherrimum ejusdem s. doctoris de Ecclesiae visibilitate testimonium, quod legimus tr. 1. in ep. s. Joan. n. 13: »Nonne lapis iste, qui praecisus est de monte sine manibus, Christus est de regno judaeorum sine opere maritali? Nonne ille lapis confregit omnia regna terrarum, id est, omnes dominationes idolorum et daemoniorum? Nonne ille lapis crevit, et factus est mons magnus, et implevit universum orbem terrarum (Dan. 2, 34. 35)? Numquid digito ostendimus istum montem, quomodo ostenditur hominibus tertia luna? Verbi gratia, quando volunt homines videre lunam, dicunt: Ecce luna, ecce ubi est: et si sunt ibi, qui non valeant intendere aciem, et dicant: Ubi? intenditur illis digitus, ut videant. Aliquando dum erubescunt ne coeci putentur, dicunt se vidisse, quod non viderunt. Numquid sic ostendimus Ecclesiam, fratres mei? Nonne aperta est? nonne manifesta? nonne tenuit omnes gentes? nonne impletur quod ante tot annos promissum est Abrahae, in semine ejus benedici omnes gentes (Gen. 22, 18)? Uni fideli promissum est, et millibus fidelium mundus impletus est. Ecce mons implens universam faciem terrae: ecce civitas, de qua dictum est: *Non potest civitas abscondi super montem constituta* (Matth. 5, 14). Illi autem offendunt in montem« Quod si haec non sufficiant, merito cum Augustino quaerere possumus (ep. 93 n 23): »Quomodo confidimus ex divinis literis accepisse nos *Christum manifestum,* si non inde accepimus *Ecclesiam manifestam?*

289. **Scholion.** *Exceptionibus satisfit.* — Ut difficultates solvantur, haec oportet advertere: **1.** fieri potest, ut idem objectum ex motivo auctoritatis credatur, et simul etiam ex alio motivo sciatur seu per aliud lumen videatur; atque iterum ut sub uno respectu videatur, sub alio non videatur, sed intelligatur vel credatur. Ita apostoli videbant Christum hominem, sed Christum esse Deum, credebant[2]); ita videmus in baptismo

---

[1]) Cf. etiam l. 2. c. 32 n. 74 (n. 424); c. 70. n. 157; contra Cresconium l. 2. c. 36 n. 45; epist. 25 al. 170 n. 1. Ceterum ipse Melanchton in locis commun. de Ecclesia p. 488 scribit: »Quotiescunque de Ecclesia cogitamus, intueamur coetum vocatorum, qui est Ecclesia visibilis, nec alibi electos ullos esse somniemus, nisi in hoc ipso coetu visibili. Nam neque invocari, neque agnosci Deus aliter vult, quam ut se patefecit. Nec alibi se patefecit, nisi in Ecclesia visibili, in qua sola sonat vox Evangelii. Nec aliam fingamus Ecclesiam invisibilem et mutam hominum in hac tamen vita viventium, sed oculi et mens coetum vocatorum i. e. profitentium Evangelium Dei intueantur, et sciamus oportere inter homines publice sonare Evangelii vocem, sicut scriptum est: *In omnem terram exivit sonus eorum* (Rom. 10, 18).«

[2]) De hac analogia inter visibilitatem Christi et visibilitatem Ecclesiae cf. supra n. 276. Sicut autem in Christo duplex secerni potest visibilitas: humana, qua apparebat homo, et divino-humana, quatenus divinitas mediate saltem se prodidit miraculis, vita et sapientia coelesti: ita in Ecclesia duplicem licet secernere visibilitatem, humanam, de qua in primis loquimur, et divino-

ablutionem externam: internam, qua anima mediante ablutione externa mundatur a peccatis, credimus. Quare absurde ex eo, quod Ecclesia objectum sit fidei, infertur eam visibilem non esse. Videmus enim eam quatenus est quidam coetus, credimus vero hunc coetum certis notis visibilibus ab aliis distinctum veram esse Ecclesiam, extra quam non est salus, quae in docendo est infallibilis; quemadmodum ex hominis loquela inferimus eum esse rationalem, doctum etc. Ita videmus Ecclesiam, *quae* est sancta, corpus Christi mysticum, quamvis non videamus eam, *quatenus* est sancta etc., nisi mediate in suis fructibus. Seu aliis verbis videmus subjectum, coetum fidelium, de quo credimus plura praedicata, quae ex revelatione tantum innotescunt. Imo ut fides de Ecclesia sit nobis utilis (quod sane Christus intendit, cum tot Ecclesiae praerogativas revelaverit), debet Ecclesia esse demonstrabilis, ideoque visibilis. Ecclesia enim in abstracto nihil nobis prodest. Quamvis **2.** ea, quae membrum constituunt Ecclesiae vivum et perfectum, per se non videantur, ut fides, caritas, gratia sanctificans etc., propterea tamen non sequitur: **a.** praeter haec nulla esse visibilia elementa, quibus conspicua reddantur Ecclesiae membra eorumque coetus; **b.** illa non posse fieri mediate visibilia per suos effectus; **c.** eos ad veram Ecclesiam saltem quadamtenus non pertinere, qui illorum aliquo destituuntur. Quae si prae oculis habeantur, evanescet difficultas petita ex Jer. 31, 33: *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam: et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum;* Joan. 4, 23: *Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate;* 1. Petr. 2, 5: *Ipsi tamquam lapides vivi superaedificamini domus spiritualis* etc. Haec enim et similia non sunt excludentia, i. e. non excludunt Ecclesiae conspicuitatem, sed sunt affirmantia i. e. significant, quid requiratur, ut singuli sint Ecclesiae membra perfecta; non definiunt, quid requiratur, ut quis qualecunque sit Ecclesiae membrum Quare si quis ex illis textibus inferret: Ecclesia constat justis, atqui justi non videntur; ergo etc.; respondemus in forma: Ecclesia constat justis, dist. maj. constat tantum justis, n.; in primis, subd. quatenus sunt justi, n.; quatenus visibilibus vinculis cum aliis membris in unum visibilem coetum coalescunt, conc. Dist. min. Justi non videntur, quatenus sunt membra Ecclesiae, n.; quatenus sunt justi, subd. immediate, conc.; mediate, rursus dist.: singuli, transeat; ut plurimum n. Quod attinet **3.** verba Christi Luc. 17, 20: *Non venit regnum Dei cum observatione,* advertimus **a.** hisce non negari Ecclesiae visibilitatem, sed excludi **b.** observationem, apparatum, pompam mundanam, quacum venientem fingebant sibi judaei Messiam. Cum vero **c.** Christus subdit: *Ecce enim regnum Dei intra vos est,* significat, regnum Dei coepisse jam intra ipsos, in medio ipsorum annunciari et diffundi, sane visibili modo, praedicatione et miraculis. Quod si **d.** quis haec referre vellet ad animam, in qua potissimum stabiliendum sit regnum Dei, non propterea sequeretur, eos, in quibus fuerit regnum Dei, non spectare posse vel debere ad coetum visibilem.

---

humanam, quatenus vita ejus supernaturalis et praesentia sancti Spiritus miris, sed visibilibus se prodit modis, miraculis, sanctitate membrorum etc. Cf. Palmieri l. c. § 10.

289[a]. Ceterum **4.** pleraeque tricae, quae fiunt contra Ecclesiae visibilitatem, contra visibilitatem societatis cujuscunque humanae urgeri possent; quaelibet enim societas humana, ut proprie hoc mereatur nomen, exigit non solum conjunctionem corporum, sed et animorum; sicut ergo naturalis horum conjunctio reddi potest mediate saltem visibilis, ita et supernaturalis fidelium conjunctio. Quod si quis exciperet: Ut aliquis sit de Ecclesia, debet esse baptizatus. Atqui de nullo certo constat eum esse rite baptizatum (et si est Ecclesiae pastor, eum rite esse ordinatum). Ergo nunquam constare nobis potest, quinam sint de Ecclesia. Quare Ecclesia nequit esse certo visibilis. Resp. **a.** retorquendo argumentum. Nam de essentia matrimonii est consensus internus et intentio contrahendi, quae aeque est interna et per se invisibilis ac intentio baptizandi et ordinandi. Nemo tamen propterea inferret, de nullo matrimonio legitimo constare, omnes filios esse dubios etc. Ratio est **b.** quia elementum internum (in nostro casu character baptismalis) est visibile quantum satis est in elemento externo, scil. in ipso ritu externo sacramentali. Licet vero singuli homines possint sacramenti ritum simulare, repugnat tamen legibus ordinis moralis et socialis, ut coetus tam ingens, qualis est Ecclesia, quique se commendat saltem in plurimis membris vitae probitate, constet membris hypocritis, qui pura malitia, nulla spe lucri decipiant et simulent sacramentorum administrationem. Quare evidens est evidentia morali, in illo coetu, cui alioquin conveniunt notae verae Ecclesiae, universalitate saltem morali, omnes esse rite baptizatos vel ordinatos, etiamsi id forte jurejurando de singulis asseverare nequeam. Imo **c.** hoc est adeo certum, sicut certum est, Christum instituisse Ecclesiam eamque visibilem et perennem. Eadem enim sapientia et omnipotentia divina, qua illam instituit et conservat, providebit ne sacramentorum administratio in plurimis frustretur. Si ergo semel certo constet alicui coetui convenire notas verae Ecclesiae, indubium est, saltem in genere, ejusdem membra esse rite baptizata. Neque obest **d.** quod de singulis id semper certe affirmari non possit; nam visibilitas Ecclesiae non oritur ex visibilitate singulorum seorsim consideratorum, sed ex visibilitate collectionis et conjunctionis plurium, qui quidem omnes sunt baptizati, profitentur eandem fidem etc., et de quorum maxima parte constat ex ratione supra data, eos rite esse baptizatos, neque per hypocrisin profiteri eandem fidem. Ceterum **e.** difficultas penitus excluditur, si negetur requiri baptismum valide collatum, ut quis sit membrum Ecclesiae visibilis. Videtur enim posse defendi, sufficere ad rationem membri Ecclesiae, quatenus est societas visibilis, ut quis subsit auctoritati, qua regitur Ecclesia et quae est Ecclesiae, quatenus est societas, principium formale.

Caput II.

De Ecclesiae essentia.

290. *Ecclesiae causae.* — Ut alicujus rei essentia et constitutio intima rite cognoscatur, nil opportunius, quam omnes ejus rimari causas. Causarum vero multae distinguuntur species; praecipuae sunt: causa efficiens, ministerialis, materialis, formalis, finalis, exemplaris. De his ergo Ecclesiae causis ex ordine disseremus. Cum vero de causa

Ecclesiae efficiente principe, quae est Deus Pater, Deus Filius incarnatus et Spiritus s., nulla sit difficultas, ad considerationem finis Ecclesiae accedamus.

Articulus I.

De fine institutae Ecclesiae.

291. Certum est, Ecclesiae, sicut omnium operum Dei, supremum et ultimum finem esse, *manifestationem gloriae divinae;* et si finis ultimus ipsius incarnationis, cujus consectarium est Ecclesia, fuit gloria Dei, etiam ipsa ad hanc manifestandam erit destinata. Revera autem per Ecclesiam splendidissime Dei gloriam manifestari, praesertim ejus potentiam, providentiam, bonitatem et sapientiam, quilibet concedet, qui consideret sive **1.** miram Ecclesiae propagationem firmitatemque[1]); sive **2.** ejus doctrinam[2]), salutis media et dona gratiarum, quibus abundat; sive **3.** propagationem cognitionis Dei, cultus divini et virtutum per Ecclesiam effectam[3]), adeo ut a solis ortu usque ad occasum verus Deus et agnoscatur et ametur et colatur ejusque praecepta serventur. Neque negari potest Ecclesiae finem esse etiam Christi gloriam: nam Christus sanguinem profudit, *ut ipse sibi exhiberet gloriosam Ecclesiam* (Eph. 5, 27), et fideles sunt Christi (1. Cor. 3, 23), et sive vivunt, Domino vivere, sive moriuntur, Domino mori tenentur, *ut mortuorum et vivorum dominetur*[4]). Ipsa etiam est objectiva manifestatio gloriae Christi: et ipse suam ei communicat claritatem, quae ab eo velut a sole in Ecclesiam, plenitudinem suam, diffunditur[5]).

292. Certum deinde est, finem proximum et immediatum Ecclesiae esse hominum salutem, ut patet tum ex dicendis in toto tractatu, tum ex axiomate mox probando, „extra Ecclesiam non esse salutem," tum ex iis, quae communi omnium christianorum consensu profitemur de necessitate et virtute sacramentorum, quorum administratio concredita est Ecclesiae, tum ex fine missionis Christi, quem misit Deus in mundum, non *ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum* Joan. 3, 17. Hinc propter nos homines nostramque salutem descendit de coelis. Atqui praecipuum opus Filii Dei post redemptionem fuit institutio Ecclesiae. Quare etiam Ecclesiae finis est hominum salus. Sed ut finis Ecclesiae proprius determinetur, sit

293. **Thesis XL.** ***Christus in Ecclesia et per Ecclesiam illud continuat salutis opus, quod visibilis in terris degens inchoavit.***

Demonstratio. „Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum, inquit conc. vaticanum initio sess. 4, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit."

---

[1]) Cf. th. XVII et XVIII. [2]) Cf. th. XV. [3]) Cf. th. XIX.
[4]) Rom. 14, 7—9. Cf. Franzelin th. 20. [5]) Joan. 17, 1 ss.

Hunc revera institutae Ecclesiae esse finem colligitur ex plurimis s. Scripturae effatis, quorum summa ad haec revocatur capita: **1.** Missio apostolorum eorumque successorum, qui Ecclesiam docentem constituunt, est continuatio missionis Christi: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit et dixit eis: Accipite Spiritum s.: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt*[1]). Hujus missionis **2.** terminus sunt omnes gentes, quas Christus sanguine suo redemit, omnis creatura (rationalis) usque ad ultimum terrae: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos*[2]) etc. Munus vero **3.** ejusdem est, homines docere viam salutis, solvere a peccatis, donare vita et salute seu eos participes reddere fructuum passionis Christi[3]): *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit condemnabitur.* Quare **4.** ut hi legati, qui pro ipso legatione funguntur, pares sint tantae missioni, eos suae auctoritatis reddit participes[4]) atque virtute s. Spiritus instruit *(Accipite Spiritus s.),* adeo ut **5.** in hisce legatis ipse audiatur: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit*[5]), ipse per eos baptizet, remittat peccata[6]) etc. Patet ergo Christum per suos ministros et legatos, qui constituunt Ecclesiam docentem, opus illud continuare, quod ipse in terris inchoavit.

294. *Duplex* autem *Christi opus* distinguere oportet; alterum, quo nos redemit: et hoc quidem in cruce consummavit, nam *unica oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*[7]); alterum, quo passionis suae merita in singulos derivat eisque applicat, ut salutis participes actu reddantur. Hoc applicationis opus ab Ecclesia et per Ecclesiam est continuandum. Quod colligitur etiam et illustratur ex appellatione, qua Ecclesia tam solemniter vocatur *corpus Christi*[8]). Ex hac enim sequitur, oeconomiam in carne et per carnem a Christo susceptam cum mortali ejusdem vita nullatenus desiisse, sed in Ecclesia et per Ecclesiam[9]) continuari, hoc tamen discrimine, quod prius illam Chri-

---

[1]) Joan. 20, 21; cf. 17, 18. Cf. Franzelin th. IX. illius testimonii vim praeclare enarrantem.

[2]) Matth. 28, 18; cf. Act. 1, 8. [3]) Marc. 16, 15.

[4]) Joan. 20, 22; cf. n. 161.

[5]) Luc. 10, 16; Matth. 10, 14 s.

[6]) Joan. 1, 33; 2. Cor. 5, 18 ss. [7]) Hebr. 10, 14. [8]) Cf. n. 296 ss.

[9]) Dicimus Christum per Ecclesiam et in Ecclesia suum opus continuare i. e. operari fidelium salutem *per Ecclesiam,* quatenus salus obtinetur exercitio potestatis apostolis factae docendi, sanctificandi et regendi, tum debita hominum subordinatione iisdem docentibus, sacrificantibus, regentibus, quibus duobus ele-

stus expleverit in singulari humanitate, quam sibi ex Virgine hypostatice univit: postea eandem ad consummationem usque seculi expleat in Ecclesia, quam sibi ex universo hominum genere ceu proprium corpus adscivit.

295. **Thesis XLI.** ***Perspecto Ecclesiae fine sequitur, Ecclesiam esse societatem supernaturalem, a societate civili et politica, necnon et a schola philosophica prorsus distinctam.***

Demonstratio p. I. Sane illa societas non est consectarium naturae humanae, vel institutionis et indolis naturalis, sed eam prorsus praetergreditur, cujus **1.** auctor non est nudus homo, sed Verbum carofactum (n. 279); cui **2.** non inserimur conditione naturali, cujusmodi est nativitas ex parentibus, commodum temporale, sed conditione plane supernaturali, regeneratione ex aqua et Spiritu sancto; cujus membra **3.** sunt homines, non quidem prout dotibus et facultatibus naturalibus sunt praediti, sed quatenus donis supernaturalibus ornantur; quae **4.** mediis supernaturalibus cogitur, adunatur et regitur, cujusmodi sunt sacramenta, pastores divinitus instituti et juribus plane divinis instructi, potestate scil. remittendi peccata, infallibilitate in docendo etc.; cujus **5.** finis, a quo in primis pendet societatis indoles, non continetur bono aliquo ordinis naturalis, sed ipsa filiatione Dei adoptiva ac visione demum beatifica (n. 293); quae tandem **6.** Spiritu Dei regitur et animatur (n. 305). Atqui talis est Ecclesia. Quare Ecclesia censeri debet societas supernaturalis[1]), et quidem non solum origine et destinatione, sed etiam active et efficienter, imo etiam formaliter, quatenus actu includit elementa supernaturalia.

296. *Ecclesia confertur corpori.* — Quae Ecclesiae conditio sicut et plures aliae ejusdem praerogativae plane singulares praeclare illustrantur illa proprietate, qua Ecclesia est diciturque corpus Christi mysticum. Quare haud inutile erit patribus praeeuntibus eam uberius aliquantulum evolvere. Jam s. Paulus Ecclesiam corpori, fideles membris confert[2]). Et revera inter quamlibet societatem ordinatam et corpus non una intercedit similitudinis ratio. Sicut enim corpus

---

mentis simul junctis constituitur Ecclesia. Dicimus etiam hunc finem obtineri *in Ecclesia,* quatenus scil. homines subordinantur doctoribus, sanctificatoribus, rectoribus suis: quo ipso sunt in Ecclesia utpote eam constituentes. Cf. Palmieri § 4.

[1]) Quod etiam statuitur in schemate cit. de Ecclesia Christi, cujus c. 3. ita absolvitur: „Cum autem his bonorum divitiis in Ecclesia homines per Spiritum s. augeantur, atque his ejusdem s. Spiritus nexibus in unitate cohaereant, Ecclesia ipsa spiritualis societas est atque ordinis omnino supernaturalis.«

[2]) Rom. 12, 4; 1. Cor. 10, 17; 12, 11; Eph. 4, 4.

organicum constat plurium membrorum numero, quae tamen perfectione, forma, functione discernuntur mira varietate; ita societas quaelibet pluribus constat membris, quae tamen non sunt aequalia, sed dignitate, officio, juribus distinguuntur. Quemadmodum autem in corpore membrorum varietas ad unitatem harmoniamque revocatur partim vinculis externis, quae illa invicem copulant, partim, imo praecipue anima, quae omnia et singula informat membra et in unitate harmonica continet: ita etiam in qualibet societate membrorum varietas unitate finis, ad quem omnes aspirant, vinculis earundem legum ejusdemque regiminis seu directionis ad concordiam redigitur. Cum ergo Ecclesia sit etiam societas ordinata, corpori conferri poterit; eoque magis, quo major in tanta fidelium multitudine et varietate unitas, quo manifestior est vita illa singularis et supernaturalis, quam vivit.

297. *Ecclesia est corpus Christi.* — Verum Ecclesia non solum corpus vocatur, sed etiam cum honorifico apposito Christi. Quae appellatio cum saepe in divinis literis [1]) occurrat, saepissime vero apud patres, negligi non debet, imo omni attentione est digna. Corpus autem Christi dicitur profecto idcirco, ut significetur, eum exsistere habitum inter Christum et Ecclesiam, qui accedit ad habitum, quo caput ad corpus et vicissim corpus ad caput refertur. Porro triplici habitu caput ad corpus refertur. *Habitu* scil. **1.** *principatus* et eminentiae quadruplicis, loci, perfectionis, virtutis, directionis, qua cunctis membris antecellens iis ipsis velut ex arce quadam prospiciens consulit ac moderatur.

Christum cunctis Ecclesiae membris antecellere manifestum est. In ipso enim est plenitudo omnium gratiarum et ipsum constituit Pater coelestis ad dexteram suam in coelestibus supra omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro; et omnia subjecit sub pedibus ejus, et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius (Eph. 1, 10 s.). Neque ullum munus capitis proprium Servator praetermittit[2]), ut praeclare ostendit Paulus Ephes. 5, 23 ss. Neque mirum cum idem Paulus scribat: *Si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior*[3]). Quid autem domesticum est magis ac proprium capiti quam corpus suum? De hac prima Christi capitis praerogativa et proprietate praeclare disserunt patres. „Quomodo ergo anima, inquit Augustinus[4]), totum corpus nostrum animat et

---

[1]) Cf. 1. Cor. 12, 27; Ephes. 4, 12 ss.; Coloss. 1, 18; 1. Cor. 6, 15 etc.

[2]) Hinc Augustinus in Ps. 85 n. 5: „Caput autem nostrum ad dexteram Patris interpellat pro nobis; alia membra recipit, alia flagellat, alia mundat, alia consolatur, alia creat, alia vocat, alia revocat, alia corrigit, alia redintegrat.“

[3]) 1. Tim. 5, 8. [4]) De agone christ. c. 20.

vivificat, sed in capite et videndo sentit et audiendo et gustando et tangendo, in ceteris autem membris tangendo tantum; et ideo capiti cuncta subjecta sunt ad operandum, illud autem supra collocatum est ad consulendum, quia ipsius animae, quae consulit corpori, quodammodo personam sustinet caput, ibi enim omnes sensus apparent: sic universo populo sanctorum tamquam uni corpori caput est mediator Dei et hominum homo Christus Jesus."

289. Refertur 2. caput ad corpus *habitu vivificae virtutis,* quae in capite non secus ac in fonte plenissime residens ex ipso in reliqua obnoxia membra totumque cohaerens corpus certa lege dimanat.

De quo analogo nexu Christum inter et Ecclesiam certi reddimur ex divinis literis, ubi legimus[1]): *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia;* et iterum[2]): *Sicut misit me vivens Pater et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Quem influxum Christus ipse pluribus illustrat similitudine vitis, a qua palmites omnes virtutem fecunditatemque suam mutuantur[3]); et ita Paulus velut ob oculos ponit[4]): *Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo* εἰς αὐτόν, ad ipsum, qui est exemplar et norma nostra, aspirando et imitatione satagentes ipsum, quantum licet assequi, *per omnia, qui est caput Christus, ex quo,* cujus virtute et influxu, *totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis* i. e. per vincula fidei, caritatis et ceterarum virtutum, quibus membra mutuo nectuntur et sibi mutuam operam praestant atque auxilium[5]), *secundum operationem* capitis Christi *in mensuram, pro mensura, modo et exigentia uniuscujusque membri augmentum corporis* i. e. sui ipsius *facit,* incrementum sibi conveniens capit, *in aedificationem sui in caritate,* et ita augescit, aedificatur et proficit in caritate, vel etiam per caritatem. Cui testimonio affine est illud ad Coloss. 2, 18: *Ex quo* (Christo capite) *totum corpus per nexus et conjunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei* i. e. ex quo Christo capite dependens atque influxum accipiens universum corpus, quod est Ecclesia, per aptas connexiones membrorum constitutum et compactum crescit secundum Deum seu augmento divino et spirituali[6]).

---

[1]) Jo. 1, 16. [2]) Ib. 6, 58. [3]) Ib. 15, 1 ss.

[4]) Eph. 4, 15 s. [5]) Cf. 1. Cor. 12, 21 s.

[6]) Utriusque textus summam ex graecis potissimum interpretibus Chrysostomo, Theodoreto, Theophylacto et Oecumenio collectam ita exhibet Petavius de incarnat. l. 12. c. 17 § 8: „Quemadmodum corporis membra sibi invicem conserta et compacta sunt, quo fit, ut vitales animalesque spiritus per universa etiam minima quaeque membra fundantur, et incrementum ac robur singula capiant: ita Christi corpus ex membris suis constat, quae spiritali quodam nexu fidei et caritatis adstricta copulantur ac secum pariter cohaerent et cum capite Christo. Atque in corpore caput nervorum habet principium (ut ajunt Theodoretus et Theophylactus) adeoque sensiles vel animales ab eo fonte manant spiritus, qui in cetera membra eatenus diffunduntur, quod certis commissuris et compagibus sive juncturis cum reliquis membris et ipso praesertim capite cohaerent et coagmentata sunt singula (non enim se-

299. Patres vero toties hunc vivificum Christi capitis in membra influxum asserunt, quoties docent, quidquid gratiae nobis inest, ex Christo in nos redundare. Quod cum compertissimum ex illis sit, testimoniis non est comprobandum. Tantum quaedam verba magis singularia Origenis adducemus, qui ita scribit[1]: „Dicimus, ex divinis Scripturis totam Dei Ecclesiam esse Christi corpus a Dei Filio animatum, membra autem illius corporis ut totius eos esse omnes, qui credunt; quoniam sicut anima vitam et motum impertit corpori, quod a seipso natura sua moveri vitaliter non potest: ita Verbum corpus totum seu Ecclesiam ad ea, quae opus sunt, movens et agens etiam singula membra eorum, qui ad Ecclesiam pertinent, movet, ita ut nihil sine Verbo faciant.« Sed locum hunc eximie illustrant theologi scholae, e quibus audiri meret doctor angelicus, qui verba Pauli asserentis, Ecclesiam esse corpus Christi et *plenitudinem* ejus, ita profunde explicat[2]: „Quaerenti cur in corpore naturali sint tot membra scil. manus, pedes, os et hujusmodi, respondetur, hoc esse ideo, ut deserviant diversis operationibus animae, quarum ipsa potest esse causa et principium, et quae sunt virtute in ipsa: nam corpus factum est propter animam et non e converso; unde secundum hoc corpus naturale est quaedam plenitudo animae[3]). Nisi enim essent membra cum corpore completa, non posset anima suas operationes plene exercere. Similiter itaque est hoc de Christo et de Ecclesia; et quia Ecclesia est instituta propter Christum, dicitur quod Ecclesia est *plenitudo ejus,* scil. Christi i. e. ut omnia, quae virtute sunt in Christo, quasi quodammodo in membris ipsius Ecclesiae impleantur, dum scil. omnes sensus spiritales et dona et quidquid potest esse in Ecclesia, quae omnia superabundanter sunt in Christo, ab ipso deriventur in membra Ecclesiae et perficiantur in eis. Unde subdit: *Qui omnia in omnibus adimpletur,* scil. dum hunc quidem, qui est membrum Ecclesiae, facit sapientem secundum perfectam sapientiam, quae est in ipso, illum vero justum secundum perfectam justitiam et sic de aliis.« Quae expressa sunt ad Cassiani de coenobiorum institutis l. 5. c. 1. verba: „Quia licet necdum Christum omnia factum secundum Apostolum (1. Cor. 15, 18) videamus in omnibus, tamen hoc modo possumus eum, id est per partes, in omnibus invenire. De ipso enim dicitur, *qui factus est nobis ex Deo sapientia, justitia, sanctitas et redemptio* (1. Cor. 1, 30). Dum ergo in alio sapientia, in alio justitia, in alio sanctitas, in alio mansuetudo, in alio castitas, in alio humilitas, in alio patientia reperitur, membratim Christus per unumquemque sanctorum divisus est. Concurrentibus vero universis in unitatem fidei ac virtutis, redditur in virum perfectum, plenitudinem sui corporis (Eph. 1, 23) in singulorum membrorum compage ac proprietate perficiens. Donec ergo veniat illud tempus, quo

---

parata vel laxata vitalem et animalem succum in sese trajectum capiunt): sic in mystico Christi corpore sui sunt nexus et coagmentationes, per quas inter se sociata et secum invicem velut agglutinata membra cum capite junguntur, nec aliter transfuso ab ipso capite spiritu ejusque vi et efficientia viviscunt ac vegetantur et incrementum capiunt. Hujusmodi juncturam caritatem esse dicit Apostolus etc.«

[1]) Adv. Celsum l. 6. n. 48. [2]) Lect. 8. in Eph. 1, 23.

[3]) Cf. in 4. dist. 44 q. 1. a. 2. qcl. 1.

Deus sit omnia in omnibus, in praesenti potest hoc quo diximus modo, id est per partes virtutum esse in omnibus Deus, licet nondum per plenitudinem earum omnia sit in omnibus.« Nec dissimilis est doctrina s. Hieronymi ep. 55. al. 147: »Quod ait Apostolus: *Ut sit Deus omnia in omnibus* (1. Cor. 15, 28), hoc sensu accipiendum est: Dominus ac Salvator noster nunc omnia non est in omnibus, sed pars in singulis. Verbi gratia, in Salomone sapientia, in David bonitas, in Job patientia, in Daniele cognitio futurorum, in Petro fides, in Phinees et Paulo zelus, in Joanne virginitas, in ceteris cetera. Cum autem rerum omnium finis advenerit, tunc omnia in omnibus erit, ut singuli sanctorum omnes virtutes habeant, ut sit Christus totus in cunctis.« Vocatur ergo Ecclesia πλήρωμα Christi, quatenus extrinsecus complet Christum prout est terminus ejus activitatis recipiens influxum ipsius, sub quo, cum quo et per quem vivit, operatur et in unitate continetur.[1])

300. Refertur **3.** caput ad corpus *habitu arctissimae conjunctionis,* qua ex capite et corpore unum aliquid prodit. Tali porro habitu Christum ad Ecclesiam referri, patet **a.** tum ex hac ipsa appellatione tam frequenti, quae sponte sua ejusmodi conjunctionem ob oculos ponit, et citra illam vix sensum prae se ferret; tum ex variis comparationibus, quibus Christi ad Ecclesiam habitus adumbratur, quas paucis complectitur Chrysostomus[2]): „Per multa exempla nos unit. Vide enimvero: Ipse est caput, nos autem corpus: inter caput et corpus non potest ullum esse interstitium; ipse est fundamentum, nos aedificium; ipse vitis, nos palmites; ipse sponsus, nos sponsa; ipse pastor, nos oves; ipse via, nos qui ingredimur; rursus nos templum, ipse inhabitator; ipse primogenitus, nos fratres; ipse heres, nos coheredes; ipse vita, nos viventes; ipse resurrectio, nos resurgentes; ipse lux, nos illuminati. Haec omnia unitatem manifestant, nec sinunt aliquid vacuum esse intermedium, ne minimum quidem.“ Et revera **b.** tanta est conjuncto inter Christum et Ecclesiam, ut illius nomen mirabili quadam trajectione ipsi communicetur Ecclesiae. Hoc saltem plures patres inferunt ex verbis Pauli 1. Cor. 12, 12: *Sicut enim corpus unum est et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita et Christus.* „Cum oportuisset dicere, inquit Chrysostomus, *ita et Ecclesia,* hoc enim consequens erat: hoc quidem non dixit, sed illius loco Christum ponit in altum extollens orationem et auditorem magis pudore afficiens. Hoc autem vult significare: ita et Christi corpus, quod est Ecclesia. Sicut enim et corpus et caput unus sunt homo, ita et Ecclesiam et Christum unum esse dixit. Ideo Christum pro Ecclesia posuit, corpus ejus

---

[1]) Cf. opusc. XXII, 169 a; Honorius aug. in Eluc. n. 27 Mig. 172, 1128.
[2]) Hom. 8. in 1. Cor. 3, 11. 12.

sic vocans[1]." Non solum c. Christus caput nomen suum indulget Ecclesiae, verum etiam praerogativae plane divinae ex illo in hanc redundant, cujusmodi sunt infallibilitas in docendo, virtus multiplex ad sanctificandum, constantia invicta adversus inferorum portas etc.; ipse vero Christus in se transfert quae propria sunt membrorum. Nam „haec est una de regulis supra in principio psalterii positis, inquit s. Thomas[2]), quod ea quae pertinent ad membra, dicit Christus de se, propter hoc quod sunt sicut unum corpus mysticum Christus et Ecclesia, et ideo loquuntur sicut una persona, et Christus transformat se in Ecclesiam, et Ecclesia in Christum."

301. „Ergo ipse Dominus J. Christus, ita s. Augustinus[3]), caput et corpus; voluit enim etiam loqui in nobis, qui dignatus est mori pro nobis; membra sua nos fecit. Aliquando itaque ex persona membrorum suorum loquitur, aliquando ex persona sua tamquam capitis nostri. Habet aliquid ille, quod dicat sine nobis, nos sine illo nihil possumus dicere. Apostolus dicit[4]): *Ut suppleam quae desunt pressurarum Christi in carne mea. Ut suppleam,* inquit, *quae desunt pressurarum,* non mearum, sed *Christi: in carne* non jam Christi, sed *mea.* Patitur, inquit, adhuc Christus pressuram, non in carne sua, in qua ascendit ad coelum, sed in carne mea, quae adhuc laborat in terra. Christus, inquit, pressuram patitur in carne mea, *vivo enim non jam ego, vivit vero in me Christus*[5]). Nisi enim Christus et in membris suis h. e. fidelibus suis pressuram ipse pateretur, Saulus in terra Christum in coelo sedentem non persequeretur. Denique aperte hoc exponens quodam loco[6]): *Sicut enim corpus unum est,* inquit, *et membra multa habet, omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum est corpus, ita et Christus.* Non ait, ita et Christus et corpus, sed corpus unum membra multa, ita et Christus. Totum ergo Christus. Et quia totum Christus, ideo caput de coelo: *Saule,* inquit, *Saule, quid me persequeris?* Tenete hoc et fixum omnino commendate memoriae tamquam filii ecclesia-

---

[1]) Hom. 30. n. 1. in h. l. Ita etiam Theodoretus, Primasius, Oecumenius et Theophylactus in h. l., Agobardus adv. legem Gundobadi n. 4; Fulgentius ad Monimum l. 2. c. 10: „Et cum vas electionis dicat, quia Christus caput est corporis Ecclesiae, ipsum tamen corpus Christi non dubitat Christum veraciter appellare." Imo Gregorius nyss. affirmat de vita Moysis t. 1. p. 226: „Ecclesiam a Paulo *saepe* Christum nominari."

[2]) In Ps. 21, 1. 2; cf. in titulum Ps. 30. et Petrum Lombardum in eundem, qui advertit, Christum triplici modo nostra in se transferre, vel „ad informationem membrorum, ut quando jejunavit et oravit;" vel „quando in persona membrorum loquitur," ut Act. 9, 5; „vel quando aliquid in se esse ostendit, quod non habet ex natura suae conditionis, sed misericorditer assumpsit de corruptione nostrae infirmitatis, ut cum dicit se tristari vel pavere et hujusmodi." Cf. Scheeben, die Mysterien des Christenthums § 56 ss., qui ingeniose et pie de habitu Christi ad Ecclesiam disputat.

[3]) Enar. in Ps. 142 n. 3. et alibi provocans ad Act. 9, 4.

[4]) Coloss. 1, 24. [5]) Gal. 2, 20. [6]) 1. Cor, 12, 12.

sticae eruditionis et fidei catholicae, ut agnoscatis Christum caput et corpus, eundemque Christum Verbum Dei unigenitum aequalem Patri: et inde videatis, quanta gratia pertingatis ad Deum, ut ipse voluerit esse nobiscum unus, qui est cum Patre unus.«

302. Libenter vero s. doctor hoc doctrinae caput exemplo ex humana vita desumpto illustrat. „Si ergo ille caput, inquit[1]), nos corpus, unus homo loquitur, sive caput loquatur, sive membra, unus Christus loquitur. Et capitis est proprium loqui etiam in persona membrorum. Ipsam nostram consuetudinem advertite. In angusto tibi pedem aliquis calcat. Calcas me, dicit caput. Vulneravit tibi aliquis manum. Vulnerasti me, dicit caput. Caput tuum nullus tetigit, sed loquitur unitas compaginis corporis tui. Omnium membrorum tuorum personam illa, quae in capite est, lingua suscepit, ipsa pro omnibus verbo fungitur. Sic ergo audiamus Christum loquentem, sed unusquisque agnoscat ibi vocem suam tamquam haerens in Christi corpore.« Eodem sensu scribit s. Paulinus nolanus ep. 38 n. 3: „Ab initio seculorum Christus in omnibus suis patitur. Ipse est enim initium et finis, qui in lege velatur, in Evangelio revelatur, mirabilis semper et patiens, et triumphans in sanctis suis Dominus; in Abel occisus a fratre, in Noë irrisus a filio, in Abraham peregrinatus, in Isaac oblatus, in Jacob famulatus, in Joseph venditus, in Moyse expositus et fugatus, in prophetis lapidatus et sectus, in apostolis terra marique jactatus et multis ac variis beatorum martyrum crucibus (f. cruciatibus) frequenter occisus. Idem igitur etiam nunc infirmitates nostras et aegritudinem portans . . . Ipse et in te patitur opprobria et ipsum in te odit hic mundus.«

303. *Totus Christus caput et Ecclesia.* — Imo **d.** secundum Augustinum Christus adaequate concipi nequit citra corpus suum, quod est Ecclesia. „Cum ergo, infert saepe s. doctor[2]), sit ille caput

---

[1]) In Ps. 140 n. 3; cf. serm. 361 n. 14, ubi de hoc exemplo ait: „Jam *saepe* diximus, sed quia similitudo apta est et rem bene insinuat, repetenda est.«

[2]) Serm. 137 n. 1; enar. 2. in Ps. 18 n. 10: „Et modo unus homo in omnibus gentibus linguis omnibus loquitur, unus homo caput et corpus, unus homo Christus et Ecclesia vir perfectus; ille sponsus, illa sponsa. *Sed erunt,* inquit, *duo in carne una.*« Quibus verbis (Matth. 19, 6) citatis ita prosequitur in enar. 2. in Ps. 30 n. 4: „Fit ergo tamquam ex duobus una quaedam persona, ex capite et corpore, ex sponso et sponsa . . . Si duo in carne una, cur non duo in voce una? Loquetur ergo Christus, quia in Christo loquitur Ecclesia, et in Ecclesia loquitur Christus; et corpus in capite et caput in corpore. Audi apostolum hoc ipsum evidentius exprimentem: *Sicut enim corpus unum est et membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum est corpus, sic et Christus* (1. Cor. 12. 12). Loquens de membris Christi, hoc est de fidelibus, non ait, sic et membra Christi, sed totum hoc quod dixit, Christum appellavit.« Quibus similia habet l. 83 qq. q. 69 n. 10, ubi citatis iisdem verbis Pauli prosequitur: „Non dixit (Paulus) *ita et Christi,* sed *ita et Christus,* ostendens Christum recte appellari etiam universum h. e. caput cum corpore suo, quod est Ecclesia. Et multis Scripturarum locis invenimus Christum etiam hoc modo appellari, ut cum omnibus suis membris intelligatur.« Cf. etiam Heterium et Beatum in l. 2.

Ecclesiae et sit corpus ejus Ecclesia, totus Christus et caput et corpus est." „Ipsi christiani, inquit iterum in Ps. 127 n. 3, cum capite suo, quod ascendit in coelum, unus est Christus: non ille unus et nos multi, sed et nos multi in illo uno unum. Unus ergo homo Christus caput et corpus."

Pulcherrime vero id docet in Ps. 61 n. 4: »Unus enim homo cum capite et corpore suo J. Christus, salvator corporis et membra corporis, duo in carne una et in voce una et in passione una, et cum transierit iniquitas, in requie una. Passiones itaque Christi non in solo Christo, imo passiones Christi nonnisi in Christo. Si enim Christum intelligas caput et corpus, passiones Christi nonnisi in Christo; si autem Christum intelligas solum caput, passiones Christi non in solo Christo; si enim passiones Christi in solo Christo, imo in solo capite, unde dicit quoddam membrorum ejus Paulus apostolus: *Ut suppleam quae desunt pressurarum Christi in carne mea* (Coloss. 1, 24)? Si ergo in membris Christi es, quicunque homo, quisquis haec audis, quisquis haec nunc non audis (sed tamen audis, si in membris Christi es), quidquid pateris ab eis, qui non sunt in membris Christi, deerat passionibus Christi. Ideo additur, quia deerat; mensuram implet, non superfundis; tantum pateris, quantum ex passionibus tuis inferendum erat universae passioni Christi, qui passus est in capite nostro et patitur in membris suis i. e. in nobis ipsis. Ad communem hanc quasi rempublicam nostram quisque pro modulo nostro exsolvimus quod debemus, et pro possessione virium nostrarum quasi canonem passionum inferimus. Pariatoria (i. e. paritatem faciens) plenaria passionum omnium non erit, nisi cum seculum finitum fuerit.«

304. Vocatur autem Ecclesia, praesertim a theologis scholae, *corpus Christi mysticum.* Dicitur **a.** mysticum, ut distinguatur a corpore Christi physico, quod carne et ossibus constat, sicut aliorum hominum corpora. Dicitur **b.** mysticum, ut negetur esse corpus naturale, significetur vero **c.** eam esse societatem, quae ordinem naturalem longe praetergreditur, cujus naturam, perfectionem et indolem animalis homo non percipit, non assequitur, sed tantum spiritualis, qui ex revelatione s. Spiritus sensum Christi habet (1. Cor. 2, 14 ss.); ut significetur proinde Ecclesiam mysterium esse bonitatis, sapientiae, potentiae Dei non secus ac alia opera ordinis supernaturalis. Dicitur **d.** mysticum, ut insinuetur, corpus hoc mysteriis gigni, ali, foveri, regi, mysteriis redundare. Dicitur **e.** mysticum, ut innuatur, illud non dissimili habitu, proinde admodum mysterioso, referri ad Christum caput, quo humanitas assumpta ad Verbum assumens.

305. **Corollaria.** Ex Ecclesiae praerogativa, qua est corpus Christi,

---

adv. Elipandum n. 40 (Migne patrol. lat. 96, 1001); Agobardum adv. Felicem urgellit. n. 37 (ib. 104, 62); Algerum de sacr. l. 1. n. 20 s. opusc. XXIII.

plura inferunt patres corollaria [1]). Inferunt scil. **1.** *Ecclesiam* utpote corpus Christi *Spiritu Dei foveri,* regi ac veluti animari.

Qua de re ita praeclare disserit [2]) s. Augustinus: „Nemo dicat: Accepi Spiritum s., quare non loquor linguis omnium gentium? Si vultis habere Spiritum s., intendite, fratres mei: spiritus noster, quo vivit singulus quisque homo, anima vocatur; et videtis, quid faciat anima in corpore. Omnia membra vegetat, per oculos videt, per aures audit, per nares olfacit,per linguam loquitur, per manus operatur, per pedes ambulat; omnibus simul adest membris, ut vivant: vitam dat omnibus, officia singulis. Non audit oculus, non videt auris, non videt lingua, nec loquitur auris et oculus; sed tamen vivit; vivit auris, vivit lingua; officia diversa sunt, vita communis. Sic est Ecclesia Dei; in aliis sanctis facit miracula, in aliis sanctis loquitur veritatem, in aliis sanctis custodit virginitatem, in aliis

---

[1]) Non solum ex intima Ecclesiae cum Christo capite conjunctione fluunt omnes ejusdem praerogativae, ut jam supra innuimus, sed etiam »tamquam caput, inquit Scheeben Mysterien § 57, elevat Deus incarnatus genus universum ad immensam, incomprehensibilem sublimitatem dignitatis, vitae et operationis (a fortiori ergo Ecclesiam ei jam actu intime unitam), et hac ipsa dignitatis sublimitate, ad quam provehit humanum genus, par illud reddit ad omnes supplendos ejusdem defectus explendasque lacunas, quae vel ex naturali vilitate vel ex proprio lapsu obortae sunt etc.«; quod fusius dein illustrat et probat. Ex hac conjunctione plenius etiam explicatur munus mediatoris, quo Christus fungitur universum mundum Patri subjiciens et ad Patrem revocans, ut Deus sit omnia in omnibus (1. Cor. 15, 24 ss.). Nam omnia visibilia revocantur ad hominem, qui hujus mundi aspectabilis est finis, centrum, corona et apex; humanum vero genus, quod in se recepit redemptionis fructus nec rebelle exsistit Deo mundum sibi in Christo reconcilianti, recapitulatur et revocatur tamquam corpus mysticum ad Christum caput et per Christum Deo conjungitur; et vicissim ex Deo per Christum omni benedictione coelesti donamur, quae redundabit vel in naturam visibilem: nam et haec vanitati subjecta per Adami lapsum revelationem filiorum Dei exspectat, et ipsa liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei (Rom. 8, 19 ss.). Hinc jam assequemur sensum illius effati apostolici: *Omnia vestra sunt; vos autem Christi; Christus autem Dei* (1. Cor. 3, 22).

[2]) Serm. 267 n. n. Similia habet s. 268 n. 2; in Ps. 130 n. 6. In eundem sensum scribit auctor expositionis in Ps. poenit. 5. n. 1 (Gregorius M. vel forte Gregorius VII): »Christus itaque cum tota sua Ecclesia sive quae adhuc versatur in terris, sive quae cum eo jam regnat in coelis, una persona est. Et sicut est una anima, quae diversa corporis membra vivificat, ita totam simul Ecclesiam unus Spiritus s. vegetat et illustrat. Sicut namque Christus, qui est caput Ecclesiae, de Spiritu s. conceptus est, sic s. Ecclesia, quae corpus ejus est, eodem Spiritu s. repletur, ut vivat; ejus virtute firmatur, ut in unius fidei et caritatis compage subsistat . . . Istud est corpus, extra quod non vivificat spiritus. Unde dicit b. Augustinus: Si vis vivere de Spiritu Christi, esto in corpore Christi (tract. in Joan. 26). De hoc spiritu non vivit haereticus, non vivit schismaticus; non vivit excommunicatus; non enim sunt de corpore. Ecclesia autem spiritum vivificantem habet, quia capiti suo Christo inseparabiliter adhaeret.« Cf. P. Damianus opusc. VI. c. 15; Thomas expos. in symb. apost. n. 31.

sanctis custodit pudicitiam conjugalem, in aliis hoc, in aliis illud; singuli propria operantur, sed pariter vivunt. Quod autem anima est corpori hominis, hoc est Spiritus s. corpori Christi, quod est Ecclesia; hoc agit anima in omnibus membris unius corporis.«

306. Infert **2.** s. doctor, *extra Ecclesiam non esse salutem*[1]). „Sed videte, quid caveatis, prosequitur l. c., videte quid observetis, videte quid timeatis. Contingit, ut in corpore humano, imo de corpore aliquod praecidatur membrum, manus, digitus, pes; numquid praecisum sequitur anima? Cum in corpore esset, vivebat; praecisum amittit vitam. Sic et homo christianus catholicus est, dum in corpore vivit; praecisus, haereticus factus est, membrum amputatum non sequitur spiritus. Si ergo vultis vivere de Spiritu s., tenete caritatem, amate veritatem, desiderate unitatem, ut perveniatis ad aeternitatem.“

Idem urget adversus donatistas[2]): „Dicit Christus et Psalmus i. e. Spiritus Dei: *Latum mandatum tuum valde*[3]), et nescio quis ponit in Africa fines caritatis! Extende caritatem per totum orbem, si vis Christum amare, quia membra Christi per orbem jacent. Si amas partem, divisus es; si divisus es, in corpore non es; si in corpore non es, sub capite non es. Quid prodest, quia credis et blasphemas? Adoras illum in capite, blasphemas in corpore. Amat ille corpus suum. Si tu te praecidisti a corpore ipsius, caput non se praecidit a corpore suo. Sine causa me honoras, clamat tibi caput desuper, sine causa me honoras. Tamquam si velit tibi aliquis osculari caput, et calcare tibi pedes, forte caligis clavatis contereret pedes tuos volens tibi tenere caput et osculari; nonne inter verba honorantis clamares et diceres? Quid facis homo? calcas me. Non diceres: Calcas caput meum, quia caput honorabat; sed plus clamaret caput pro membris calcatis, quam pro se, quia honorabatur. Nonne clamat ipsum caput: Nolo honorem tuum, calcare me noli? Jam tu dic, si potes: Quare te calcavi? Dic illud capiti: Te osculari volui, amplecti volui. Sed non vides, o stulte, quia quod vis amplecti, per quandam compagem unitatis pervenit ad id, quod calcas? Susum me honoras, jusum me calcas. Plus dolet, quod calcas, quam gaudet quod honoras, quia quod honoras dolet pro eis, quos calcas etc.«

307. Nec praetermittere licet **3.** aliud praeclarum corollarium practicum, quod inde infert s. doctor[4]) et cum ipso Alcuinus[5]) scribens: „Accipimus ergo et nos Spiritum sanctum, si amamus Ecclesiam, si caritate compaginamur, si catholico nomine et fide gaudemus. Igitur quantum quisque amat Ecclesiam Christi, tantum habet Spiritum sanctum. Habemus ergo

---

[1]) Cf. de unitate Eccl. n. 49; tr. 27 in ev. Joan. n. 6; tr. 1 in Ep. Joan. n. 12; ep. ep. 185 n. 42: „Nemo potest esse justus, quamdiu fuerit ab unitate hujus corporis separatus. Quemadmodum enim membrum, si praecidatur ab hominis vivi corpore, non potest tenere spiritum vitae; sic homo, qui praeciditur de Christi justi corpore, nullo modo potest spiritum tenere justitiae, etiamsi figuram membri teneat, quam sumpsit in corpore.“ Quod repetit n. 50.

[2]) Tr. 10 in ep. 1. s. Joan. n. 3. [3]) Ps. 118, 96.

[4]) Tract. 32. in Joan. n. 8. [5]) In Joan. l. 4. c. 18.

Spiritum sanctum, si amamus Ecclesiam; amamus autem, si in ejus compage et caritate consentimus[1]).« Hinc etiam quo quis spiritualior i. e. magis plenus Spiritu sancto, quo sanctior, eo melius erit Ecclesiae membrum, eo magis catholicus, eo ardentiori zelo et amore feretur in Ecclesiam, quod sanctorum vita praeclare confirmatur.

308. *Ecclesiae praestantia.* — Ex dictis consequitur 4. quanta secundum patres dignitas et praestantia sit Ecclesiae; tanta scil. ut toto coelo praecellat quamlibet societatem civilem vel mere humanam; ut verissime dici possit et debeat templum sanctissimum Dei vivi, in quo adimpleatur illa Dei promissio[2]): *Quoniam inhabitabo in illis et inambulabo inter eos et ero illorum Deus et ipsi erunt mihi populus.* Per Ecclesiam Christus sicut caput per corpus humano generi semper adest benefaciens, docens, sanans, redimens, gratiarum copias diffundens. Quare nil mirum, quod patres in vindicandis Ecclesiae juribus tam fuerint solliciti, nec detrectarent pro illorum custodia et defensione sanguinem profundere[3]); nec aliunde oritur pruritus ille Ecclesiam subjiciendi societati civili, quam quod animalis homo non percipiat ea, quae sunt Spiritus Dei. Et hinc profecto est, quod sicut judaei Christum, qui homo videbatur (quod quidem erat, sed non solum), odio implacabili persequebantur ac demum cruci affixerunt, *quia Patrem suum dicebat Deum aequalem se faciens Deo* (Joan. 5, 18): ita et Ecclesiae hostes ferre non possunt, quod ea, cum speciem prae se ferat societatis humanae, se subtrahat in suis negotiis jurisdictioni civili, tantam sibi vindicet auctoritatem, tanta loquatur libertate, tantam exerceat in animas fidelium potestatem; eamque omni conatu societati civili subjicere nitantur. Non enim minori ac judaei coecitate laborant,

---

[1]) Ceterum pleraque corollaria, quae deduximus ex appellatione ‚corporis Christi,' licet inferre ex praedicato, quo Ecclesia salutatur *sponsa Christi* Eph. 5, 22 ss. coll. Apoc. 21, 2. 9; inde enim patet, inquit Palmieri de rom. P. proleg. § 5, „Christum diligere Ecclesiam tamquam aliquid sui, omniaqne sua bona illi communicare, quod sicut habitudo uxoris ad virum et habitudo similitudinis, honoris, dignitatis communicationisque bonorum, ita Ecclesia, quae sponsa Christi est, similis est Christo ejusque dignitatem participat: haec vero Ecclesiam in ordine supernaturali constituunt, in quo est Christus.«

[2]) Lev. 26, 12. col. 2. Cor. 6, 16.

[3]) Legantur ex. gr. pulcherrimae ep. s. Thomae cantuariensis, qui ep. 130. episcopo londinensi suadenti, ut regi jura Ecclesiae invadenti obsequeretur, inter alia respondet: „In hoc nec tibi, nec alii parco, nec angelo, si descenderit de coelo, sed statim ut audiero talia commonentem, audiet ex me: *Vade retro, satana, non sapis quae Dei sunt* (Matth. 16, 23). Absit a me ista dementia. Avertat a me Deus dementiam istam, ut aliquatenus persuadear aliquibus tergiversationibus inire commercium de Christi corpore, unde ego Judae venditori et dominus meus (rex) judaeis assimiletur emptoribus Christi.«

coelestem Ecclesiae originem, dignitatem, destinationem plane ignorantes: atque ita etiam de corpore Christi impletur, quod de capite est praedictum: *Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum, cui contradicetur* (Luc. 2, 34). Prolixiores forte fuimus, quam compendii angustiae patiantur, sed quia plurimum haec praerogativa confert ad illustrandam Ecclesiae naturam et indolem, brevioribus esse vix licuit.

309. **Demonstratio p. II.** Ex dictis sponte sua sequitur, *Ecclesiam a societate civili et politica secerni.* Quod praeterea patet ex verbis Christi[1]):

---

[1]) Jo. 18, 36. *Non est de hoc mundo* i. e. non est originis et indolis mundanae; non habet finem mundanum, bono scil. aliquo hujus mundi comprehensum armisque propugnandum. Sed ex eo quod Ecclesia non sit originis, indolis, destinationis mundanae, non sequitur eam vel esse extra mundum, vel non posse possidere bona hujus mundi iisque uti ad suum finem supernaturalem, cui demum omnia inservire debent. Sicut ex eo, quod anima humana non sit ex corpore, non sit originis, indolis, naturae materialis, non sequitur, eam esse extra corpus, non uti corpore ac in illud non multiplici modo, sed benefico, influere. Quae paucis ita expressit s. Augustinus tr. 115 in Joan. n. 2: „Non ait: Regnum meum non est in hoc mundo, sed non est *de hoc mundo* . . . non ait: Nunc autem regnum meum non est *hic,* sed non est *hinc;* hic est enim regnum ejus usque in finem seculi.« Quare discrimen inter Ecclesiam et societatem civilem non eo continetur, quod illa curet tantum spiritualia vel aeterna, haec provideat corporibus atque negotiis temporalibus; haec enim theoria nimis separaret in homine ea, quae quamvis sint distincta, disjuncta non sunt. Pariter probari nequit discrimen, secundum quod Ecclesia utitur mediis tantum spiritualibus, societas civilis mediis naturalibus. Nam licet Ecclesia sit societas spiritualis, inde tantum sequitur, eam quoad finem esse spiritualem, non autem quod omnia media, quibus ad finem suum consequendum utitur, sint formaliter spiritualia; ea enim non solum ad finem consequendum quomodocunque idonea esse debent, sed etiam indoli subjecti, quod in finem spiritualem dirigi debebit, accommodata. Sicut homo spiritualis, doctus etc. potest, imo debet uti cibis etiam corporalibus. Quare inepte ad illum textum provocant hostes dominii temporalis s. sedis, in cujus tutelam propositum legimus in schemate cit. de constitut. Eccl. caput (12): „Ut autem romanus pontifex primatus sibi divinitus collati munus, ut par est, adimpleret, iis indigebat praesidiis, quae temporum conditioni et necessitati congruerent. Unde singulari divinae providentiae consilio factum est, ut in tanta secularium principium multitudine et varietate romana quoque Ecclesia temporalem dominationem haberet: quo romanus pontifex summus totius ecclesiae pastor, nulli principi subjectus, supremam universi dominici gregis pascendi regendique potestatem auctoritatemque ab ipso Christo Domino acceptam per universum orbem plenissima libertate exercere, ac simul facilius divinam religionem magis in dies augere, et, quae pro re ac tempore ad majorem totius christianae reipublicae utilitatem pertinere ipse cognosceret, efficacius peragere posset.« Quae expressa sunt ad verba Pii IX. in lit. apostol. 26. Mart. 1860 et in allocut. 20. Junii 1859; qui etiam reprobavit syllabi prop. 26: „Ecclesia non habet nativum ac legitimum jus acquirendi et possidendi; 27: »Sa-

Regnum meum non est de hoc mundo; si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer judaeis; nunc autem regnum meum non est hinc; tum ex appellationibus, quibus passim in divinis literis dicitur *regnum Dei, regnum coelorum, civitas Dei, domus et templum Dei*[1]), quibus appellationibus satis clare designatur, tantum Ecclesiam a societate civili distare, quantum regnum Dei et coelorum a regno mundano, civitas coelestis a terrestri, domus Deo sacra et templum distat a domo profana. Differunt ergo, ut omnia paucis complectamur, **a.** auctore, qui est respectu Ecclesiae ipse Deus caro factus; **b.** origine, neque enim dici potest ita immediate a Deo instituta societas civilis, sicut a Christo Ecclesia; illius enim Deus est tantum auctor, quatenus hominem fecit socialem; **c.** forma, quae in Ecclesia ab ipso auctore est determinata et immutabilis, dum forma societatis politicae multiplici mutationi ab hominum etiam arbitrio pendenti est obnoxia; **d.** ordine, **e.** fine (th. XL), **f.** membrorum qualitatibus, **g.** mediis, **h.** amplitudine, nam Ecclesia destinatione sua est catholica, quae omnes complecti debeat nationes et in unam Christi familiam coadunare, cum societas civilis natura et destinatione sit magis particularis et nationalis, hinc etiam **i.** unicitate, cum Ecclesia unica esse debeat; societates vero politicae multae esse possint; demum **k.** dignitate, ut patet ex modo dictis.

310. **Demonstratio p. III.** *Ecclesiam a schola philosophica distingui* demonstratum censeri potest ex praemissis. Confirmatur praeterea hac ratione: Omnis secta philosophica veritati propagandae non aliter consulit, quam persuasione, quae argumentis et demonstratione veritatis gignitur: nec probitati vitae aliter consulit, quam praeceptis, quae non aliunde vim suum mutuantur, quam ex comperta eorundem honestate, quae voluntatem pelliciat; vel ex sanctione in transgressiones statuta, quam promulgat. Ecclesia vero veritatem docet moresque refingit tamquam potestatem habens divinitus acceptam: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra; euntes ergo docete,* inquit Christus[2]); et iterum[3]): *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos; pro Christo legatione fungimur tamquam Deo exhortante per nos,* ait apostolus[4]); citra periculum erroris, nam Ecclesia est columna et firmamentum veritatis[5]); in docendo Spiritu veritatis regitur et inducitur in

---

cri Ecclesiae ministri romanusque pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi.« Cf. Schrader de unitate romana 1, 43 ss.; et infra n. 563 annot.

[1]) Marc. 1, 14. 15; Matth. 3, 2; Hebr. 10, 21; 1. Cor. 3, 15. Vocatur autem Ecclesia *regnum coelorum* **a.** ratione originis, quae non est naturalis, terrestris, humana: sed sicut nativitas Christi supernaturalis, coelestis, divina Apoc. 21, 2; **b.** ratione paradigmatis, nam expressa est ad regnum Dei in coelis; **c.** ratione finis, quia conducit ad regnum in coelis (Hebr. 13, 14), et hinc hujus est jam initium, semen, praelibatio; **d.** ratione aulae regiae, in qua residet ejus rex, qui jam sedet ad dexteram Patris in excelsis. Quandoque autem hoc nomine designatur Ecclesia triumphans, quandoque militans in terris, praesertim in parabolis, quandoque Ecclesia adaequate pro utroque stadio. Cf. de his appellationibus Passaglia l. 1. c. 3; Patritii de Evang. l. 3. disp. 46.

[2]) Matth. 28, 18 s. [3]) Jo. 20, 21. [4]) 2. Cor. 5, 20.

[5]) 1. Tim. 3, 15.

omnem veritatem[1]). Quare verba ejus non sunt verba hominum, sed verba Dei[2]); nec nituntur sapientia hominum, sed demonstratione Spiritus et virtutis, suumque robur animos commovendi captivandique mutuantur ex efficacia Spiritus multipliciter exterius interiusque se prodentis[3]). Quo etiam factum est[4]), ut Ecclesiae messis semper uberior fuerit fructu cujusvis sectae philosophicae.

Ecclesiam differe quoque a synagoga pariter est evidens; **1.** synagoga fuit typus et umbra, Ecclesia est veritas et antitypus; illa **2.** nec loco fuit universalis, nec tempore debebat esse perpetua: haec est perennis et loco universalis, ut infra videbimus u. 416 s. Illius **3.** auctor fuit Deus per servum i. e. Moysen, hujus per Filium suum unigenitum. Illa **4.** habuit particulam revelationis, haec plenitudinem (Hebr. 1, 1); illi **5.** promissa fuere bona terrena, huic bona supernaturalia et coelestia; illius **6.** sacramenta et sacrificia praebebant tantum sanctitatem legalem et umbratilem, hujus vero sacramenta sanctitatem veram et theologicam; hinc **7.** differunt fine: utriusque quidem finis est salus, sed synagogae mediatus, Ecclesiae immediatus.

311. Thesis XLI[a]. *Ecclesia est societas perfecta.*

Demonstratio. Hac thesi aliud complectimur corollarium, quod ex hactenus disputatis sponte sua consequitur. Porro societas perfecta ea dicitur, quae neque est pars alterius societatis, neque alteri societati subordinatur, sed est sua sibi, independens, in se completa adeoque media ad suum finem sufficientia in semetipsa habet. Assertum vero nostrum[5]) probatur **1.** ex rei natura: Societas enim, quae

---

[1]) Jo. 14, 16. 26. [2]) 1. Thess. 2, 13.

[3]) 1. Cor. 12, 4 ss.

[4]) Cf. de hoc fructus discrimine th. XVII. XIX. et patrum doctrinam apud Thomassinum de incarn. l. 1. c. 12 ss.

[5]) Cf. em. card. Tarquini instit. juris eccles. public. l. 1. c. 1. sect. 2. a. 1. Probationem fusius evolvunt juris canonici periti. Hanc porro veritatem toties aequivalenter professa est Ecclesia, quoties sibi asseruit independentiam a potestate civili adversus jurium suorum invasores; in primis vero tuendam sibi constituit magnus ille libertatis ecclesiasticae assertor Pius IX. Quapropter in schemate constitutionis dogmaticae de Eccl. Christi patrum conc. vaticani examini proposito c. 3. ita legimus: „Docemus autem ac declaramus, Ecclesiae inesse omnes verae societatis qualitates. Neque societas haec indefinita vel informis a Christo relicta est; sed quemadmodum ab ipso suam exsistentiam habet, ita ejusdem voluntate ac lege suam exsistendi formam suamque constitutionem accepit. Neque eadem membrum est sive pars alterius cujuslibet societatis, nec cum alia quavis confusa aut commiscenda; sed adeo in semetipsa perfecta, ut dum ab omnibus humanis societatibus distinguitur, supra eas tamen quam maxime evehatur.« Qua declaratione, ut in adjectis annotationibus advertitur, asseruntur Ecclesiae »verae societatis qualitates contra novatores, qui negant **1.** Ecclesiam esse societatem legalem, i. e. accepisse Ecclesiam ab ipso auctore ac legislatore Christo certam ac definitam constitutionis formam; **2.** Ecclesiam esse societatem perfectam, quae uti pars sive membrum nulli alii insit vel subsit

natura sua suprema est neque ad aliam societatem ordinatur, est perfecta, omniaque proinde media ad finem consequendum necessaria habere in semetipsa debet. Atqui Ecclesia est societas natura sua suprema neque ad aliam societatem ordinatur: quod probatur ex ejus fine supernaturali, qui est adeptio vitae aeternae; hic enim finis utpote hominum ultimus ad alium finem non ordinatur. **2.** Ex absurdis, quae in alia hypothesi sequuntur. Sequeretur enim Christum Dominum Ecclesiae suae sufficienter non providisse, si media ad ejus finem consequendum ab alia societate i. e. a civili penderent: neque haec utpote ordinis naturalis par esset ad suppeditanda media pro consequendo fine supernaturali. Ergo Christus talem Ecclesiae dedit potestatem, quae media omnia ad finem consequendum sufficientia complectatur, id est, societatem perfectam constituit. Ideo etiam Ecclesia passim vocatur a Christo *regnum,* ut ejus independentia et autonomia significetur.

312. Et revera **3.** ita se habent societates, ut ejus potestates. Atqui Ecclesiae potestas est plane independens a quacunque potestate civili. Ergo Ecclesia ab hac est independens ideoque societas perfecta. Probatur propositio minor **a.** ex divinis literis, ex quibus constat, Christum constituisse in Ecclesia magistratus proprios eisque dedisse potestatem plenam et perfectam verbis expressam amplissimis: *Et tibi dabo claves regni coelorum: et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis: et quodcunque solveris super terram erit solutum et in coelis*[1]): quo in textu verbis *quodcunque* etc. significatur potestas omnino amplissima omniaque media ad finem consequendum necessaria complectens, altero autem inciso potestas plane independens a quacunque alia potestate mundana et sociali, quae eam ligare vel impedire posset. Quare Ecclesia est societas autonoma et intra sphaeram suae activitatis a societate civili prorsus independens. Quod etiam **b.** apostoli constanter sua agendi ratione probarunt, ferendo leges[2]), judicando et poenas inferendo[3]) etc. potestate plane independenti.

---

societati, propriamque habeat et a societate civili distinctam ac independentem potestatem; sed affirmant **3.** Ecclesiam esse instar collegii, quod libera hominum coitione et sociis pure aequalibus constat, et cujus constitutio a libera confoederatione proficiscitur; unde dicunt **4.** Ecclesiam subesse veluti partem vel membrum civili societati, et **5.** summam in Christi Ecclesia, quatenus ipsa associatio est, potestatem esse penes civilis imperii majestatem.« Ad catholicam ergo veritatem instantius inculcandam paratus erat canon (10.): »Si quis dixerit, Ecclesiam non esse societatem perfectam, sed collegium, aut ita in civili societate, seu in statu esse, ut seculari dominationi subjiciatur, A. S.«

[1]) Matth. 16, 19. [2]) Act. 15, 28. 41; 1. Cor. 7, 1 ss. [3]) Ib. 5, 1 ss.

Eadem veritas **c.** confirmatur traditionis suffragio (n. 450) theoretico et practico. Et sane saltem primis tribus sec. Ecclesia plane independens erat ab auctoritate civili seque ipsam regebat. Confirmatur **d.** inde, quod potestas Ecclesiae neque directe pendeat a potestate civili, tamquam hujus derivatio quaedam et participatio, est enim supernaturalis, potestas autem civilis naturalis; neque indirecte, ut ex. gr. potestas patria, quae licet immediate sit a Deo, nihilominus tamen in multis obnoxia est potestati civili. Ratio enim hujus dependentiae indirectae est, quod finis quem intendit potestas patria, fini potestatis civilis subordinetur. Atqui finis Ecclesiae non subordinatur fini societatis civilis. Ergo neque dependentia potestatis Ecclesiae indirecta a potestate civili admitti potest. Ad haec **e.** Ecclesiae potestas penderet a principum potestate vel quia sunt principes, vel quia sunt christiani. Non quia sunt principes, nam tunc penderet etiam a potestate principum haereticorum, persecutorum, infidelium etc., quod absurdum est; non quia sunt christiani, nam qua tales, sunt oves, discipuli Ecclesiae. Denique **f.** cum potestas data sit Ecclesiae ad efficiendam fidelium unitatem, Ecclesia vero Christi diffusa sit per plurimas societates sibi saepe inimicas, sequeretur Ecclesiae potestatem pendere a multis sibi contrariis et inter se saepe discordibus principibus. Quo in casu provisum non esset Ecclesiae unitati, sed potius ipsius divisioni et ruinae. Quare omnino tenendum est Ecclesiae potestatem plane independentem esse a potestate civili. Ideoque Ecclesia „societas est genere et jure perfecta, cum adjumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria voluntate beneficioque conditoris sui, omnia in se et per se ipsa possideat.“ Ita Leo XIII[1]).

Merito ergo damnavit Pius IX. prop. 19. syllabi: „Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino fundatore collatis; sed civilis potestatis est definire, quae sint Ecclesiae jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat;“ 20: „Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu;“ 24; 28 (n. 547); 34; 41: „Civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem competit nedum jus, quod vocant Exsequatur, sed etiam jus appellationis quam nuncupant ab abusu;“ 44: „Civilis auctoritas potest sese immiscere rebus, quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent[2])“ etc. Neque obstat praerogativae, qua Ecclesia est perfecta societas, quod ea supponat ordinem socialem indigeatque etiam mediis naturalibus: nam et gratia supponit naturam, anima corpus, intellectus sensum, et fa-

---

[1]) In lit. encycl. 1. Nov. 1885; et infra repetit: „Intelligi debet, Ecclesiam societatem esse non minus quam ipsam civitatem genere et jure perfectam.“

[2]) Plures alios ejusmodi errores damnat quoque in ep. encycl. „Quanta cura“, 8. Dec. 1864 apud Denzinger enchiridion symb. et definitionum n. 1545—47.

milia indiget saepe famulis, rex militibus; neque propterea gratia subjecta est naturae, anima corpori, intellectus sensui, familia servis, militibus rex. Est hic ordo quaedam si vis dependentia praesuppositionis, non vero dependentia juridica et subjectionis.

313. **Scholion.** *Ecclesiae beneficia in humanum genus.* — Licet Ecclesia sit societas perfecta, distincta a societate civili eaque longe praestantior, non tamen propterea consequitur, nullo nexu Ecclesiam et societatem civilem inter se vinciri, nedum Ecclesiam a societate civili esse separandam: damnavit siquidem Pius IX. prop. syllabi 55: „Ecclesia a statu statusque ab Ecclesia est sejungendus.“ Qualis autem sit nexus, ad juris canonici peritos spectat definire. Sufficiat nobis haec de eo advertisse: **1.** Ecclesiam praesupponere jam aliquam societatem, fere sicut revelatio praesupponit rationem, gratia naturam; **2.** ejus influxum in societatem esse admodum beneficum: nam sicut gratia non destruit naturam, sed eam potius perficit et elevat: ita et Ecclesia societati humanae naturali nullatenus adversatur, imo in omnis ordinis socialis cedit commodum, adeo ut quemadmodum de Christo dici potuit: *Pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo* (Act. 10, 38), ita et de Ecclesia repetere liceat: pertransiit secula XIX, gentes regionesque omnes, ordines sociales cunctos, varias hominum conditiones etc. benefaciendo cunctis et sanando omnes. Benefecit enim **a.** singulis hominibus, etiam in ordine naturali, docens homines singulos creatos esse ad Dei imaginem; vocatos, ut sint filii Dei, fratres Christi, heredes regni coelorum; unde plurimum contulit ad abrogandam servitutem[1]), dedecus illud generis nostri (n. 97). Benefecit **b.** speciatim sexui femineo, qui suam dignitatem Ecclesiae debet, cum antea esset et extra Ecclesiam adhuc sit uxor libidinis instrumentum et viri serva. Aucta autem matris dignitate, nobilitavit **c.** ipsam familiam, cujus bonum multiplici alio etiam modo promovit, tutans prolis vitam, urgens ejusdem institutionem, quae fini supernaturali congruat, matrimonii promulgans unitatem et indissolubilitatem[2]). Benefecit **d.** subditis coercendo tyrannidem, quae, ubi nulla est religio, eo usque procedit, ut vel ipsas invadat conscientias: jugiter enim inculcat vocem illam: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus,* et inclamat authentice etiam ipsis principibus vel injusta praecipientibus vel ob potestatem suam insolescentibus et illicita malo subditorum exemplo perpatrantibus: *Non licet* (Matth. 14, 4). Benefecit **e.** regibus, qui inuncti sacro oleo, jam regnant gratia Dei ac vices gerunt Dei (Rom. 13, 1). Quocirca rebellionem timere non deberent, si Ecclesiae servaretur doctrina; nam quo magis sacra est auctoritas publica, eo firmior est pax socialis[3]).

---

[2]) Quam dira haec olim fuerit, erudite ostendit Allard in op. Les esclaves chrétiens depuis les premiers temps de l'Eglise jusqu' à la fin de la domination romaine en Occident, Parisiis 1876., de quo cf. Katholik 1877. II, 282 ss.

[3]) Cf. Weiss Apologie I. diss. 11; diss. 13 § 20 ss.; III. d. 1. § 4, uti ad rem inculcat: „Sie zähmt die Unzufriedenen, sie mildert die Hartherzigen, sie macht die Mächtigen weich, die Schwachen stark, die Armen genügsam, die Reichen schonungsvoll und mittheilsam.“

[3]) Cf. Leonis XIII. lit. encycl. 10. Febr. 1880, in qua disserens de praestantissimis incarnationis beneficiis, subjicit: „Quo vero tam singularia beneficia,

Benefecit **f.** maxime miseris omnis generis, pauperibus, orbis, expositis, infirmis, leprosis, viduis, senibus, carcere detentis[1]), mente captis: nam promulgando legem evangelicam dilectionis, qua tenemur proximum diligere sicut nos ipsos, et demonstrando in pauperibus ipsum Christum, cui in illis benefacimus, fideles ad omne beneficentiae genus provocat. Quare historia Ecclesiae dici potest historia beneficientiae publicae. Benefecit **g.** hominibus omni vitio et sceleri deditis, quos a morbis animi sanavit; benefecit gentibus barbaris, quas ad vivendi rationem humanam et moralem revocavit, imo ad vitam innocentem omnibusque virtutibus ornatam provexit, atque ita promovit cultum atque institutionem publicam. Benefecit Ecclesia **h.** artibus liberalibus, quas cultui divino mancipans propter sublimitatem hujus cultus spiritu vitaque donavit[2]). Benefecit **i.** variis disciplinis, quas plurimum promovit[3]). Merito proinde damnavit Pius IX. syllabi prop. 40: „Catholicae Ecclesiae doctrina humanae societatis bono et commodis adversatur.“

Vicissim **3.** ex bono statu societatis civilis multa redundant commoda in ipsam Ecclesiam, sicut quo melius se habet corpus, eo expeditius anima suis operationibus vacare potest[4]). Hinc instans illud Pauli praeceptum,

---

quamdiu essent homines, tamdiu in terris permanerent, Ecclesiam constituit vicariam muneris sui, eamque jussit in futurum prospiciens, si quid esset in hominum societate perturbatum, ordinare, si quid collapsum restituere . . . Societati domesticae et civili mirum est, quantum dignitatis, quantum firmitudinis et honestatis accesserit (per religionem christianam). Aequior et sanctior effecta principum auctoritas; propensior et facilior populorum obtemperatio; arctior civium conjunctio; tutiora jura dominii. Omnino rebus omnibus, quae in civitate habentur utiles, religio christiana consuluit et providit; ita quidem, ut auctore s. Augustino, plus ipsa afferre momenti ad bene beateque vivendum non potuisse videatur, si esset parandis vel augendis mortalis vitae commodis et utilitatibus unice nata.“ Quibus gemina habet in lit. encycl. 1. Nov. 1885. Legantur s. Augustini verba aurea de moribus Eccl. cath. c. 30 opusc. XXVII. et quae scribit ep. 138 ad Marcellinum n. 15: „Qui doctrinam Christi adversam dicunt esse reipublicae, dent exercitum talem, quales doctrina Christi esse milites jussit; dent tales provinciales, tales maritos, tales conjuges, tales parentes, tales filios, tales dominos, tales servos, tales reges, tales judices, tales denique debitorum ipsius fisci redditores et exactores, quales esse praecepit doctrina christiana, et audeant eam dicere adversam esse reipublicae: imo vero non dubitent eam confiteri magnam, si obtemperetur, salutem esse reipublicae.“

[1]) Cf. Krauss, Die Gefangenen und die Verbrecher unter dem Einflusse des Christenthums, Heidelbergae 1889.

[2]) Cf. Bohle, Katholik 1889. II, 561 ss.

[3]) Cf. de hoc themate Balmes, der Protestantismus verglichen mit dem Katholicismus; Hettinger Apol. des Christenth. t. 2. p. 2. disp. 10. s.; Wiseman christl. Kunst in op. Abhandl. über verschiedene Gegenstände 3, 303—337; Baluffi, La chiesa romana riconosciuta alla sua carità verso il suo prossimo per la vera chiesa di Gesù Christo, Imola 1854; Lachaud La civilisation ou les bienfaits de l'Eglise; Schanz Apologie III, § 15.

[4]) „Etenim sicut hominum intelligentia, scribit Leo XIII. in lit. prior. cit., si cum fide christiana conveniat, multum nobilitatur multoque evadit ad vitandos

ut oretur pro regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt, *ut quietam et tranquillam vitam agamus* (1. Tim. 2, 2). **4.** Eo ipso, quod Ecclesia intendat finem altiorem ab omnibus hominibus ex Dei voluntate obtinendum, patet, ita ordinandam esse societatem civilem, ut Ecclesiae fini non adversetur, hunc proinde praelucere debere reipublicae moderatoribus[1]): quo sensu verissime scripsit s. Leo M. ad cognominem imperatorem: „Debes incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam (ep. 75).« Et Leo XIII. docet[1]): „Civilem igitur societatem communi utilitati natam in tuenda prosperitate reipublicae necesse est sic consulere civibus, ut obtinendo adipiscendoque summo illi atque incommutabili bono, quod sponte appetunt, non modo nihil importet unquam incommodi, sed omnes quascunque possit opportunitates afferat. Quarum praecipua est, ut detur opera religioni sancte inviolateque servandae, cujus officia hominem Deo conjungunt« etc. Quare **5.** jure damnatae sunt a Pio IX. syllabi prop. 42: „In conflictu legum utriusque potestatis, jus civile praevalet; 54. Reges et principes non solum ab Ecclesiae jurisdictione eximuntur, sed etiam in quaestionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia; 57: Philosophicarum rerum morumque scientia, itemque civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare.«

314. **Thesis XLII.** ***Ecclesia ad salutem obtinendam ita est necessaria, ut qui extra eam propria constituti culpa ex hac vita decedunt, salutem nequeant obtinere.***

Declaratio. Dogma, quo profitemur: *extra Ecclesiam non esse salutem,* saepius ab Ecclesia fuit proclamatum et inculcatum. Illud enim inculcant Pius IX. in lit. encyclicis 10. Aug. 1863; in allocut. 9. Dec. 1854; Gregorius XVI. in brevi 27. Maji 1832 ad episc. Bavariae de matrimoniis mixtis et in instruct. ad eosdem 12. Sept. 1834; Eugenius IV. in decreto pro jacobitis; Innocentius III. in professione waldensibus praescripta et cum ipso conc. lateranense IV, quod cap. ‚Firmiter' docet: „Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur;" et aliis omissis jam conc. cirtense (a. 412) in ep. synodica (inter ep. s. Augustini 141, quam ipse conscripsit) statuit: „Quisquis ab hac catholica Ecclesia fuerit separatus, quan-

---

ac repellendos errores munitior, vicissimque fides non parum praesidii ab intelligentia mutuatur; sic pariter, si cum sacra Ecclesiae potestate civilis auctoritas amice congruat, magna utrique necesse est fiat utilitatis accessio. Alterius enim amplificatur dignitas, et, religione praeeunte, nunquam non erit justum imperium; alteri vero adjumenta tutelae et defensionis in publicum fidelium bonum suppeditantur.« Et in aliis literis encycl. approbat haec Ivonis carnot. ad Paschalem II. verba (ep. 238): »Cum regnum et sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret et fructificat Ecclesia. Cum vero inter se discordant, non tantum parvae res non crescunt, sed etiam magnae res miserabiliter dilabuntur.« Cf. Mazzella disp. 3. a. 9. 10; Palmieri th. 21.

[1]) In lit. enc. 1. Nov. 1885. Cf. Gregorius M. ad Mauritium imp. II, 65.

tumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod a Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum." Neque ab hoc dogmate, quamdiu praescinditur a quaestione, quaenam sit haec Ecclesia, abhorrent protestantes, saltem vetustiores [1]).

315. *Quo sensu, extra Ecclesiam non sit salus.* — Ne cui vero hoc dogma durum videatur, advertimus **1.** neque injustum, neque durum censendum esse, si Deus ad consequendam felicitatem supernaturalem, ideoque plane indebitam, conditionem aliquam adimplendam omnibus praescribat, uti est ingressus in Ecclesiam a se institutam; **2.** posse aliquem ad Ecclesiam actu vel etiam solum voto et animi dispositione pertinere, si quis scil. extra Ecclesiam veram, quam ignorat, constitutus ita animo sit dispositus, ut firmum habeat propositum faciendi omnia, quae Deus constituit ad assequendam salutem. In hoc enim proposito generali omnibus hominibus per gratiam possibili et, si vere velint salvi fieri, omnino necessario implicite latet et illud speciale ingrediendi Ecclesiam veram, mox ac illam certo cognoverit. **3.** Nos non loqui de iis, qui re quidem sunt extra Ecclesiam, sed voto ad eam spectant; hi enim salvari possunt; quod si non salvantur, non propterea damnantur, quod fuerint extra Ecclesiam [2]),

---

[1]) Cf. Fratres Walenburch de unit. fidei c. 7. 18, qui afferunt ad 21 testimonia ex confessionibus fidei, catechismis etc. protestantium descripta; Winer p. 169 s.; Deby, die eine wahre Kirche p. 296 ss.; Hettinger t. 2. § 4.

[2]) Hinc Ecclesia damnavit prop. inter bajanas 68: „Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est." Ad rem omnino sunt verba schematis cit. de Ecclesia Christi c. 7: „Porro dogma fidei est, extra Ecclesiam salvari neminem posse. Neque tamen, qui circa Christum ejusque Ecclesiam invincibili ignorantia laborant, propter hanc ignorantiam poenis aeternis damnandi sunt, cum nulla obstringantur hujusce rei culpa ante oculos Domini, qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, quique facienti, quod in se est, non denegat gratiam, ut justificationem et vitam aeternam consequi possit; sed hanc nullus consequitur, qui a fidei unitate vel ab Ecclesiae communione culpabiliter sejunctus ex hac vita decedit. Si quis in hac arca non fuerit, peribit regnante diluvio." Gemina legimus in literis encyclicis Pii IX. „Quanto conficiamur" 19. Augusti 1863: „Notum est, eos, qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantia laborant quique naturalem legem ejusque praecepta in omnium cordibus a Deo insculpta sedulo servantes ac Deo obedire parati, honestam rectamque vitam agunt: posse divinae lucis et gratiae operante virtute, aeternam consequi vitam, cum Deus, qui omnium mentes, animas, cogitationes habitusque plane intuetur, scrutatur et noscit, pro sua bonitate et clementia minime patiatur quempiam aeternis puniri suppliciis, qui voluntariae culpae reatum non habeat. Sed notissimum quoque est catholicum dogma, neminem scilicet extra catholicam Ecclesiam posse salvari."

sed propter peccata propria poenitentia non retractata. Quare **4.** de illis loquimur, qui vel veram Ecclesiam cognoscentes nolunt eam ingredi, vel culpabili negligentia (cujus solus Deus judex est) non curant veram invenire Ecclesiam eamque ingredi; qui proinde, ut dici solet, non sunt bona, sed mala fide extra Ecclesiam.

316. **Demonstratio.** Dogma hoc sequitur **1.** per modum corollarii ex dictis n. 306. Nam nemo salvatur, nisi qui est Christi: nemo enim venit ad Patrem nisi per Christum, cum ipse sit *via, veritas et vita* [1]); nemo salvatur, nisi sit filius Dei, nam *si filii, et heredes*[2]). Atqui *si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus;* neque filius est Dei, nam *quicunque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*[3]). Ergo qui Spiritum Christi non habet, nequit salvari. Atqui Spiritum Christi nullum membrum a corpore sponte sua praecisum et a corpore se subtrahens habet; Ecclesia vero corpus est Christi. Membra ergo ab Ecclesia praecisa quaeque se ab Ecclesia subtrahunt, Spiritu Christi ideoque et spe salutis carent. Quo argumento libenter utitur Augustinus (n. 306). Sequitur **2.** ex dictis de fine Ecclesiae (th. XL). Ideo enim Christus Ecclesiam instituit, ut in ea et per eam suam continuaret oeconomiam. Sicut ergo judaei Christum nolentes excipere, audire, sequi, salute exciderunt: ita qui Christum in Ecclesia et per Ecclesiam docentem non audit, peccata condonantem reverenter non excipit, praecipientem negligit, salutem nequit sperare: hinc illa verba Christi gravissima: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*[4]). Probatur **3.** ex eo, quod ad salutem est necessarium fide theoretica et practica complecti omnia. quae Evangelio continentur. Debet enim homo **a.** credere: *Praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit* (sane Evangelium a vobis praedicandum) *et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur*[5]). Debet **b.** credere omnia, scil. Evangelium qua late patet, ut patet ex textu citato, et Christus se explicans addit in loco parallelo[6]): *Docentes eos*

Ne vero quis putet hac concessione minui zelum animarum, inferatque inde melius fore, si ii, qui extra Ecclesiam sunt, in bona relinquantur fide: advertatur **1.** hos, quamvis absolute possint salvari, longe tam difficilius salutem consequi, eo quod destituantur tot salutis mediis, quae in sola vera habentur Ecclesia, ut sacramento poenitentiae etc.; **2.** non tamen facile supponi debere bonam fidem, cum humani cordis malitia sit inscrutabilis, quae saepius gratiae vocanti resistit, quam putetur. Deinde **3.** Ecclesiam teneri omnium procurare salutem propter praeceptum Domini: *Docete omnes* Matth. 28, 19; *Praedicate Evangelium omni creaturae* Marc. 16, 15.

[1]) Jo. 14, 6. [2]) Rom. 8, 17. [3]) Ib. 8, 9. 14.

[4]) Matth. 18, 17. [5]) Marc. 16, 15.

[6]) Matth. 28, 20. Conciliari etiam nequit cum genuina fidei divinae notione,

servare omnia, quaecunque mandavi vobis. Unde liquet etiam **c.** eum debere fide practica omnia complecti, quaecunque Christus mandavit; *fides* enim *si non habeat opera, mortua est in semetipsa*[1]). Atqui profiteri fide theoretica et practica, quae Christus docuit, idem est ac esse Ecclesiae membrum: nam Ecclesia est coetus fidelium, qui regitur, fovetur, animatur fide Christi. Deinde inter ea, quae Christus docuit, ideoque tenenda sunt, legimus haec et similia: *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus; qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit*[2]). Ergo extra Ecclesiam non est salus[3]). Quod argumentum alia quoque ratione proponi potest: Ad salutem necessaria est fides; sed de ratione fidei est subjectio sub Ecclesiae magisterio, quod idem est ac esse membrum Ecclesiae docile (cf. etiam n. 161. 360 s.). Ergo extra Ecclesiam non est salus. Quod **4.** etiam jam praedictum dici potest in V. T. In vaticiniis enim prophetarum ii tantum exhibentur benedictionis per Messiam afferendae ideoque salutis participes, qui spectaturi sunt ad novum Israel, accessuri ad montem Sion, adhaesuri regno Messiae, aggregandi ejusdem foederi[4]). Atqui hoc novum foedus iniit Messias per Ecclesiam, quae est regnum in terris, verus mons Sion, mater fecunda Israel spiritualis. Extra ipsam ergo salus non est speranda.

317. Probatur **5.** ex *practica* totius antiquitatis *traditione,* quae se semper prodidit operariorum evangelicorum zelo, cujus jam apostoli luculentum in se praebuerunt exemplum[5]); detestatione haereticorum et schismaticorum, anathemate in eos dicto, quod durum esset et injustum, imo contra omnem charitatem christianam, si illi in statu versarentur salutis; dolore et tristitia de membris ab Ecclesia separatis orationibus pro eorum conversione etc.

---

ut quis (scienter) aliqua ex revelatis nolit admittere. Vel enim credit propter auctoritatem divinam, vel non credit propter eam. Si hoc, fides non est divina, ideoque neque salutifera; si illud, tunc fides ejus se extendere debet ad omnia ea, quae substant illi motivo seu ad omnia ea, ad quae se extendit revelatio christiana. Non enim moveor vere auctoritate divina ad credendum, nisi omnia amplectar, quae illa mihi revelat.

[1]) Jac. 2, 17; cf. v. 24. 26.

[2]) Luc. 10, 16; cf. Matth. 10, 14 s.

[3]) Hinc Lactantius l. 4. c. 3: „Sola est catholica Ecclesia, quae verum cultum retinet. Hic est fons veritatis, hoc est domicilium fidei, hoc templum Dei, quo si quis non intraverit vel a quo si quis exierit, a spe vitae et salutis aeternae alienus est.«

[4]) Cf. Abd. 17, 18; Js. 2, 2. 3; 60, 11. 12; Jer. 31, 31 ss. etc.

[5]) Cf. Rom. 9, 3; 1. Cor. 4, 9 ss.; 2. Cor. 11, 23 ss.

318. Probatur **5.** ex *fide theoretica totius antiquitatis,* nam **a.** patres hanc veritatem disertis gravissimisque inculcant verbis, inter quos eminent Cyprianus et Augustinus. Illius liber aureus de unitate Ecclesiae totus huc spectat, ubi inter alia ita habet n. 6: »Quisquis ab Ecclesia segregatus adulterae jungitur, a promissis Ecclesiae separatur: nec perveniet ad Christi praemia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est... Hanc unitatem qui non tenet, Dei legem non tenet, non tenet Patris et Filii fidem, vitam non tenet et salutem.« Augustinus vero eam instanter adversus donatistas tuetur. Ita ex. gr. disserit in sermone habito ad caesariensis ecclesiae plebem, Emerito episcopo donatista praesente, n. 6: »Extra Ecclesiam catholicam totum potest (habere Emeritus) praeter salutem. Potest habere honorem, potest habere sacramentum, potest cantare alleluja, potest respondere Amen, potest Evangelium tenere, potest in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti fidem et habere et praedicare; sed nusquam nisi in Ecclesia catholica salutem poterit invenire.« Inculcant **b.** patres hanc veritatem axiomate, quod ita enunciat Cyprianus l. c. »Habere jam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem[1]);« vel **c.** eam illustrant typis scil. arcae Noë, extra quam nemo salvatus est diluvii tempore, et domus Rahab, extra quam tempore expugnationis urbis Jericho nemini parcebatur. »Si quis, inquit s. Fulgentius[2]), aut de Ecclesia baptizatus egreditur, aut extra Ecclesiam in Patris et Filii et Spiritus sancti nomine baptizatur, si ante finem praesentis vitae non fuerit catholicae restitutus Ecclesiae, non carebit morte, sed requie;

---

[1]) Cf. Augustinus serm. 92 in bibl. n. PP. t. I. ed. Mai, et serm. 2. in Ps. 88. n. 14., ubi ita pulcherrime hoc evolvit axioma: »Amemus Dominum Deum nostrum, amemus Ecclesiam ejus: illum sicut patrem, istam sicut matrem; illum sicut Dominum, hanc sicut ancillam ejus; quia filii ancillae ipsius sumus. Sed matrimonium hoc magna caritate compaginatur; nemo offendit unum et promeretur alterum. Nemo dicat: Ad idola quidem vado, arreptitios et sortilegos consulo, sed tamen Dei Ecclesiam non relinquo, catholicus sum. Tenens matrem, offendisti patrem. Alius item dicit: Absit a me, non consulo sortilegum, non quaero arreptitium, non quaero divinationes sacrilegas, non eo ad adoranda daemonia, non servio lapidibus: sed tamen in parte Donati sum. Quid tibi prodest non offensus Pater, qui offensam vindicat matrem? Quid prodest, si Dominum confiteris, Deum honoras, ipsum praedicas, Filium ejus agnoscis, sedentem ad Patris dexteram confiteris, et blasphemas Ecclesiam ejus? Non te corrigunt exempla humani conjugii? Si haberes aliquem patronum, cui quotidie obsequereris, cujus limina serviendo contereres, quem quotidie non dico salutares, sed adorares, cui impenderes fidelia obsequia, si unum crimen de ejus conjuge diceres, numquid domum ejus intrares? Tenete ergo carissimi, tenete omnes unanimiter Deum patrem et matrem Ecclesiam.« Cf. etiam auctor l. 4. de symbolo inter Augustini op. n. 13.

[2]) De remiss. pecc. I, 20. Cf. patrum doctrinam opusc. III, 218. Hinc protestans Lange in op. Beiträge zur ältesten Kirchengeschichte lect. 2: »Das Dogma von einer alleinseligmachenden Kirche ist eben so alt, als die Dreieinigkeitslehre, ja es lässt sich eben so gut durch dogmatische Erklärung einzelner Schriftstellen als Lehre des Evangeliums rechtfertigen.«

quia et tempore diluvii, si quis in arcam Noë non est ingressus, non est salvatus diluvio, sed necatus, nec salutem invenit in aqua, sed mortem. Aqua quippe illa, in qua praefigurabatur baptismatis sacramentum, quoscunque in arca reperit, a terra suspensos ad coelestia sublimavit; residuos autem oppressos occidit, quos foris invenit. Et pereunte Hiericho, si quos domus Rahab meretricis inclusit, incolumes Jesus servare praecepit (Jos. 6, 25); reliquos vero, quos illa non continebat domus, unius mortis consumpsit interitus. In illa igitur arca et in illa domo una eademque praefigurabatur Ecclesia.« Tandem **6.** certum est eum, qui peccati alicujus letalis reus moritur, salutem non consequi. Atqui ex sententia totius antiquitatis (n. 402), imo ipsius Christi Matth. 18, 17., gravissimum crimen est separatio voluntaria ab Ecclesia. „Tales etiamsi occisi, inquit Cyprianus[1]), in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur. Inexpiabilis et gravis culpa discordiae nec passione purgatur. Esse martyr non potest, qui in Ecclesia non est... Ardeant licet flammis et ignibus traditi vel objecti bestiis animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed poena perfidiae; nec religiosae virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest.«

319. **Corollaria.** Ex dictis in praecedenti thesi sequitur **1.** Ecclesiam esse societatem necessariam, quam homines ex praecepto divino ingredi tenentur, neque esse in hominis arbitrio utrum velit eidem se adjungere necne; ideoque **2.** a doctrina Christi abhorrere axiomata illa indifferentium, ad salutem sufficere honeste vivere, naturae legem observare; quemlibet in sua salvari posse secta, neminem in sua inquietandum esse professione religiosa[2]) etc. Merito proinde damnavit Pius IX. syllabi prop. 15: „Liberum cuique homini est, eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit. 16: Homines in cujusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire aeternamque salutem assequi possunt. 17: Saltem bene sperandum est de aeterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur[3]). 18: Protestantismus non aliud est

---

[1]) L. c. n. 14; cf. n. 17. 19; Optatus milev. l. 1. n. 21.

[2]) Quod mirum est, vel Franciscus Oberthür in sua idea biblica Ecclesiae Dei, Solisbaci 1828 p. 65 affirmat: „Ut salutem quis adipiscatur non interesse, cujus Ecclesiae sit membrum, sed quam justus.« Ceterum ejusmodi axiomata reperiuntur jam apud veteres haereticos. Ita Appelles teste Rhodone apud Eusebium H. E. l. 5. c. 13 asserebat non esse omnino examinandam fidem, sed unumquemque in eo, quod semel imbibisset, perstare oportere. Quippe eos, qui in crucifixo spem suam collocassent, esse servandos affirmabat, dummodo in bonis operibus deprehenderentur.

[3]) Licet haec propositio sit damnata, non propterea obligamur ad judicandum, omnes qui extra Ecclesiam (visibilem) moriuntur, esse damnatos, ut patet ex thesis expositione: sed damnatur illa sentiendi ratio, qua ad salutem indifferens censetur, cujus quis fuerit confessionis religiosae, seu qua putatur deliberata separatio ab Ecclesia catholica non esse obstaculum ad consequendam salu-

quam diversa verae ejusdem christianae religionis forma, in qua aeque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est. 77: Aetate hac nostra non amplius expedit, religionem catholicam haberi tamquam unicam status religionem, ceteris quibuscunque cultibus exclusis. 78; 79: Enimvero falsum est, civilem cujusque cultus libertatem itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populorum mores

---

tem, vel eos, qui extra Ecclesiam versantur, aequali facilitate ac Ecclesiae membra posse consequi salutem. Pro praxi duo bene notentur: **1.** cum nostrum non sit quemquam dijudicare, misericordia vero Dei sit infinita, non licet de ullo homine in concreto peremptorie affirmare, eum esse damnatum, licet extra Ecclesiae corpus vel mox post actum peccaminosum moriatur. **2.** Cum judicia Dei sint inscrutabilia, cor autem hominis pravum, quod saepius resistit Dei gratiae quam putatur; non statim canonizandi sunt qui extra Ecclesiam ad speciem duxerunt honestam vitam et extra illam moriuntur: sed tutissimum est totum relinquere Dei judicio, quod certe justissimum est. Aurea sunt nec ullatenus praetermittenda verba magni Pii IX. occasione hujus propositionis a se damnatae prolata in alloc. 9. Dec. 1854: „Errorem alterum, ita ille, nec minus exitiosum aliquas catholici orbis partes occupasse non sine moerore novimus animisque insedisse plerumque catholicorum, qui bene sperandum de aeterna illorum omnium salute putant, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur. Idcirco percontari saepenumero solent, quaenam futura post obitum sit eorum sors et conditio, qui catholicae fidei minime addicti sunt, vanissimisque adductis rationibus responsum praestolantur, quod pravae huic sententiae suffragetur. Absit, Venerabiles Fratres, ut misericordiae divinae, quae infinita est, terminos audeamus apponere; absit, ut perscrutari velimus arcana consilia et judicia Dei, quae sunt abyssus multa, nec humana queunt cogitatione penetrari. . . . Tenendum quippe ex fide est, extra apostolicam romanam Ecclesiam salvum fieri neminem posse, . . . sed tamen pro certo pariter habendum est, qui verae religionis ignorantia laborent, si ea sit invincibilis, nulla ipsos obstringi hujusce rei culpa ante oculos Domini. Nunc vero quis tantum sibi arroget, ut hujusmodi ignorantiae designare limites queat juxta populorum, regionum, ingeniorum aliarumque rerum tam multarum rationem et varietatem? Enimvero cum soluti corporeis hisce vinculis videbimus Deum sicuti est, intelligemus profecto, quam arcto pulchroque nexu miseratio ac justitia divina copulentur; quamdiu vero in terris versamur mortali hac gravati mole, quae hebetat animam, firmissime teneamus ex catholica doctrina unum Deum esse, unam fidem, unum baptisma; ulterius inquirendo progredi nefas est. Ceterum prout charitatis ratio postulat, assiduas fundamus preces, ut omnes quaquaversus gentes ad Christum convertantur, communique hominum saluti pro viribus inserviamus, neque enim abbreviata est manus Domini, gratiaeque coelestis dona nequaquam illis defutura sunt, qui hac luce recreari sincero animo velint et postulent. Hujusmodi veritates defigendae altissime sunt fidelium mentibus, ne falsis corrumpi queant doctrinis eo spectantibus, ut religionis foveant indifferentiam, quam ad exitium animarum serpere latius videmus ac roborari.“ Cf. contra indifferentismum ejusdem ep. encycl. ‚Quanta cura‘ 8. Dec. 1864 et Gregorii XVI. ep. encycl. 15. Aug. 1832. (apud Denzinger n. 1473. 1540).

animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam.“ Sequitur **3.** quemlibet, qui se extra veram Ecclesiam constitutum cognoverit, teneri, eam inquirere et ingredi, nisi salutis jacturam facere velit. Sequitur **4.** absurde illos sentire, qui sub praetextu quasi doctrina haec duritiem crudelitatemque oleat, silentio eam pressam vellent. Dummodo enim illam rite intelligerent, nullam in ea reperirent duritiem, imo rationi plane consonam esse perspicerent.

320. Sequitur **5.** *tolerantiam religiosam esse impiam* et absurdam. Non loquimur de tolerantia politica, qua princeps civilis non prohibet, ideoque permittit, ut quilibet eam sequatur religionem, quam vult, et cujus motivum est pax publica, timor fundatus, ne alioquin majora sequantur mala[1]; sed de ea, qua ideo permittuntur variae et contrariae professiones fidei et sectae, et cuilibet plena fit libertas eam sectandi, quae ipsi arriserit, quod omnes professiones et sectae coram Deo et in ordine ad salutem ejusdem esse juris, valoris et pretii habeantur, prout prop. damnatis supra allatis id asseritur. Ejusmodi tolerantiam, quam ab Ecclesia increduli exigunt, absurdam et impiam esse, patet ex dictis. Nequit enim **a.** Ecclesia, qua interpres voluntatis Dei, qua organum et vicaria Christi Domini, qui in hoc natus est et ad hoc venit in mundum, ut testimonium perhiberet veritati (Jo. 18, 37), qua templum et schola Spiritus Veritatis, indifferentem se exhibere erga veritatem et errorem, lucem et tenebras, virtutem et vitium. Praeterea **b.** haec erroris libertas inutilem reddit revelationem institutionemque Ecclesiae; rebellionem **c.** fovet adversus Deum eique injuriam infert: quid enim Deo injuriosius, quam ut permittatur vilissimae creaturae, qualis est homo, Deo revelanti fidem denegare, veritates ab ipso revelatas atque ipsius instituta pro arbitrio rejicere atque etiam spernere? Et revera „de religione putare, nihil inter formas dispares et contrarias interesse, hunc plane habet exitum, nolle ullam probare judicio, nolle usu. Atqui istud ab atheismo, si nomine aliquid differt, re nihil differt[2].“ Ad haec **d.** quae lux tolerans est tenebrarum? quae scientia tolerans errorum? Quo altior et certior aliqua veritas, eo magis aversatur errorem. Quam ob rem **e.** patres nihil adeo detestati sunt, quam haereses et schismata. Neque mirum, cum ipse gentium apostolus plane fuerit intolerans, et anathema dicat in quemlibet, qui evangelizaverit

---

[1]) „Si divini cultus varia genera, inquit Leo XIII. in lit. enc. 1. Nov. 1885, eodem jure esse, quo veram religionem, Ecclesia judicat non licere, non ideo tamen eos damnat rerum publicarum moderatores, qui magni alicujus aut adipiscendi boni aut prohibendi causa mali, moribus atque usu patienter ferunt, ut ea habeant singula in civitate locum.« Cf. s. Thomas 2. 2. q. 10. a. 11.

[2]) Ita Leo XIII. in iisdem lit.

praeter quam quod fideles ab ipso acceperint[1]). Discipulus vero ille, qui alioquin totus est caritas, Joannes evangelista praecipit: *Si quis venit ad vos et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis*[2]).

321. De eodem apostolo refert Irenaeus[3]): »Et sunt qui audierunt eum (Polycarpum) dicentem, quoniam Joannes Domini discipulus in Epheso iens lavari, cum vidisset intus Cerinthum, exsilierit de balneo non lotus dicens, quod timeat, ne balneum concidat, cum intus esset Cerinthus inimicus veritatis.« »Ipse autem Polycarpus, prosequitur Irenaeus, Marcioni aliquando occurrenti sibi et dicenti: Cognoscis nos? respondit: Cognosco te primogenitum satanae. Tantum apostoli et horum discipuli habuerunt timorem, ut neque verbotenus communicarent alicui eorum, qui adulteraverant veritatem, quemadmodum et Paulus ait: *Haereticum autem hominem post unam (et secundam) correptionem devita, sciens quoniam perversus est qui est talis et est a semetipso damnatus*[4]).« Refert quoque Eusebius de eodem Polycarpo ex Irenaei ad Florinum ep. (H. E. V, 20): »In conspectu Dei affirmare possum, beatum illum et apostolicum presbyterum Polycarpum, si quid ejusmodi unquam audivisset, exclamaturum continuo, et obturatis auribus suis dicturum fuisse prout ipsi moris eras: Deus bone, quae me in tempora reservasti, ut haec sustinerem? atque ex loco ipso aufugiturum, in quo seu stans seu sedens ejusmodi sermones audiisset.« De s. Antonio cum laude narrat Athanasius in ejus vita n. 68: »Erat prorsus admirabili fide et pietate. Cum meletianis quippe schismaticis nunquam communicavit... nec cum manichaeis unquam aut quibuslibet haereticis amice collocutus est nisi admonendi causa, ut mutata sententia piam sectarentur fidem: ratus eorum amicitiam et colloquia animi damnum atque perniciem esse, quod idem alios monebat. Sic etiam arianorum haeresim exsecrabatur, omnibusque auctor erat, ut ne vel ad eos accederent, vel pravam eorum sectarentur fidem. Adeuntes se aliquando quosdam ariomanitarum, explorata et cognita eorum impietate, ex monte repulit, ajens serpentum veneno pejores esse eorum sermones[5]).«

322. *Notanda de intolerantia.* — Quae **5.** ut rite intelligantur, distingui debet **a.** inter sectas et sectarios, errores et errantes, haereses et haereticos. Jam vero **b.** Ecclesia intolerans est et esse debet relate ad haereses et errores; tolerans vero et benigna mater

---

[1]) Gal. 1, 8. 9; Rom. 16, 17; ad Tit. 3, 10; 1. Tim. 1, 30. 20

[2]) 2. ep. v. 10. In schemate cit. paratus erat canon (6): »Si quis dixerit, intolerantiam illam, qua Ecclesia catholica omnes religiosas sectas a sua communione separatas proscribit et damnat, divino jure non praecipi, aut de veritate religionis opiniones tantum, non autem certitudinem haberi posse, ideoque omnes sectas religiosas ab Ecclesia tolerandas esse, A. S.«

[3]) L. 3. c. 3. [4]) Tit. 3, 10.

[5]) Cf. ejusdem vitae nn. 89. 91; de s. Martino Suplicium Severum dial. 3. opusc. XLVIII; de s. Chrysostomo Theodoretum H. E. l. 4. c. 24. Cf. Muzzarelli opusc. de tolerantia et inquisitione.

est erga errantes et devios [1]), qua in re haereticos, imo ipsos quoque superat protestantes, quorum intolerantia satis nota est[2]). Quandoque tamen c. intolerantia erroris in ipsos redundare potest et debet errantes, si nimirum errores suos diffundere nituntur et inficere ipsa Ecclesiae membra. Quapropter Orosius scribit: „Ego teste Jesu odisse me fateor haeresim, non haereticum; sed sicut justum est, interim propter haeresim haereticum vito[3]).“ Et s. Leo ep. 7: „Aliter enim nobis commissos regere non possumus, nisi hos, qui sunt perditores et perditi, zelo fidei dominicae persequamur, et a sanis mentibus, ne pestis haec latius divulgetur, severitate qua possumus abscindamus.“

---

[1]) Ita piissimus Pius IX. omnes hortatur in ep. encycl. 10. Aug. 1863: »Absit, ut catholicae Ecclesiae filii ullo unquam modo inimici sint iis, qui ejusdem fidei caritatisque vinculis nobiscum minime sunt conjuncti: quin imo illos sive pauperes sive aegrotantes, sive aliis quibusque aerumnis afflictos omnibus christianae caritatis officiis prosequi et adjuvare semper studeant, et in primis ab errorum tenebris, in quibus misere jacent, eripere atque ad catholicam veritatem et ad amantissimam matrem Ecclesiam reducere contendant, quae maternas suas manus ad illos amanter tendere eosque ad suum sinum revocare nunquam desinit etc.« Praeclare hanc distinctionem expressit s. Augustinus serm. 49. n. 8. verbis illis: »Diligite homines, interficite errores.«

[2]) Vere hic obtinet illud Christi Domini: *Quid vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides* (Matth. 7, 3)? Nunquam enim Ecclesia ita persecuta est haereticos, ut reges et respublicae protestantes catholicos. Prae oculis habeantur tantum non dico poenae, sed crudelitates barbarae anglorum, batavorum, russorum etc., qui vexarunt catholicos. De solo Henrico VIII. constat, eum morti tradidisse plerumque ob religionis motivum duas reginas, duos cardinales, 12 duces et marchiones, 18 barones et equites, 77 abbates et priores et fatentibus ipsis protestantibus e plebe ad 72,000, cum tamen ejus regnum sat parvum esset, quod numeraret tantum c. 4,000,000 subditos. Cf. Grenzbote 1860 p. 121; Kobler Zeitschr. für kath. Theologie 1884 p. 19 ss. De immani vero et diuturna persecutione in hibernos catholicos cf. Katholik 1881 I, 71 ss. Quod si provocant contra nos ad inquisitionem hispanam vel ad quosdam reges catholicos, advertant triplex discrimen haud spernendum: **1.** Ecclesiam catholicam fuisse in possessione: protestantes vero, ut infra videbimus, schismaticos, ideoque rebelles esse; in tales vero animadvertere licet. **2.** Nunquam inquisitionem, nunquam regem vere catholicum ita saeviisse in acatholicos, sicut dissidentes ab Ecclesia catholica in hujus filios. **3.** Quod principes catholici egerunt, non posse ita adscribi Ecclesiae, sicut adscribi potest et debet protestantismo, quidquid in religionis negotio egerunt principes protestantes, quia hi demum sunt caput illius sectae, quam profitentur. Cf. Döllinger Kirche und Kirchen p. 68 ss.; Balmes der Katholicismus verglichen mit dem Protestantismus; de Maistre in epist. de inquisitione hisp. Lugduni 1873; Schanz III. § 19.

[3]) Apol. de libert. arb. n. 48. Qua de causa scribit Hieronymus ep. 63 n. 3. Theophilo: „Super nefaria haeresi (origeniana), quod multam patientiam geris et putas, Ecclesiae visceribus incubantes tua lenitate posse corrigi, multis sanctis displicet: ne dum paucorum poenitentiam praestolaris, nutrias audaciam perditorum et factio robustior fiat.«

323. Nititur autem **d.** haec intolerantia redundans in ipsos errantes triplici saltem jure: jure physiologico, cum quodlibet corpus organicum vivum et sanum naturaliter nitatur humores malos et noxios excernere; jure sociali, cum quaelibet societas ab hostibus, in primis a rebellibus et seditiosis, se suaque membra tueri, ac proinde omnibus quae ei suppetunt armis, illos insequi possit et debeat; jure positivo et divino, cum Ecclesiae pastoribus gravissimum incumbat onus abigendi a grege lupos: rationem enim reddere debent de animabus sibi commissis Hebr. 13, 17.

Articulus II.

De causa materiali Ecclesiae seu de membris ejusdem.

324. *Societatis elementa.* — Societas generatim definitur coadunatio plurium in communem finem conspirantium, seu coetus hominum ad communem finem conjunctis viribus tendentium. Homines quidem sive membra, quae conspirant, rationem habent elementi seu causae materialis, ex qua constat seu conflatur societas: vincula vero illa, quae homines seu membra in unum corpus constringunt, vi quorum membrorum pluralitas revocatur ad unitatem, rationem habent elementi seu causae formalis, qua ratio societatis constituitur. Cum autem Ecclesia sit societas (n. 285 et 311), duplex hoc elementum in ipsa quoque invenietur discernique poterit. Inpraesentiarum solum de elemento materiali seu de membris, ex quibus coalescit Ecclesia, erimus solliciti.

325. Pari quoque ratione distingui debet inter *animam* et *corpus* Ecclesiae. Ecclesia enim, ut vidimus n. 296, corpus, corpus Christi dicitur, sane non mortuum, sed vivum. Atqui in corpore vivo praeter elementum externum et visibile admitti debet elementum internum anima scil. corpus ipsum informans, vivificans, animans, quae est ratio vitae, motus, operationis corporis. Ergo et in Ecclesia admittere oportet principium internum ipsam societatem visibilem pervadens, informans, agens, quod ratio determinans est vitae operationisque propriae Ecclesiae, vitae scil. christianae, supernaturalis, salutaris, quae ad ipsum Ecclesiae finem conducat[1]).

---

[1]) Hoc elementum internum significatur, cum de primitiva Ecclesia legimus: *Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una* Act. 4, 32. Quod etiam de Ecclesia sec. IV. donata per Constantinum pace repetit Eusebius H. E. l. 10. c. 3: „Una erat divini Spiritus virtus per universa commeans membra, una omnium anima, eadem alacritas fidei, unus omnium concentus divinitatem hymnis celebrantium.“

326. *Ecclesiae corpus et anima.* — Qua analogia praelucente definiri etiam poterit, quid ad Ecclesiae corpus spectet. Quidquid enim incurrit in oculos, ad ejus corpus pertinet, quod proinde non distinguitur ab ipsa Ecclesia, quatenus est societas externa et visibilis. Ad illud ergo spectant oves et pastores, subditi et praepositi, et vincula externa, quibus hi mutuo in unam societatem visibilem colligantur. Anima vero Ecclesiae iis continetur, quibus fit, ut Ecclesiae membra vitam capitis vivant, vitam spiritualem, christianam, supernaturalem, conducentem ad salutem aeternam [1]); seu continetur efficienter multiplici operatione et influxu sive Christi capitis, qui non secus ac vitis in palmites vitam et virtutem suis membris influit, sivè Spiritus sancti, qui Ecclesiam donis exornat ac veluti animat (cf. n. 305); effective vero non differt a vita fidelium supernaturali, christiana, interna fidei, spei et caritatis, a gratiis gratum facientibus et gratis datis, quas Christus caput suis membris inspirat. Seu aliis verbis: sicut in qualibet societate mutua membrorum conspiratio in ejusdem finem anima societatis dici potest, ea enim membra ad agendum movet ac proinde vita sociali donat et inter se conjungit; ea vero sublata perit societas: ita et mutua membrorum Ecclesiae conspiratio ad hujus consequendum finem anima Ecclesiae dici poterit. Atqui per fidem omnium fidelium mentes in eundem diriguntur finem; per spem ad illum consequendum excitantur; per caritatem in illum rapiuntur et inter se conglutinantur, ut viribus unitis operibusque salutaribus illum assequantur. Merito ergo dicitur in fide, spe et caritate omnique gratia interna, qua fideles imbuuntur, consistere Ecclesiae animam.

327. *Remota Ecclesiae materia.* — Porro nomine materiae remotae illa intelligitur, ex qua res actu non constat, sed quae par est atque idonea ad rem constituendam (si certae accedant conditiones), quaeque ad eam constituendam destinatione artificis ordinatur: materia vero proxima illa est, quae non modo apta est, e qua res fiat, sed quae uti decet temperata suisque instructa modis rem actu constituit. Jam vero *ad materiam Ecclesiae remotam universum humanum genus spectat;* quod patet **1.** ex theoremate certissimo ab Apostolo gentium promulgato, Deum velle omnes homines salvos fieri 1. Tim. 2, 1 ss., tum ex theoremate pariter certo: Christum mortuum esse pro omnibus hominibus. Cum autem ex disputatis extra Ecclesiam non sit salus, posito quod Deus omnes homines salvos fieri velit, necessario dicendum est, Deum etiam velle, ut omnes ad Ecclesiam pertineant. Probatur **2.** ex vaticiniis, quibus novum praedicitur pro-

---

[1]) Imo licet duplicem veluti animae Ecclesiae distinguere, prout Ecclesia consideratur vel ut societas est visibilis, vel prout est societas supernaturalis et corpus Christi vivum (cf. infra annot. ad n. 338). Porro cum de anima Ecclesiae est sermo, haec consideratur ut est societas supernaturalis et corpus Christi vivum.

mittiturque Testamentum[1]). Quae latissime omnino patent, neminem excludunt, imo omnes ex sese complectuntur. Accedunt **3.** diserta Christi verba[2]), quibus docemur Christi voluntatem esse, ut Evangelium omnibus gentibus nuncietur ac proinde ut omnes gentes in Ecclesiam invitentur. Siquidem **4.** Paulo docente[3]) *non est distinctio judaei et graeci, nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum; omnis enim quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Eadem assertio patet **5.** ex persuasione theoretica et practica universi christiani nominis; Ecclesia enim exemplo s. Pauli[4]) aliorumque apostolorum, nullum unquam hominem a se repulit eo, quod ex destinatione supremi architecti ut in ipsam recipiatur aptus non esset; nunquam non zelavit salutem omnium hominum omnibus quibus poterat modis. Censuit ergo omnes homines esse ex se aptos, qui in Ecclesiam possint admitti, nisi ipsi sua se voluntate ineptos reddant. Quare concludimus pulcherrimis verbis Augustini docentis omnes homines sive velint sive nolint ad bonum Ecclesiae ex sapientissima Dei providentia destinari: „Utitur Ecclesia, inquit, gentibus ad materiam operationis suae, haereticis ad probationem doctrinae suae, schismaticis ad documentum stabilitatis suae, judaeis ad comparationem pulchritudinis suae. Alios ergo invitat, alios excludit, alios relinquit, alios antecedit, omnibus tamen gratiae Dei participandae dat potestatem sive illi formandi sint adhuc, sive reformandi, sive recolligendi sive admittendi[5]).«

328. **Corollaria.** Ex his colligimus **1.** jus Ecclesiae, ut ubique sit et esse possit. Quod etiam manifesto sequitur ex praerogativa Christi, qua est rex regum, cui data est omnis potestas in coelo et in terra. Cum ergo Christus ubique docere, santificare et salvare possit homines, idque modo operetur per Ecclesiam, quae regnum, imo corpus ejus est mysticum (cf. th. XL): huic jus est inviolabile, ut sit et esse possit ubique. Quod etiam Christus significavit inferens ex sua potestatis plenitudine: *Docete ergo omnes gentes*[6]). Colligimus **2.** nullum protestantium coetum veram esse Ecclesiam. Sane protestantes, si sibi cohaerere et constare velint, docere solent, singulos proprio studio proprioque examine doctrinae revelatae systema ex divinis literis sibi componere debere. Atqui major hominum pars ad hoc efficiendum prorsus est incapax, ut cuique consideranti patet, nec ulla est moralis possibilitas, ut capax reddatur (cf. nn. 10. 163). Ergo eo ipso exclusa foret ab Ecclesia major hominum pars, neque esset materies ejus remota, quod iis, quae demonstravimus repugnat. Contra Ecclesia catholica,

---

[1]) *Num celare potero Abraham, quae gesturus sum, cum futurus sit in gentem magnam et robustissimam, et benedicendae sint in illo omnes nationes terrae?* Gen. 18, 17 s.; *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes,* Is. 2, 2; Dan. 7, 15; Ps. 21, 28. etc. Cf. n. 104.

[2]) Matth. 24, 14; 28, 18. etc. cf. n. 161. 293. [3]) Rom. 10, 12.

[4]) *Graecis et barbaris sapientibus et insipientibus debitor sum,* Rom. 1, 14; *Quibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos,* 1. Cor. 9, 22; *Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum,* Rom. 10, 18.

[5]) De vera relig. c. 6; cf. Thomas 3. p. q. 8. a. 3. [6]) Matth. 28, 19.

cum nitatur auctoritate, qua omnes homines facile quae necessaria sunt addiscere possint et soleant, admodum se commendat ex hac parte, ut censeri possit vera Christi Ecclesia, in salutem totius generis humani instituta.

329. **Thesis XLIII.** ***Falsum est ad Ecclesiam immediate et proprie omnes et solos pertinere praedestinatos.***

Demonstratio. Thesis est contra Wicleffum, Huss[1]) et Calvinum, secundum quos Ecclesia est coetus praedestinatorum. Praedestinatos autem immediate et per se non pertinere ad animam Ecclesiae ita probatur: Nemo pertinet actu ad Ecclesiae animam, nisi qui vitam vivit Ecclesiae estque membrum Christi vivum, in quod Christus tamquam vitis in palmitem virtutem influit. Atqui fieri potest, ut qui est praedestinatus nondum sit vivum Christi membrum, sicut omnes infantes ante baptismum, imo impie adhuc vivat, rebellis sit Ecclesiae, proinde propria Ecclesiae vita destituatur, ut ex. gr. Saulus dum persequebatur Ecclesiam. Fieri ergo potest, ut praedestinatus nondum pertineat ad Ecclesiae animam. Quare falsum est, omnem praedestinatum, eo ipso quod sit praedestinatus, immediate et per sese actu pertinere ad Ecclesiae animam. Ad haec si praedestinati vi praedestinationis jam spectarent ad Ecclesiae animam, superflua esset vocatio ad Ecclesiam, sacramentorum susceptio, justificatio etc. Neque soli praedestinati pertinent ad Ecclesiae animam; ad hanc enim omnes justos spectare ostendemus thes. seq.; atqui non omnes justi sunt praedestinati, nam *qui se existimat stare, videat ne cadat* (1. Cor. 10, 12), et multi ex illis, qui in infantia fuerunt justificati, perire possunt et pereunt. Ergo non soli praedestinati actu spectant ad Ecclesiae animam. Multo autem minus omnes et soli praedestinati spectant ad corpus Ecclesiae; hoc enim admisso perit visibilitas Ecclesiae, cum nobis plane incompertum sit, quinam sint praedestinati. Quae visibilitas si pereat, omnia nutant; nutat ipsa Scriptura, ipsa quoque nutat revelatio, cum, quid de utraque sentiendum sit, ab Ecclesia doceri debeamus. Cum ergo praedestinati neque ad corpus neque ad animam Ecclesiae immediate et per sese spectent: vera censeri debet thesis statuta.

330. *Principia ad solvendas difficultates.* — Ut autem explicentur nonnulla effata, quae praesertim ex Augustino adversus thesim afferri solent,

---

[1]) Horum enim damnati sunt articuli: 1. „Unica est sancta universalis Ecclesia, quae est praedestinatorum universitas. 3. Praesciti non sunt partes Ecclesiae, cum nulla pars ejus finaliter excidat ab ea, eo quod praedestinationis caritas, quae ipsam ligat, non excidit. 5. Praescitus etsi aliquando est in gratia secundum praesentem justitiam, tamen nunquam est pars sanctae Ecclesiae; et praedestinatus semper manet membrum Ecclesiae, licet aliquando excidat a gratia adventitia, sed non a gratia praedestinationis.“ Cf. etiam art. 2. 6. 20. 21. etc.

advertatur, aliud esse, spectare ad Ecclesiam secundum praesentem justitiam: aliud, pertinere ad Ecclesiam secundum Dei praescientiam; vel quod in idem fere recidit, aliud esse, ad Ecclesiam spectare actu, formaliter, veritate essentiae: aliud finaliter et veritate perseverantiae. Licet dici nequeat, omnes praedestinatos actu secundum praesentem justitiam, qua saepe modo et actu adhuc carent, esse in Ecclesia: dici tamen possunt pertinere ad illam secundum praescientiam divinam, qua Deus praevidet eos quondam Ecclesiae se dedituros, et ratione perseverantiae, quia ipsi soli ad finem usque perseverabunt in justitia atque idcirco in Ecclesia saltem secundum animam. Quare ex ipsis solis constabit Ecclesia triumphans. Hoc sensu Augustinus ex. gr. tr. 45 in Joan. n. 12: „Secundum istam, inquit, praescientiam Dei et praedestinationem, quam multae oves foris, quam multi lupi intus; et quam multae oves intus et quam multi lupi foris.“

331. **Thesis XLIV.** ***Ad animam Ecclesiae primo ac praecipue spectant justi: altero autem veluti gradu omnes ii, qui aliquo dono, gratiae gratum facientis potiuntur.***

Demonstratio. Anima Ecclesiae non distinguitur a vita spirituali, interna, supernaturali, iisdemque inchoatur, promovetur et absolvitur, quibus inchoatur, promovetur et absolvitur supernaturalis interior vita: nam tam late patet anima quam vita et vicissim. Atqui vita supernaturalis inchoatur omnibus iis, quae ad justificationem seu gratiae et caritatis infusionem disponunt atque praeparant, quaeque describuntur conc. tridentini ses. 6. cap. 6; quoad essentiam vero perficitur ipsa justificatione (ib. cap. 7), ac per multiplices gradus crescit, qui desinunt in visionem sempiternamque beatitudinem. Ergo justi, qui vitam jam vivunt supernaturalem, immediate, per sese et formaliter spectant ad Ecclesiae animam; secundo veluti gradu et inchoative omnes illi, qui jam aliquo interioris gratiae dono potiuntur, quo disponuntur ad vitam gratiae habitualem.

332. **Corollarium I.** *De catechumenis.* — Quare catechumeni, quamvis ad corpus Ecclesiae non pertineant, ad animam Ecclesiae spectare possunt. Illos ad Ecclesiae corpus non spectare, licet jam christiani dicantur, patet **1.** ex verbis Eugenii IV. in decreto pro armenis: „Per baptismum membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiae[1]);“ **2.** ex precibus Ecclesiae pro catechumenis; orat enim Deum pro illis, ut eos sibi aggregare velit, ut fiant membra, oves gregis sancti etc.; **3.** ex antiqua Ecclesiae disciplina, secundum quam catechumeni a missa fidelium arcebantur, fas non erat coram illis sacramenta conficere, ne aperte quidem loqui de eucharistia, non offerebatur pro ipsis missae sacrificium, si ante baptismi susceptionem

---

[1]) Cf. etiam conc. tridentinum sess. 14. cap. 2. Quod si s. Augustinus docet catechumenos esse in Ecclesia, id solum significare vult, eos esse in Ecclesia potentia proxima, non actu. Dicit enim eos esse in utero s. matris Ecclesiae conceptos et nondum natos. Proinde sicut homines concepti et nondum nati non sunt actu membra societatis civilis, sed tantum potentia, ita censendum est de catechumenis relate ad visibilem Ecclesiae coetum.

morerentur. Ex eadem **4.** persuasione de catechumenis a Christo corpore alienis et satanae tyrannidi adhuc obnoxiis existimari debet profectus sive ritus exorcismorum sive solemnis satanae renunciatio. Quae assertio confirmatur **5.** Act. 2, 41: *Qui ergo receperunt sermonem ejus* (Petri), *baptizati sunt, et ‚appositae sunt' die illa animae circiter tria millia.* Possunt tamen catechumeni ad Ecclesiae animam spectare, ut patet ex dictis n. praeced. Participes enim esse possunt alicujus doni gratiae, fidei, spei, initialis dilectionis, imo ipsius gratiae justificantis propter caritatem perfectam, qua subinde jam ante baptismum sunt praediti.

333. **Corollarium II.** Ergo *Ecclesiae anima latius patet ejusdem corpore,* hujusque limitibus non circumscribitur, neque eidem est commensa. Quod alia quoque ratione illustratur: Anima Ecclesiae tantum patet, quantum ipsa se porrigunt dona sanctificantia et vel prima rudimenta atque primitiae vitae spiritualis. Atqui etiam extra Ecclesiae corpus, quod iis dumtaxat coalescit, qui in unum coetum ejusdem fidei professione, eorundem sacramentorum consortio eodemque regimine conveniunt, reperiri possunt gratiae divinae dona: damnata siquidem est prop. 20. Quesnelli: „Extra Ecclesiam nulla gratia conceditur [1]." Et revera ipsa justificationis gratia reperitur in tot infantibus haereticorum et schismaticorum valide baptizatis, qui illam retinent etiam adolescentes, quamdiu gravi peccato actuali eam non amittunt. Praeterea nisi Christus Ecclesiae caput multiplici modo in eos, qui extra visibilem Ecclesiae coetum sunt, influeret gratiisque s. Spiritus eorum intellectum illuminaret, cor tangeret, eos vocaret, disponeret aptosque redderet, qui corpori suo mystico inserantur, sicut architectus lapides prius expolit, quibus ad exstruendam domum utitur: nullus adultorum Ecclesiae se adjungeret, itaque corpus ipsius mysticum ex adultorum conversione neque crescere neque dilatari posset. Quare Ecclesiae anima non solum corpus Ecclesiae permeat atque vivificat, sed ulterius effusa eos, qui adhuc ad materiam pertinent remotam, invadit et effingit, ut materies proxima esse possint, ipsiusque virtute concipiantur, et gradatim tamquam membra perfecta nascantur corporique Ecclesiae inserantur. Neque hoc mysterium Ecclesiae proprium censeri debet, ejus enim analogia tum in ordine supernaturali, tum in naturali exstat. Ita Verbum sibi effinxit humanam naturam, quam inhabitat, sed qua non circumscribitur, ultra illam enim est et operatur; ita spiritus bonus alicujus ordinis religiosi cor juvenis invadit, allicit,

---

[1]) Cf. etiam propos. 5. ab Alexandro VIII. damnata: „Pagani, judaei haeretici aliique hujus generis nullum omnino a J. Christo accipiunt influxum, adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficienti." Cf. tr. VIII. p. 1. c. 2. a. 3; Gregorium naz. or. 18. n. 6. de patre suo.

attrahit demum, ut se palam illi adjungat; idem dic de spiritu proprio alicujus populi, qui alterius regis subditos arripit et invadit; de spiritu perversae cujusdam factionis. Idem considerare licet vel in anima humana, quae virtute sua cibos digerit et multiplici suo influxu demum eos in succum et sanguinem corporis sui conversos in idem recipit inseritque. Quem in sensum belle s. Augustinus interpretatur vocem ad Petrum factam: *Surge, Petre, occide et manduca* (Act. 10, 13) de populorum conversione Ecclesiae virtute effecta, qua eadem dilatatur ut corpus ciborum comestione.

334. **Corollarium III.** Quare axioma illud: *Extra Ecclesiam non est salus,* in toto suo rigore verum est, si sermo sit de Ecclesiae anima: si quis enim re ad illam non spectet, caret vita supernaturali; si intelligatur vero de Ecclesiae corpore, verum est, si quis neque re, neque animi saltem dispositione ad illud pertineat. Fieri tamen nequit, ut quis sponte sua sit extra Ecclesiae corpus, extra visibilem fidelium coetum, et pertineat plene ad Ecclesiae animam; nam qui talis est, reus est violati praecepti sub gravi obligantis Matth. 18, 17. Reus vero gravis peccati caret vita habituali gratiae, et membrum sponte sua avulsum non sequitur anima. Quod si quis ad Ecclesiae animam pertinet, bona vero fide est adhuc extra Ecclesiae corpus (quia nondum cognovit, quinam coetus visibilis vera sit Christi Ecclesia), voto saltem implicito seu animi praeparatione ad hoc pertinere dicendum est: gradatimque, nisi gratiae ponat obstacula, Spiritu Dei agente inducetur, ut actu corpori Ecclesiae inseratur[1]).

---

[1]) Quae mirum in modum illustrantur ex biographia illorum, qui extra Ecclesiam nati, postmodum gratia divina exciti et moti veritatem quaesierunt miroque suavissimae providentiae ductu in sinum Ecclesiae redierunt. Phaenomeni seu facti hujus multiplicem reddit rationem Passaglia de Ecclesia l. 3. n. 40, postquam statuerat „fieri minime posse, ut quis gratia Spiritus vitaque divina ἀμέσως locupletetur, quin ad ineundam cum Ecclesia societatem continuo excitetur, ac vero etiam adducatur.« »Cujus consectarii, inquit ibidem, veritatem demonstrat **1.** lex illa nobilissima, qua se similia petunt mutuamque conjunctionem exambiunt. Demonstrat **2.** lex altera, qua particulae omnes ad suum totum tendunt suumque in centrum feruntur; plenitudo namque Spiritus ejusque sedes in Ecclesia reperitur. Demonstrat **3.** lex oppositionis, quae spiritum carnalem a Spiritu divino et caritatis secernit; sicut enim ille origo est segregationis et pugnae, sic iste principium est concordiae atque unitatis. Demonstrat **4.** lex perfectionis, ad quam Spiritus promovet, et quae nonnisi in societate obtineri augerique potest. Demonstrat **5.** ipsa ratio Spiritus, qui eo etiam nomine est diciturque Spiritus Christi, quod ad Christum ejusque mysticum corpus homines suo lumine suisque incitamentis adducit. Demonstrat **6.** concredita eidem functio, qui missus propterea fuit ac porro mittitur, ut glorificaret ac jugiter Filium glorificet. Gloria autem Filii in ejus regno lucet atque ex ejus regno, quod est Ecclesia, splendescit.« Quod dein ex oeconomia divinitus servata in adducendis ad salutem Cornelio Act. 10. et Paulo Act. 9. illustrat et confirmat. Cf. Augustinus de moribus Eccl. c. 17. opusc. XXVII. n. 31. 32, ubi inter alia scribit: »Nam si sapientia et veritas non totis viribus concupiscatur, inveniri nullo pacto potest.

335. **Thesis XLV.** ***Praestitutis conditionibus ut quis esse possit membrum Ecclesiae, sponte sua consequitur, infideles, haereticos et schismaticos formales simpliciter esse extra Ecclesiam.***

Demonstratio p. I. Non alii referri debent inter membra corporis Ecclesiae, quatenus est coetus fidelium visibilis, quam qui **1.** credunt: est enim Ecclesia coetus vocatorum ad fidem, fidelium, eorum qui profitentur doctrinam Christi per fidem; fides enim est Ecclesiae fundamentum et norma. Verum **2.** non sufficit credere quomodocunque vel quod cuilibet placet, sed singulorum fides exacta esse debet ad normam authenticae praedicationis: nam *fides ex auditu,* sane praedicantium, qui legitime sunt missi[1]), et qui *Ecclesiam,* utique in primis docentem, *non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*[2]); *qui vos* sane docentes *spernit, me spernit*[3]); unde fideles dicuntur *superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum*[4]); et Paulus anathema dicit in eum, qui praeter id quod ipse docuerit, evangelizaverit[5]); haereticum contumacem devitandum statuit[6]), et s. Joannes praecipit ne recipiatur is in domum (nedum in Ecclesiam), qui doctrinam a se propositam non affert, et ne ei ave dicatur[7]). Requiritur **3.** ut initientur baptismo: nam Christus apostolos jussit: Μαθητεύσατε discipulos mihi facite omnes gentes *baptizantes eos*[8]); et Act. 2, 41 legimus: *Qui ergo receperunt sermonem ejus* (Petri) *baptizati sunt, et appositae sunt in die illa animae circiter tria millia;* ex quibus liquet primum, quod praeter fidem exigitur, ut quis sit Christi discipulus simulque membrum coetus sectatorum Christi, esse baptisma, quod propterea dicitur janua Ecclesiae. Hinc passim fidei necessariae ad hoc ut quis sit Ecclesiae membrum adjungitur baptisma. Requiritur **4.** ut fideles baptizati in unum idemque corpus coalescant, unde dicuntur a Paulo *in unum corpus baptizati* (1. Cor. 12, 13), idemque patet ex ipsa notione societatis, quae definitur plurium in communem finem conspiratio: porro Ecclesia est societas. Patet deinde ex eo quod Paulus Ecclesiam toties corpori conferat: de ratione autem membri corporis est, ut aliis uniatur, ut sit membrum de membro,

---

At si ita quaeratur, non dignum est, subtrahere se atque abscondere a suis dilectoribus non potest . . . Amore petitur, amore quaeritur, amore pulsatur, amore revelatur, amore denique in eo, quod revelatum fuerit, permanetur . . . O utinam (vos manichaei) possetis intelligere quae dicta sunt: confestim abjiceretis omnes ineptias fabellarum et vanissimas imagines corporum totosque vos magna alacritate, sincero amore, firmissima fide, sanctissimo Ecclesiae catholicae gremio conderetis.«

[1]) Rom. 10, 14 ss. [2]) Matth. 18, 17. [3]) Luc. 10, 16.
[4]) Eph. 2, 20. [5]) Gal. 1, 9. [6]) Tit. 3, 10. [7]) 2. ep. v. 10.
[8]) Matth. 28, 19; cf. Marc. 16, 16; Act. 8, 12. 36; 18, 8; Eph. 1, 13; 4, 5.

commembrum: quamprimum haec conjunctio cessat, desinit membrum esse de corpore. Haec vero 5. unitas et conjunctio fovenda est participatione ejusdem cultus eorundemque mysteriorum, est enim Ecclesia societas essentialiter religiosa, et subjectione legitimo ministerio exhibita, ut iterum colligitur vel ex ipsa notione societatis et ex scopo ministerii ecclesiastici a Christo instituti. Quae conditiones adumbrantur jam in primitivae Ecclesiae descriptione: *Erant autem perseverantes in doctrina apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus* (Act. 2, 42); eaedemque confirmantur unanimi antiquitatis consensu et universa Ecclesiae historia, ut coecus sit, qui eas in dubium vocaverit [1]).

336. **Demonstratio p. II.** Recensitis quinque conditionibus destituuntur infideles formales, qui respuunt Christi fidem; haeretici formales, qui quamvis aliquam videantur habere fidem, non totam Christi doctrinam authentice propositam profitentur, et Ecclesiam docentem audire contemnunt; schismatici formales, qui corporis unitatem scindunt atque a Christi corpore recedunt. Nullo ergo pacto ad Ecclesiam pertinere dicendi sunt; non ad corpus, propter defectum conditionum: non ad animam, quia quamdiu obstinate et deliberate a corpore Ecclesiae recedunt, eo ipso se influxui animae Ecclesiae subtrahunt.

337. **Scholion I.** *Infideles, haeretici, schismatici materiales,* qui scil. bona sunt fide et ex ignorantia inculpabili vera fide et unione illa legitima carent, *ad Ecclesiam,* quatenus est societas visibilis, *pertinere nequeunt.* Hinc est, quod Ecclesia in iis recipiendis discrimen inter haereticos etc. formales et materiales nunquam curaverit. Possunt tamen illi spectare ad Ecclesiae animam, ut patet ex dictis n. 331; quibus adde, quae

---

[1]) Cum Joannes vicarius apostolici Meroni Orientis in synodo VII. act. 1. dixisset: »Haeresis separat ab Ecclesia omnem hominem,« sancta synodus dixit: „Hoc manifestum est.« Quid autem proprie requiratur ad rationem haeresis cf. infra n. 337 et 407. Schismatici secundum s. Thomam 2. 2. q. 39 a. 1, »proprie dicuntur, qui propria sponte et intentione se ab unitate Ecclesiae separant, quae est unitas principalis . . . Ecclesiae autem unitas in duobus attenditur, scil. in connexione membrorum Ecclesiae ad invicem seu communicatione et iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiae ad unum caput . . . Hoc autem caput est ipse Christus, cujus vicem in Ecclesia gerit summus pontifex. Et ideo schismatici dicuntur, qui subesse renuunt summo pontifici, et qui membris Ecclesiae ei subjectis communicare recusant.« Utrumque schismatis casum accuratius adhuc determinat Cajetanus in commentario adjecto. Scil. non quaelibet inobedientia constituit schisma, „nisi sit rebellio ad officium papae vel Ecclesiae ita, ut renuant illi subesse, illum recognoscere ut superiorem.« Quod vero alterum casum attinet, statuit: „Ex eo aliquis est schismaticus, quod renuit ut pars Ecclesiae operari,« proinde quando vult prorsus sui juris esse et ab aliis omnino independens. Ceterum assertio nostra confirmabitur et illustrabitur iis, quae infra dicemus de Ecclesiae unitate. Cf. Palmieri § 23.

praeeunte Augustino[1]) docet Suarez[2]): „Certum est de ratione haeresis esse (scil. quatenus est peccatum), ut voluntarie fiat. Ita docent omnes theologi, d. Thomas[3]) et reliqui scholastici et patres antiqui.« Haereticus ergo materialis, seu qui est bonae fidei, **a.** propter suum in fide errorem non peccat; quare propter eum **b.** non damnatur; cum vero **c.** aliunde constet, Deum facienti quod est in se sua gratia non deesse, liquet, haeretico materiali non omnem salutis spem esse ademptam. Quocirca **d.** si cum gratia cooperatur, vitam in baptismo adeptam conservare, peccato amissam contritione perfecta reparare poterit, atque **e.** gratia duce (saepe saltem) ad pleniorem veritatis agnitionem procul dubio perveniet ipsique Ecclesiae corpori inseretur (cf. n. 334).

338. **Scholion II.** *De haereticis occultis.* — Sunt nonnulla, quae ad pleniorem thesis explicationem addenda esse videntur. Quaeritur scil. **1.** utrum ad corpus Ecclesiae pertineant haeretici simpliciter occulti, qui scil. haereşim mente concipiunt, sed exterius non significant. Respondet Bellarminus affirmative[4]). Quamvis enim vita interiori Ecclesiae prorsus destituantur, externis adhuc vinculis cum reliquo Ecclesiae corpore junguntur, sed tantum velut membra mortua. Sicut ergo haec ad corpus adhuc aliquatenus spectant, ita et illi ad Ecclesiae corpus. Negative esse respondendum censent alii, ut Suarez[5]), quibus omnino favere videtur

---

[1]) Qui ita scribit ep. 43 al. 162 n. 1: »Qui sententiam suam quamvis falsam atque perversam nulla pertinaci animositate defendunt, praesertim quam non audacia praesumptionis suae pepererunt, sed a seductis et in errorem lapsis parentibus acceperunt, quaerunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati cum invenerint, nullatenus sunt inter haereticos deputandi.« Cf. de unitate Eccl. c. 25. n. 73; de baptismo l. 1. n. 5; l. 4. c. 16 n. 23.

[2]) De fide d. 19 s. 3. n. 1. [3]) 2. 2. q. 11. a. 2; 1. q. 32. a. 4.

[4]) L. 3. c. 10, quam sententiam tuentur Mazzella disp. 3. a. 11. et Palmieri in egregio suo tract. de rom. pontifice, proleg. § 11. Inculcat nimirum principium formale Ecclesiae prout est societas esse auctoritatem, atque hanc, quatenus est formale principium non immerito appellari posse animam Ecclesiae.« Ex quo infert: „Quotquot proinde illi auctoritati subsunt, ab ea animari dicendi sunt. Jam vero qui exterius profitetur fidem, quam Ecclesiae auctoritas docet, qui eidem obediunt, et cum ea in participatione sacrorum communicant, imperfecte quidem, quia fidem ex corde detrectant, aliquo tamen vero modo ab eo principio formali animantur, quia libere ei se in extrinseca professione et communione subordinant.« Quare duplicem distinguit Ecclesiae vitam, „alteram externam et socialem, cujusmodi competere potest cuique bene institutae societati; alteram interiorem, quae singula membra immediate afficit vel afficere potest . . . Duplex ergo principium formale distinguendum est in Ecclesia: alterum principium formale societatis, alterum principium formale vitae supernaturalis in membris. Illud essentiale est Ecclesiae, ut ea sit societas mediumque idoneum hominibus pro consequenda justitia et salute; hoc necessarium est membris, ut illud assequantur et sint, propter quod ad Ecclesiam sunt vocati.« Juxta hanc duplicem considerationem licebit sententias specie sibi oppositas conciliare.

[5]) De fide d. 9. s. 1. 2. Cf. Franzelin th. XXII ss.

Pius IX. in bulla ‚Ineffabilis Deus' post dogmatis definitionem statuens: „Quapropter si qui secus ac a Nobis definitum est, quod Deus avertat, praesumpserint corde sentire„ ii noverint ac porro sciant se proprio judicio condemnatos naufragium circa fidem passos esse, et ab unitate Ecclesiae defecisse.« Quare si de his sermo sit, vel de haereticis per accidens occultis, qui scil. haeresim exterioribus signis exprimunt nemine tamen praesente vel advertente, vel de invalide baptizatis: dicendum est, eos si secundum rei veritatem judicemus, non pertinere ad corpus Ecclesiae, sicut nec digitus cereus ad corpus, nec lupi in pellibus ovium pertinent ad gregem: si vero judicetur secundum apparentiam, eos videri esse de corpore Ecclesiae; et quia nos saepe secundum speciem judicamus, quamdiu nobis non innotescit eorum haeresis, illos errore inculpabili pro membris habebimus.

339. *De excommunicatis.* — Quaeritur **2.** quid de excommunicatis excommunicatione majori iisque vitandis sit tenendum. Respondemus, eos ex ipsa intentione poenae medicinaliter, non mortaliter, i. e. peremptorie a societate visibilis Ecclesiae excludi. Eum vero **3.** qui occulte incurrerit excommunicationem latae sententiae, censet Bellarminus l. c. facto et numero spectare ad Ecclesiam, non vero jure et merito. Quod si quis **4.** injuste fuerit excommunicatus, vel si juste excommunicatus ante absolutionem a censura poenitentiam egerit, ad Ecclesiae animam pertinere potest, non vero ad ejus corpus, quoadusque solutus fuerit a censurae vinculo. Quocirca damnata fuit prop. 91. Quesnelli: „Excommunicationis injustae metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro; nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo atque ipsi Ecclesiae per caritatem affixi sumus.« Ad rem sunt praeclara Augustini verba de vera rel. n. 11: „Saepe etiam sinit divina providentia per nonnullas nimium turbulentas carnalium hominum seditiones expelli de congregatione christiana etiam bonos viros. Quam contumeliam et injuriam suam cum patientissime pro Ecclesiae pace tulerint, docebunt homines, quam vero affectu et quanta sinceritate Deo serviendum sit. Talium ergo virorum propositum est, aut sedatis remeare turbinibus, aud si id non sinantur, vel eadem tempestate perseverante vel ne suo reditu talis aut saevior oriatur, tenent voluntatem consulendi etiam eis ipsis, quorum motibus perturbationibusque cesserunt, sine ulla conventiculorum congregatione usque ad mortem defendentes et testimonio juvantes eam fidem, quam in Ecclesia catholica praedicari sciunt. Hos coronat in occulto Pater in occulto videns. Rarum hoc videtur genus, sed tamen exempla non desunt, imo plura sunt quam credi potest.«

340. Quamvis vero **5.** Paulus 1. Cor. 5, 13 neget, juris sui esse de iis, qui foris sunt, judicare, non tamen exinde sequitur, haereticos non esse extra Ecclesiam, quod Ecclesia in eos animadvertat. Potest enim aliquis duplici ratione foris esse: absolute atque ita, ut nunquam fuerit intus: et quadamtenus nec aliter quam ut profugus et desertor, qui quondam ad societatem pertinuit. Atqui Paulus de iis loquitur, qui priori significatione foris sunt; at haeretici foris sunt significatione posteriori, proinde Ecclesia in eos animadvertere potest, sicut societas quaelibet in rebelles et desertores.

6. Augustinus subinde affirmat de haereticis, eos esse in magna domo, quae est Ecclesia[1]; verum hoc vel de haereticis occultis affirmat, antequam aperte deserunt Ecclesiam; vel significat ipsos secus ac infideles et judaeos non pauca habere, quae ad Ecclesiam spectent et quibus aliquo modo ad Ecclesiam referantur; deficientes enim ab Ecclesia plura secum detulerunt ex Ecclesia, ad quam etiam redeundi gravissima tenentur obligatione ejusque manent jurisdictioni obnoxii. Hoc vel simili sensu eum esse intelligendum patet, cum nemo ausurus sit affirmare, secundum Augustinum etiam pelagianos et donatistas fuisse membra Ecclesiae catholicae seu Ecclesiae verae.

341. **Thesis XLVI.** ***Haeretica est sententia, quae a vera Christi Ecclesia omnes peccatores excludit solosque justos ad ipsam pertinere statuit.***

Demonstratio. Statuitur thesis contra plures adversarios, in primis contra donatistas, quibuscum hac de re diu disputavit Augustinus. Est autem de fide, ut patet ex prop. 15. synodi pistoriensis a Pio VI. damnata: „Doctrina, quae proponit Ecclesiam considerandam velut unum corpus mysticum coagmentatum ex Christo capite et fidelibus, qui sunt ejus membra per unionem ineffabilem, qua mirabiliter evadimus cum ipso unus solus sacerdos, una sola victima, unus solus adorator perfectus Dei Patris in spiritu et veritate, intellecta hoc sensu, ut ad corpus Ecclesiae non pertineant nisi fideles, qui sunt perfecti adoratores in spiritu et veritate, haeretica.“ Huc spectant similes prop. Quesnelli 72—78 damnatae, quarum 72. ita habet: „Nota Ecclesiae christianae est, quod sit catholica comprehendens et omnes angelos coeli et omnes electos et justos terrae et omnium seculorum.“ Provocare **1.** pro asserenda thesi possumus ad varias, quibus Ecclesia adumbratur, parabolas, imagines et typos, ut sunt parabolae sagenae missae in mare et ex omni genere piscium congregantis bonos et malos[2]; convivii nuptialis, ad quod ingressus est etiam homo non vestitus veste nuptiali[3]; imago ovilis, in quo sunt oves et hoedi[4]: hoedorum enim nomine in primis intelliguntur fideles, quibus ad salutem caritas deest; domus magnae, in qua sunt vasa in honorem et vasa in contumeliam[5]; typus arcae Noë, in qua praeter Sem et Japhet erat Cham; praeter animalia munda etiam immunda[6]. Quae parabolae et imagines omnes in hoc conspirant, ut significent bonorum malorumque commixtionem in una eademque societate; qua significatione sublata jam sensu carent, neque patet ad quid significandum adhibeantur. Eoque pluris argumentum istud est facien-

---

[1]) De bapt. l. 3. n. 26; l. 4. n. 18. col. 2. Tim. 2, 20.
[2]) Matth. 13, 47. [3]) Ib. 22, 2. [4]) Ib. 25, 32 col. 41 ss.
[5]) 2. Tim. 2, 20. [6]) Cf. opusc. III, 229.

dum, quod illo passim usi sint catholici in controversia cum donatistis sec. IV. et V, ex qua pariter probatur thesis, nam propterea etiam donatistae damnati sunt, quod contenderint, peccatores non spectare ad Ecclesiam.

342. Accedunt **2.** reprehensiones sat graves Pauli[1]), quibus objurgat fideles gravium peccatorum reos; judicium ab eo latum in reum gravissimi criminis[2]); monitum de probatione praemittenda sumptioni eucharistiae[3]) deque extrema unctione adhibenda[4]); institutio sacerdotii[5]); praeceptum correptionis fraternae[6]); oratio dominica, a fidelibus in primis recitanda; maxime collatio potestatis clavium remittendique peccata[7]): quae omnia evidenter supponunt, nunquam Ecclesiae defore peccatores. Suffragatur **3.** luculenta traditio theoretica et practica, quae elucet ex omnibus fere quae supersunt patrum homiliis et sermonibus, quibus fideles in Ecclesia constitutos sed peccatores ad poenitentiam vitaeque emendationem hortantur; ex administratione sacramenti poenitentiae, quod institutum censebatur pro filiis Ecclesiae, qui in gravia lapsi sint peccata; ex sacrificio eucharistico quotidie oblato pro fidelium peccatis. Denique **4.** negata hac veritate ipsa quoque perit Ecclesiae visibilitas; cum enim nemo sciat quinam sit justus, neque coetus, qui constet solis justis, agnosci poterit. Quare firmissime tenendum nec ullatenus dubitandum est, ut docet Fulgentius „aream Dei esse catholicam Ecclesiam, et intra eam usque in finem seculi frumento mixtas paleas contineri h. e. bonis malos sacramentorum communione misceri[8]).“

343. **Thesis XLVII.** ***Sententiae, quam rejecimus, nullatenus suffragantur 1. praerogativa, qua Ecclesia sancta creditur; 2. quae scribit Paulus Eph. 5, 27; 3. repetita Augustini effata, justos dumtaxat et bonos esse de Ecclesia, esse Ecclesiam, pertinere ad Ecclesiam etc.; peccatores vero esse quidem in Ecclesia, sed non de Ecclesia, neque pertinere ad Ecclesiam, imo esse extra Ecclesiam.***

Demonstratio p. I. Libenter concedimus suoque etiam loco probabimus, Ecclesiam esse *sanctam,* sed nunquam probabitur eam idcirco dici sanctam, quod sanctis tantum membris constet. Si vero Paulus fideles omnes indiscriminatim sanctos vocat, nondum sequitur Ecclesiam ex membris nonnisi justis coalescere. Nam **1.** secundum loquendi usum quotidianum de gente aliqua indiscriminatim affirmare quandam praerogativam solemus, et tamen inde non sequitur, eam singulis gentis illius individuis competere; ita dicimus romanos fuisse fortes. Ut ejusmodi propositio sit vera, sufficit

---

[1]) 1. Cor. 1, 11; 5, 1; 11, 20 ss.
[2]) Ib. 5, 5. [3]) Ib. 11, 28. [4]) Jac. 5, 15 s.
[5]) Hebr. 5, 1. [6]) Matth. 18, 15. [7]) Jo. 20, 23.
[8]) De fide ad Petr. c. 43 n. 84; cf. n. 81.

ut illa proprietas quam plurimis competat. Ejusmodi vero loquendi ratione **2.** Paulum uti, jam animadvertunt Chrysostomus hom. 2. in 1. Cor. et passim Augustinus, qui ita scribit[1]): »Scripturae mos est, ita loqui de parte tamquam de toto; sicut corinthios in primis epistolae suae partibus ita (Paulus) laudat, tamquam omnes tales sint, cum essent laudabiles quidam eorum; et postea in nonnullis epistolae ipsius locis, ita reprehendit tamquam omnes culpabiles essent, propter quosdam qui tales erant. Istam divinarum Scripturarum consuetudinem per omne corpus literarum ejus creberrime sparsam quisquis diligenter advertit, multa dissolvit, quae inter se videntur esse contraria.« Ceterum **3.** fideles dicuntur etiam sancti, quamvis a culpa non semper immunes, tum **a.** quod coetum constituant a reliqua hominum turba sejunctum, Deo dicatum atque sacrum; tum **b.** ratione status, qui est status justitiae et sanctitatis, et quem baptismo inierunt seque sectaturos esse polliciti sunt; tum **c.** ratione specialis conjunctionis cum Christo capite, ex quo etiam in fideles peccatores seu membra mortua quaedam sanctitatis aura redundat. Si enim *sanctificatur* vir *infidelis* per mulierem fidelem[2]): quanto magis virtute Christi capitis sanctitas quaedam conciliatur membris etiam non sanctis.

344. **Demonstratio p. II.** Pauli verba sunt[3]): *Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* Quibus significatur **1.** qualis Ecclesia esse debeat ex intentione Christi et quod Christus quantum est ex se omnia ea praestet, quae requiruntur, ut talis esse possit. Hinc tamen **2.** non sequitur, Ecclesiam jam modo in omnibus suis membris fore sanctam et immaculatam, cum aliunde evidenter constet, eam quamdiu peregrinetur in terris, habere membra non solum sana, sed et infirma et mortua, quorum cura ipsi sit concredita, ut iterum convalescant et sanctificentur. Sequitur tamen **3.** Ecclesiam finaliter secundum omnia sua membra talem fore, qualem eam Christus intendit i. e. sanctam et immaculatam. Quare Augustinus Retract l. 2. c. 18 monet: »Ubicunque in his libris (de baptismo contra donatistas) commemoravi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, non sic accipiendum est, quasi jam sit, sed quae praeparatur ut sit, quando apparebit etiam gloriosa;« nam ut idem advertit l. 1. c. 7. n. 5. »cum tota dicat, quamdiu hic est: *Dimitte nobis debita nostra,* non utique hic est sine macula et ruga aut aliquid ejusmodi.« Quae distinctio pro duplici Ecclesiae statu praesenti et futuro multum inculcatur in Augustini breviculo collationis cum donatistis tertiae diei n. 9. 16 ss. et iterum a s. doctore in l. post collationem n. 10 ss., ubi sic concludit: »Ecce manifestum est quod dicebatur a nobis: distinguenda esse tempora Ecclesiae: non eam nunc esse talem, qualis post resurrectionem futura est; nunc malos habere permixtos, tunc omnino non habituram; ad illam ejus puritatem, non ad

---

[1]) Ep. 149 n. 20. Cf. etiam ep. 93 n. 32; de unitate Eccl. c. 13 n. 34. (opusc. XXVII); in l. ad Donatistas post collationem c. 20 s.; auctor de vocatione omnium gentium l. 1. c. 9 ss. (opusc. III, 29 ss.).

[2]) 1. Cor. 7, 14. [3]) Eph. 5, 25 ss.

hujus temporis permixtionem illa divina testimonia pertinere, quibus eam Deus praedixit ab omni malorum permixtione penitus alienam.« Ceterum **4.** potest etiam jam modo Ecclesia militans dici sine macula et ruga scil. quoad elementum formale, nam Ecclesiae fides, sacramenta, praecepta etc. sunt sine macula. Quo sensu conc. toletanum VI. (a. 638) statuit in explicatione prof. fid. c. 1: »Ecclesiam quoque catholicam credimus sine macula in opere et sine ruga in fide.« Maculae et rugae consequuntur elementum materiale, homines, qui se formae non penitus subjiciunt et in quos ea nondum perfecte dominatur.

345. **Demonstratio p. III.** Ut quae ex Augustino objiciuntur, rite intelligantur et uberior de membrorum ratione explicatio habeatur, statuimus **1.** ideam membri complecti **a.** notam continuationis organicae et cohaesionis physiologicae cum aliis corporis partibus seu membris; **b.** participationem vitae et virtutis, quae per illud se exserat, seu informationem et influxum principii vitalis, qui major minorque esse, quandoque etiam deficere possit. Unde distinguimus membra sana et simpliciter perfecta: membra infirma, membra mortua, proinde membra secundum quid. **2.** Membrum spectari posse dupliciter: secundum essentiam et ut est pars corporis, et secundum quod est instrumentum et organum animae. **3.** Ecclesiae notionem nunc laxius nunc pressius a variis accipi et **4.** posse aliquem ad eam spectare vel simpliciter vel ex aliqua tantum parte et secundum quid.

346. Quare **5.** mirandum non est, si de membris Ecclesiae pro variis respectibus, sub quibus considerari possint, diversa, imo et contraria affirmentur, ideoque pugnae, non quidem de re, de verbis tamen inter theologos oriantur. Sane **a.** dici possunt peccatores membra Ecclesiae, corporis Christi, spectata idea membri, quatenus includit continuationem organicam cum aliis membris per triplex vinculum symbolicum, liturgicum, sociale, vel quatenus nomine membri intelligitur instrumentum[1]). **b.** Negari potest eos

---

[1]) Egregia sunt, quae docet s. Thomas in 3. dist. 13. q. 2. a. 2. qcla 2: »In corpore naturali invenitur quadruplex unio membrorum ad invicem. Prima est secundum conformitatem naturae . . . et sic dicuntur membra unum genere vel specie. Secunda est per colligationem eorum ad invicem per nervos et juncturas et sic dicuntur unum continuatione. Tertia est, secundum quod diffunditur vitalis spiritus et vires animae per corpus. Quarta est, secundum quod omnia membra perficiuntur per animam, quae est una numero in omnibus membris. Et hae quatuor uniones inveniuntur in corpore mystico. Prima est, in quantum omnia membra ejus sunt unius naturae vel specie vel genere. Secundum est, in quantum colligata sunt invicem per fidem, quia sic continuantur in uno credito. Tertia est, secundum quod vivificantur per gratiam et charitatem. Quarta est, secundum quod in eis et Spiritus sanctus, qui est ultima perfectio et principalis totius corporis mystici quasi anima in corpore naturali. Prima autem dictarum unionum non est unio simpliciter, quia illud, in quo est unio haec, non est unum numero, sicut est in tribus sequentibus . . . Homines igitur infideles non pertinent ad unionem corporis Ecclesiae, secundum quod est unum simpliciter, et ideo respectu horum Christus caput non est nisi in potentia, secundum quod scil. sunt unibiles corpori. Homines autem fideles peccatores

esse membra, si idea membri praeter organicam conjunctionem includit plenam vitae virtutisque possessionem; proindeque **c.** hac ratione dici potest, peccatores non esse de Ecclesia, de corpore Christi, quatenus non vivunt ejus vitam; non esse in illa, nisi ut sunt membra mortua, aut mali humores in corpore humano. Prout vero **6.** Ecclesia nunc pressius et inadaequate, nunc latius et adaequate consideratur, ad illam tamquam membra referri debent modo soli praedestinati, modo fideles omnes justi, modo etiam injusti. Sane Ecclesia considerari potest **a.** triumphans, ad quam pertinent soli praedestinati; **b.** militans et quidem inadaequate secundum quod est societas visibilis, secundum corpus, et ita ad eam pertinent fideles justi et injusti; **c.** secundum partem suam nobiliorem, et ita ad eam pertinent omnes et soli justi; **d.** ut est corpus vivum, et sic justi tantum perfecte ad eam spectant; **e.** finaliter, quatenus pertingit metam omnique caret ruga atque macula, et ita ad eam pertinent omnes praedestinati; denique **f.** potest Ecclesia considerari pro utroque stadio militiae et triumphi, èt ita quoque nonnisi praedestinatos complectitur.

Non dissimili ratione propositiones specie sibi contrarias ad concordiam revocat theologus plane insignis Stapleton, qui ita scribit[1]: »**1.** membra corporis Christi mystici quaedam esse conjuncta ipsi Christo, quaedam conjunctiora, quaedam conjunctissima. Conjuncta sunt omnia, quae Christum induerunt per fidem, aut per baptismum sacramentum fidei et applicatum sibi Christum habent per communionem sacramentorum... Conjunctiora membra sunt, quae non solum per fidem et sacramentorum usum, sed etiam per caritatem Christo adhaerent et unus cum eo spiritus fiunt... Conjunctissima membra sunt, quae non sola fide et caritate, sed etiam spe non frustrabili et finali perseverantia connexa Christo conjunguntur... Itaque primi quidem sunt membra per fidem, secundi cara membra per caritatem, tertii carissima membra propter electionem. Rursum primi ut credentes sunt aliquanta membra; secundi ut amantes magna; tertii ut perseverantes praecipua... **2.** notabimus Ecclesiam Christi propter haec tria membrorum suorum genera varias in Scriptura nuncupationes accipere. Propter primum genus vocatur domus magna, in qua

---

pertinent quidem aliquo modo ad unitatem Ecclesiae, in quantum continuantur ei per fidem, quae est unitas materialis; non tamen possunt dici membra proprie nisi sicut membrum mortuum scil. aequivoce. Et quia unitas corporis ex membris consistit, ideo quidam dicunt, quod non pertinent ad unitatem corporis Ecclesiae, quamvis pertineant ad unitatem Ecclesiae; et sicut operationes, quae sunt ad alterum, possunt aliquo modo fieri per membra arida, ut percutere vel aliquid hujusmodi, non tamen operationes quae sunt animae in membris; ita nec mali recipiunt spiritualis vitae operationes a Spiritu s.; sed tamen Spiritus s. per eos operatur spiritualem vitam in aliis, secundum quod aliis sacramenta ministrant vel alios docent. Sed homines fideles in gratia exsistentes uniuntur secundum tertiam unionem, quae est formalis respectu hujus secundae; et iterum secundum quartam, quae est completiva totius. Et ideo horum proprie dicitur Christus caput.«

[1]) Relectione principiorum doctrinalium fidei controv. 1. q. 2. a. 1. Cf. Fontana, Bulla ‚Unigenitus' theologice propugnata t. 3. prop. 72 s.; Passaglia l. 3. c. 30.

sunt vasa in honorem et vasa in contumeliam 2. Tim. 2, 20. etc. Propter secundum genus vocatur Ecclesia corpus Christi... cujus membra sunt templum Dei et Spiritus s. 1. Cor. 3, 16;... sponsa Christi... domus spiritualis, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis 1. Petr. 2. 5.... Propter tertium genus vocatur Ecclesia hortus conclusus, fons signatus, unica columba, una perfecta mea, amica mea tota pulchra Cant. 4.... **3.** notabimus quosdam esse in Ecclesia numero et vocatione tantum... alii sunt in Ecclesia et numero et merito... alii denique et numero et merito et electione propter perseverantiam in bono... **4.** notabimus quosdam esse in Ecclesia ut servos in domo... alii sunt in domo Dei sicut filii Dei, sicut cives, amici ac domestici ejus... alii denique ...ut heredes. **5.** notabimus primum genus membrorum Ecclesiae ad Ecclesiae corpus et unitatem seu etiam societatem vere et proprie pertinere, sed non principaliter.«

347. *Augustini doctrina.* — Secundum haec quae diximus Augustini effata esse explicanda, patet vel ex eo, quod s. doctor operosissime adversus donatistas tot editis libris defenderit dogma catholicum Ecclesiam non constare solis justis[1]). Neque desunt rationes, quibus ille insolitus loquendi modus Augustini possit explicari; nam **a.** amat Augustinus modum loquendi platonicum, cujus est, illius in primis meminisse, quod in re aliqua eminet ad eamque prae ceteris pertinet[2]). Cum ergo de ratione membri perfecti, coetus praesertim ex se sancti, sit sanctitas et vita, qua carent peccatores, negare potuit eos esse (sensu pleno) de Ecclesia. Aderat **b.** etiam ratio polemica. Cum enim donatistae profiterentur baptismum extra Ecclesiam catholicam validum non esse propter illam s. Cypriani rationem, fieri nempe non posse, ut is vitam vel Spiritum sanctum tribuat, qui vitam et Spiritum s. ipse non habeat, ut haereticus quilibet: contra urget s. Augustinus[3]), peccatores non secus ac haereticos alienos esse ab Ecclesia, quatenus scil. haec corpus est vivum et templum s. Spi-

---

[1]) Cf. Alticotium summa augustin. p. 3. q. 1. a. 3. Cf. speciminis gratia ep. 43. n. 23; ep. 249; de unitate Ecclesiae n. 35., ubi ait: „Habemus innumerabilia testimonia de commixtione malorum cum bonis in eadem communione sacramentorum.«

[2]) Cf. Faure in annot ad s. Augustini Enchiridii c. 1.

[3]) Ita ex. gr. de bapt. l. 4. c. 4: „Sicut urgeri videor, cum mihi dicitur: Ergo qui coelestia mandata non servat, avarus, raptor, foenerator, invidus, verbis non factis seculo renuncians, dimittit peccata. Si per vim sacramenti Dei, sicut et ille, ita et ille. Si per meritum suum, nec ille, nec ille. Illud enim sacramentum et in malis hominibus Christi esse cognoscitur: in corpore autem unicae columbae, incorruptae, sanctae, pudicae, non habentis maculam aut rugam, nec ille, nec ille invenitur.« Cf. l. 3. n. 22. ss. Merito autem advertit card. Franzelin th. XXV, aliter atque aliter esse loquendum de peccatoribus ac de iis, qui foris exsistentes secundum aliquid tamen ad Ecclesiam referuntur, cum dicuntur esse vel extra vel intra Ecclesiam. Peccatores (fideles etc.) dici debent simpliciter esse in Ecclesia, et nonnisi secundum quid extra Ecclesiam. Haeretici etc. dici debent simpliciter esse extra Ecclesiam et nonnisi secundum quid in Ecclesia.

ritus. Si ergo hoc non obstante peccatores valide baptizant, poterunt et haeretici valide baptizare. Hinc explicatur, quare ea loquendi ratio in illis potissimum reperiatur libris, in quibus contra donatistas valorem baptismi ab haereticis collati tuetur. Praeterea **c.** audivimus Augustinum affirmantem[1]), se saepe de Ecclesia loqui non qualis sit, sed qualis futura sit. Ceterum **d.** ipse s. doctor subinde distinctionis principia proponit, secundum quae ipsius effata in speciem contraria explicari possint. Ita explicans verba Christi: *Unus ex vobis tradet me,* scribit[2]): „Unus ex vobis numero, non merito; specie non virtute; commixtione corporali, non vinculo spirituali; carnis adjunctione, non cordis socius unitate: proinde non qui ex vobis est, sed qui ex vobis exiturus est... Ac per hoc utrumque verum est, et *ex nobis* et *non ex nobis*[3]): secundum aliud ex nobis, secundum aliud non ex nobis: secundum communionem sacramentorum *ex nobis,* secundum suorum proprietatem criminum *non ex nobis.*« Et iterum[4]): „Separatiores sunt (haeretici et schismatici) jam etiam corporaliter segregati, quam illi, qui interius (in domo, quae est Ecclesia 2. Tim. 2, 20) carnaliter et animaliter vivunt, et spiritualiter separati sunt.«

Articulus III.

De reliquis Ecclesiae causis.

348. Triplex assignari potest *Ecclesiae causa exemplaris:* **1.** ipsa ss. Trinitas, cum Christus discessurus de hoc mundo oraverit[5]): *Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint; ut credat mundus, quia tu me misisti;* **2.** ipsum Verbum Dei incarnatum in sua constitutione, muneribus et functionibus, vita et glorificatione (n. 276[a]); **3.** Ecclesia angelica. Unde liquet, Ecclesiam non solum multitudine ac varietate membrorum debere gloriari, verum etiam excellere eorundem unitate orta ex recapitulatione, qua distinctum, varium et multiplex ad miram singularemque revocetur unitatem. Nemini autem dubium esse potest, prae ceteris coetibus Ecclesiam romanam ad hoc triplex exemplar esse expressam, quod haud spernendum est praejudicium, eam veram esse Ecclesiam.

349. *Formalis Ecclesiae causa.* — Nomine causae formalis relate ad societatem illud intelligitur principium, quod sua communicatione, inhaesione et informatione id, quod multiplex est, varium atque ex sese dispersum, colligit, unit aptaque synthesi componens in societatem redigit. Illud autem pro qualibet societate est duplex: internum scil. et externum: neque enim sufficiunt, ut societas oriatur humana, vincula externa membrorum, nisi etiam animi interius jungantur: et vicissim non sufficiunt vincula mere interna, nisi externis

---

[1]) Supra annot. ad n. 344. [2]) Tr. 61. in Jo. 13, 21. n. 2.
[3]) 1. Jo. 2. 19. [4]) De bapt. l. 7. c. 51.
[5]) Joan. 17. 20. 21. col. v. 11. 23.

juventur, compleantur firmenturque. Quibus praemissis liquet, causam Ecclesiae formalem internam esse fidem caritate formatam cum omni gratiarum comitatu, vel generatim esse ea omnia, e quibus vita Ecclesiae spiritualis ejusque anima efflorescit (n. 324 s.). Imo si latiori quadam ratione forma id dicitur, quod unit, perficit, animat, regit, consummat: dici poterit ipse Christus caput causa Ecclesiae formalis secundum dicta n. 269 ss., vel Spiritus sanctus, qui Ecclesiam tamquam templum Dei inhabitat, omnigenis donis locupletat, format atque regit, qui fons est ejus vitae et unitatis, Ecclesiaeque membra pervadit et cum Christo capite et inter se nectit atque conjungit (n. 305). Causa autem formalis externa continetur illis vinculis visibilibus, quibus fideles in unitatem visibilem colligantur, cujusmodi sunt: professio ejusdem fidei: omnes enim tenentur ad eam fidem profitendam, quam Ecclesia authentice proponit (cf. n. 335); praecepta legis christianae, ex quibus repetendum est, quod vita membrorum sibi ubique sit similis, iisdem manifestetur officiis, unum eundemque prae se ferat characterem; cultus Dei communis et sacramenta, baptismus in primis, citra quem nemo admittitur; prae ceteris vero magisterium et ministerium ecclesiasticum, cui omnes obnoxii esse debent et quo reliqua vincula virtute continentur. Cum autem ministerium seu regimen rationem habeat etiam causae instrumentalis Ecclesiae, de eo seorsim agemus et quidem de ministerii ecclesiastici institutione, necessitate, perennitate, auctoritate.

§ 1. De ministerii ecclesiastici institutione.

350. **Thesis XLVIII.** ***Vera Ecclesia credi debet societas inaequalis, atque ita Christo auctore comparata, ut alii in ea sint praepositi, alii subditi; alii doctores, alii discipuli; alii mysteriorum dispensatores, alii sanctificandi.***

Demonstratio p. I. Quamvis inter Ecclesiae membra nullum sit discrimen relate ad salutem, cum nemo ab ea adipiscenda sit exclusus, ac fideles omnes sive graeci, sive barbari, viri et mulieres, senes et pueri sint populus electus, regale sacerdotium, filii Dei (si gratia sanctificante non careant), heredes Dei, coheredes autem Christi: hoc tamen minime impedit, quominus eadem dici possit societas inaequalis, quatenus non omnia ejusdem membra iisdem juribus, muneribus, praerogativis in ipsa fruantur. Quam Ecclesiae inaequalitatem **1.** infinite universimque probant appellationes, quibus eadem dicitur *regnum, civitas, ovile, corpus;* ipsa **2.** historia Ecclesiae christianae, quae eam nullo non seculo sistit ut societatem inaequalem, in qua alios cernimus praesides, alios subditos.

351. **Declaratio p. II.** Verum de facto nulla est controversia; quaestio est de jure. Sunt enim qui contendant, plenitudinem potestatis residere penes fidelium coetum, qui cum per se non possit implere munia sacerdotio et magisterio adnexa, deleget ad haec obeunda peculiares ministros, in quos plus minusve derivet suae auctoritatis pro majori minorive in quo eos collocat gradu; a quo si amoveantur, omnem amittant auctoritatem, sicut fieri solet in aliqua republica. Contra quos tenendum est, ipsum Christum ministerium instituisse ecclesiasticum, non ita tamen, ut omnes fideles, eo ipso quod sint fideles, juribus fruantur propriis hujus ministerii, sed distinctum a reliquo fidelium coetu; et huic ministerio tribuisse independenter a fidelibus, proinde immediate auctoritatem regendi, docendi, sanctificandi fidelium coetum, in alios dein certo ritu derivandam. Et sane error ille a Marsilio patavino prolatus, a protestantibus ultra propugnatus, a Richerio, Febronio aliisque adoptatus, et a synodo pistoriensi approbatus, a neoprotestantibus nostrae aetatis recoctus damnatus fuit a Pio VI: „Propositio (2), quae statuit, potestatem a Deo datam Ecclesiae, ut communicaretur pastoribus, qui sunt ejus ministri pro salute animarum: sic intellecta, ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas, haeretica[1]).“ Jam antea damnata fuit prop. 90. Quesnelli: „Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos pastores de consensu saltem praesumpto totius corporis.“ Summi autem momenti est haec assertio. Si enim ministerium ecclesiasticum non nomine Dei, sed nomine populi fidelis suas exercet functiones, actum est de summa ejus auctoritate et infallibilitate: hanc enim populus illi communicare non potest.

352. **Demonstratio p. II.** Discrimen inter Ecclesiae ministros reliquosque fideles juris esse divini, patet **1.** ex historia evangelica.

---

[1]) Prop. 3. cf. infra n. 547 a. Concilium trid. ss. 7. can. 10. jam definierat: »Si quis dixerit, christianos omnes in verbo et in omnibus sacramentis administrandis habere potestatem, A. S.« Cf. sess. 23. can. 6. 7. et cap. 4. et jam antea Joannes XXII. illum errorem damnaverat constit. Licet 23. Oct. 1327. In schemate patribus conc. vaticani proposito c. 10. statuitur: „Christi autem Ecclesia non est societas aequalium, ac si omnes in ea fideles eadem jura haberent; verum est societas inaequalis, et hoc non ideo tantum, quia fidelium alii clerici sunt, alii laici; sed propterea quod maxime in Ecclesia est potestas divinitus instituta, qua alii ad sanctificandum, docendum et regendum praediti sunt, alii destituuntur.« Et can. 11: „Si quis dixerit, Ecclesiam institutam divinitus esse tamquam societatem aequalium; ab episcopis vero haberi quidem officium et ministerium, non autem propriam regiminis potestatem, quae ipsis divina ordinatione competat, quaeque ab iisdem sit libere exercenda, A. S.«

Disertis enim verbis legimus ipsum Christum secrevisse quosdam a reliqua discipulorum turba, quos apostolos vocavit (Luc. 6, 12); eos misisse auctoritate instructos, sicut ipse missus fuit a Patre (Jo. 20, 21), ipsisque tribuisse munera atque praerogativas aliis non communes (n. 161. 293). Ergo ipse Christus auctor est hujus discriminis, neque illud pendet a nutu et arbitrio turbae fidelium. Hinc Petrus Act. 10, 40 testatur: *Hunc* (Jesum) *Deus suscitavit tertia die et dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus praeordinatis a Deo: nobis, qui manducavimus et bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis; et praecepit nobis praedicare populo et testificari* etc. Colligitur **2.** ex verbis Pauli: *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores . . . Numquid omnes apostoli? numquid omnes prophetae? numquid omnes doctores?* 1. Cor. 12, 28. *Et ipse* (Christus) *dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi . . . ut jam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae* etc. Eph. 4, 11; *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus s. posuit episcopos regere Ecclesiam Dei* Act. 20, 28. Hisce enim effatis ministerii ecclesiastici institutio modo adscribitur Deo Patri, modo Christo Domino, modo Spiritui sancto: quae profecto non licet interpretari de institutione tantum mediata pendente ab arbitrio vario, volubili, inconstanti populi credentium, ut patet vel ex obvia eorum inspectione. Praeclare **3.** dataque opera id illustrat s. Paulus similitudine corporis organici 1. Cor. 12, 12 ss. Sicut enim distinctio membrorum et varietas functionum munerumque refundi debet in voluntatem Dei creatoris: ita in corpore Christi mystico, in Ecclesia, distinctio membrorum ac varietas functionum ac ministeriorum refundi debet in voluntatem Dei instituentis Ecclesiam. Quare **4.** apostoli passim se ministros Christi, qui pro Christo legatione funguntur, non populi delegatos exhibent[1]); omnem suam auctoritatem a Christo, minime vero a populo repetunt; in nomine et persona Christi loquuntur, docent, praecipiunt, agunt; citra populi delegationem Ecclesiae ministros constituunt vel constituendos praecipiunt[2]). Consentit **5.** universa antiquitas christiana, quae ministerii ecclesiastici institutionem repetit ex voluntate Dei, ut patet jam ex epistolis Clementis

---

[1]) Ib. 4, 1; 7, 10 ss.; 2. Cor. 2, 10; 5, 18 ss. etc.

[2]) Act. 14, 22: *Et cum constituissent* (Paulus et Barnabas) *illis per singulas ecclesias presbyteros et orassent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino;* Tit. 1, 5: *Reliqui te Cretae, ut ea quae desunt corrigas et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi.*

romani et Ignatii M. Quocirca nunquam episcopi habiti sunt ut delegati vel deputati populi, qui ejus nomine Ecclesiam regant, sed semper exhibentur ut ministri Christi, qui ab ipso summis praerogativis aucti fideles pascant, rationem ipsi reddituri; nunquam ab ipsis eorumque conciliis appellatum ad fidelium coetum; nunquam populus judicavit de episcopis, de controversiis fidei, nunquam leges tulit vel ab episcopis latas confirmando roboravit; nunquam episcopos jure proprio deposuit, excommunicavit; quae omnia populus facere posset, si revera penes ipsum resideret potestas ecclesiastica et ex ipso in Ecclesiae ministros derivaretur. Hinc praecipiunt constitutiones apost. l. 2. c. 4: „Neque etiam aequum est, o episcope, ut tu qui caput es assentiaris caudae i. e. laico, sed Deo soli. Nam oportet te subjectos regere, non ab iis regi, cum nec filius imperet patri secundum rationem.“ Et cum Victor quidam laicus contra episcoporum sententiam opinionem quandam proferret, ita eum redarguit Augustinus de anima et ejus orig. l. 3 c. 12 n. 18: „In qua tua sententia tam nova et contra Ecclesiae totius auctoritatem disciplinamque prolata verbo etiam insolentissimo usus es, dicens: Pro his (defunctis non baptizatis) sane oblationes assiduas et offerenda jugiter sanctorum censeo sacrificia sacerdotum, ut te homo laicus sacerdotibus Dei nec discendo subderes, nec saltem simul quaerendo misceres, sed censendo praeponeres.“ Quod si subinde fideles in consultationis vel electionum participationem admissi sunt, hoc non probat illorum jus, sed praesidum sive prudentiam sive humanitatem [1]).

§ 2. De ministerii ecclesiastici necessitate.

353. **Thesis XLIX.** ***Rejici debet anabaptistarum, quakerorum et separatistarum opinio, qua ecclesiastici ministerii necessitatem negant.***

Declaratio. Sectarii, quos refellimus, ministerii ecclesiastici utilitatem quidem non negant, sed ejus necessitatem, quod ea adversetur

---

[1]) Langen in op. Das vaticanische Dogma von dem Universalepiscopat und der Unfehlbarkeit des Papstes in seinem Verhältniss zum N. T. und der kirchlichen Ueberlieferung Richerii errorem probare nititur: sed quae in ejus confirmationem adducit **a.** eadem sunt, quibus utuntur protestantes ad subvertendam Ecclesiae hierarchiam idque unum probant, merito sectam illam, cui ipse addictus est, neoprotestantium dici; **b.** anarchiam in Ecclesiam inducunt. Dicta vero **c.** Christi et apostolorum, ad quae provocat, vel excludunt certum quendam modum exercendae potestatis, fastum, despotismum (Matth. 20, 25); vel probant apostolorum humanitatem et prudentiam, non negant eorum potestatem, quam alibi clare inculcant; vel in alienum detorquentur sensum nulla ratione habita harmoniae Scripturarum, quibus tam perspicue alibi ministrorum Ecclesiae praerogativae evincuntur. Cf. n. 361; Gregorius naz. or. 32. n. 11 ss.

indoli N. T., in quo perfecta viget coram Deo aequalitas, nullus est famulatus, fideles a Deo ipso interius instituuntur. Provocant scil. ad haec vel similia Scripturae testimonia: *Et ponam... universos filios tuos doctos a Domino* Is. 54, 13; *Et non docebit ultra vir proximum suum et vir fratrem suum* (τὸν πολίτην αὐτοῦ) *dicens: Cognosce Dominum! Omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum* Jer. 31, 34; *Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas et sequuntur me* Joan. 10, 27; *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter* Jac. 1, 5; *Sed vos unctionem habetis a Sancto et nostis omnia... Et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus* 1. Joan. 2, 20. 27. etc. Contra quos ministerii ecclesiastici necessitatem tuentes, non loquimur de necessitate absoluta, sed de hypothetica orta tum ex voluntate institutoris, tum ex praesenti rerum ordine, in quo citra perenne miraculum homines in societatem visibilem coalescere nequeunt sine visibili ministerio.

354. **Demonstratio.** Ministerii ecclesiastici necessitas probatur **1.** inductione. De facto enim constat, nec exstitisse unquam, nec exsistere ullam vel minimam societatem, quin in ea alii praesint, subsint alii, eamque necessitatem crescere pro membrorum numero et diversitate, pro duratione societatis, pro finis consequendi difficultate etc. Atqui haec necessitas fundatur in naturae humanae imperfectione propria et ad vitium pronitate, qua quilibet suum judicium assectari, suo commodo studere, amori proprio obsequi etc. nititur: cum qua pronitate conspiratio multorum in eundem finem iisdemque mediis consistere nequit, nisi quis praesit, qui inprimat cum auctoritate per modum formae quandam unitatem mentibus, voluntatibus, actionibus. Ergo cum religio christiana naturam humanam non mutet, licet eam adjuvet et perficiat, inferre debemus, neque Ecclesiam, cum societas visibilis sit, citra ministerium ecclesiasticum exsistere posse, eoque minus, quod ea loco universalis et tempore perpetua esse debeat, ejusque finis supra rationem viresque naturae sit positus. Quae illatio **2.** confirmatur comparatione cum synagoga. Licet enim **a.** synagoga loco et duratione esset circumscripta, pro una tantum gente instituta, et **b.** Deus eidem mediis extraordinariis, missis subinde prophetis, provideret; licet **c.** in ipsa credenda quidem pauciora, agenda vero clare in lege definita essent, ministerium tamen erat necessarium. Ergo illum idem in Ecclesia quoque erit necessarium et quidem a fortiori, eo quod Ecclesia debeat esse tempore perpetua, loco universalis, totque diversas complecti gentes; quod credenda agendaque non adeo clare sint in Scripturis expressa (cf. n. 270 s.), nec Deus amplius mittat prophetas. Id autem **3.** s. Paulus illustrat argumento desumpto ex corpore humano docens ministerium esse necessarium, ne sit schisma: *Deus temperavit corpus, ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo*

honorem, ut non sit schisma in corpore, sed idipsum pro invicem sollicita sint membra . . . Vos autem estis corpus Christi et membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores etc. 1. Cor. 12, 24 ss. Summa autem est excludendi schismatis necessitas.

355. Ad haec **4.** tum effata tum facta in Scripturis relata ostendunt, ordinem supernaturalem a Deo non dissimili administrari ratione, qua ordo naturalis regitur i. e. non citra causas secundas. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? . . . Ergo fides ex auditu* Rom. 10, 14. 17. Alia testimonia dedimus n. 293. Ita eunuchus ille, quem Deus immediate potuisset instruere, evangelizandus traditur (et quidem per miraculum) Philippo, qui cum interrogasset: *Putasne intelligis quae legis?* hoc excepit responsum: *Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi* (Act. 8, 21)? Saulus conversus mittitur Damascum, *et ibi,* inquit Dominus ad eum, *dicetur tibi quid te oporteat facere* (ib. 9, 7). Angelus, qui apparuit Cornelio centurioni, certe hunc docere poterat fidem christianam; et tamen nihil aliud egit, quam illum monere, ut Petrum accerseret, *hic dicet tibi quid te oporteat facere* (ib. 10, 6). Sicut ergo ordo naturalis citra perenne miraculum seclusis causis secundis nequit exsistere, ita neque ordo supernaturalis in Ecclesia vigens secluso quovis ministerio. Qua de re sapienter disputat Augustinus in prologo de doctrina christ. n. 6. s. duplicem hujus legis reddens rationem: „Poterant utique omnia per angelum fieri, sed abjecta esset humana conditio, si per homines hominibus Deus verbum suum ministrare nolle videretur. Deinde ipsa caritas, quae sibi invicem homines nodo unitatis astringit, non haberet aditum refundendorum et quasi miscendorum sibimet animorum, si homines per homines nihil discerent.“ Isaac abbas coenobii de Stella (sec. XII) serm. 11. (Mig. 194, 1729): „Omnia per se potest Christus omnipotens, i. e. baptizare, eucharistiam consecrare, ordinare, peccata dimittere et similia: sed nihil vult humilis et fidelis sponsus sine sponsa. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Ego dico, sacramentum hoc magnum in Christo et in Ecclesia (Eph. 5, 32).“

356. *Argumentis adversariorum respondetur.* — Ad testimonia, quibus adversarii fidunt (n. 353), respondemus **1.** sensum, quem illis subjiciunt, esse, novum, esse inauditum per secula XV, ideoque admodum suspectum in re tam practica tantique momenti; imo **2.** sensum illum adversari expositioni totius antiquitatis, quae hisce testimoniis non obstantibus ministerii ecclesiastici non solum utilitatem, sed et necessitatem theoretice et practice asseruit defenditque. Et sane **3.** admitti sensus ille nequit, quin plures hermeneuticae canones violentur, canon scil. **a.** quo cavetur,

ne reales antilogiae in bibliis foveantur; regula **b.** qua monemur, receptum esse in s. Scriptura, ut quae Deus potissimum et qua causa princeps agit, sic illi tribuantur ac si solus ea faceret, nulla facta mentione causae instrumentalis[1]); **c.** regula, qua monemur, particulam ‚non' frequenter elliptice accipi pro ‚non solum', adeo ut in altero membro particula adversativa ‚sed' adverbiis ‚in primis' vel ‚potissimum' compleri debeat[2]).

357. Quare **4.** illis in locis hoc tantum significatur, fideles esse θεοδιδάκτους a Deo edoctos; idcirco vero verissime dici possunt fideles divinitus edocti, quamvis a Deo per homines edoceantur, quod **a.** primus fidelium doctor fuerit Deus incarnatus; quod **b.** doctores humani scil. Ecclesiae ministri non aliud proponant quam doctrinam a Deo acceptam; quod **c.** hanc ipsam doceant non auctoritate propria, sed auctoritate et missione divinitus accepta; quod **d.** in docendo Ecclesia Spiritus s. assistentia fruatur; quod **e.** dum homines foris aures pulsant, Deus interius illuminet intellectum et cor aperiat atque ad credendum gratia sua moveat[3]). Quare ad rem Augustinus tr. 3. in 1. ep. Joan. n. 13. explicans verba objecta: *Non necesse habetis ut aliquis doceat vos* etc. (1. ep. Joan. 2, 27), scribit: „Unctionem habebant, quibus loquebaris? Tu dixisti, quia *unctio ipsius docet vos de omnibus.* Ut quid igitur talem epistolam fecisti? Quid illos tu docebas? quid instruebas? quid aedificabas? Jam hic videte magnum sacramentum, fratres. Sonus verborum nostrorum aures percutit: magister intus est. Nolite putare quemquam aliquid discere ab homine. Admonere possumus per strepitum vocis nostrae, si non sit intus, qui doceat, inanis fit strepitus noster.« Ceterum **5.** quod locum, qui aliis difficior videri possit, attinet Jer. 31, 34, praeter dicta adverti debet, eo non inculcari, quod in T. N. omnis institutio humana ministerialis cesset, ut evidenter patet ex interpretatione practica Christi mittentis apostolos ad docendas gentes omnes, et ex verbis ejusdem prophetae[4]): *Dabo vobis pastores juxta cor meum et pascent vos scientia et doctrina;* sed secundum sat communem interpretum sententiam institui triplicem inter N. et V. Testamentum, comparationem, nempe **a.** cognitionem Dei per Ecclesiam universaliorem fore, non tantum ad fratres contribules atque proximos restringendam, sed

---

[1]) *Respicite volatilia coeli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et Pater vester coelestis pascit illa* Matth. 6, 26; 10, 20; *Manus tuae fecerunt me et plasmaverunt me totum in circuitu* Job. 10, 8; Ps. 146, 8; 2. Machab. 7, 22 s.; 1. Cor. 3, 7 etc.

[2]) Cf. Act. 5, 4; Eph. 6, 12; 1. Thess. 4, 8. etc.

[3]) 1. Cor. 3, 6; Act. 16, 14 etc. Ideo s. Bonaventura (de reductione artium ad theol.) praeeunte Augustino: „Ille solus, inquit, est verus doctor, qui potest speciem imprimere et lumen infundere et virtutem dare cordi audientis. Et hinc est, quod cathedram habet in coelo, qui intus corda docet.« Et jam antea Chrysostomus hom. 1. in inscriptionem altaris et in princ. Act. (ed. Montfaucon t. 3) n. 3: „Coelestis est et superna schola nostra, siquidem talis est dignitas hujus theatri, ut ab hominibus nihil, sed per homines a Deo discamus.« Cf. plura in tract. de gratia t. III. n. 15 ss. Cf. Sanctium in h. l. et Passaglia l. 3. c. 7.

[4]) Jer. 3, 15.

etiam ad gentes, ad omnes a minimo usque ad maximum, etiam ad eos qui ante fuerant remoti[1]) dilatandam; **b.** doctrinam per abundantem gratiam internam futuram esse potiorem; eamque **c.** conjunctam cum remissione peccatorum. Neque desunt patres, qui hoc vaticinium nonnisi in coelis plene adimplendum esse censeant[2]).

§ 3. De ministerii ecclesiastici perennitate.

358. **Thesis L.** ***Voluit autem Christus, ut docendi pascendique ministerium in apostolis inchoatum non antea desineret, quam ipsa adesset seculorum consummatio.***

Demonstratio. Perennitas ministerii sequitur **1.** per modum corollarii ex thesi XXXVIII de Ecclesiae perennitate et ex thesi XLIX de ministerii ecclesiastici necessitate. Si enim Ecclesia est perennis et ministerium ecclesiasticum ad eam propagandam conservandamque necessarium, ipsum quoque perenne esse debet. Eadem **2.** veritas colligitur ex Scripturae effatis: Matth. 28, 20 (n. 366); *Et ego rogabo Patrem et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum* Joan. 14, 15; *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat* 1. Cor. 11, 26: hisce enim significatur ministerium ecclesiasticum ex Christi intentione durare debere usque ad *consummationem seculi, in aeternum, donec Christus* secundo *veniat,* proinde ex Christi voluntate esse perpetuum. Et sane **3.** teste Paulo finis instituti ministerii ecclesiastici est, ne circumferamur omni vento doctrinae, ne unitas violetur fidei, ut aedificetur corpus Christi (n. 352); atqui triplex hic finis exigit perpetuum ministerium. Denique **4.** ministerium ecclesiasticum est de essentia et constitutione Ecclesiae, ut colligitur **a.** ex eo, quod sit ejus causa formalis externa (n. 349); **b.** ex historia, qua teste nunquam exstitit Ecclesia sine ministerio ecclesiastico, estque hoc

---

[1]) Eph. 2, 17.

[2]) Ita Theodoretus in h. l. et in Hebr. 8, 13; Augustinus de spiritu et lit. c. 24; Gregorius M. Moral. l. 30. c. 4; Primasius, Haymo halberstadiensis et Hervaeus ep. in Hebr. 8, 11; Bernardus s. 53 in cant. n. 5; Thomas lect. 3. in ep. ad Hebr. 8. etc. Ceterum verosimilis, si non praeferendus, est commentarius, quem recentissime tuetur Palmieri in diss. adjecta op. de veritate historica l. Judith, Galopiae 1886 p. 115—25. Censet scil hoc vaticinium respicere ipsum populum judaicum eoque praedici quod etiam Paulus futurum praenunciat Rom. 11, 25. 26. finalem nimirum hujus populi ad Christum conversionem. Tunc penes eos universalis erit vera Dei seu Messiae cognitio, ut idcirco haud amplius opus sit, ut alter (quilibet) alteri dicat: Cognosce Dominum: quod non excludit magisterium authenticum, a quo acceperint hanc notitiam et sub quo illam custodiant, verumque esse potest in societate bene exculta et magisterio authentico instructa.

Ecclesiae coaevum atque parallelum i. e. tam late patet atque ipsa Ecclesia; quae **c.** connexio nunquam ex arbitrio fidelium, sed ex Christi voluntate fuit derivata, ac propterea **d.** series nunquam interrupta pastorum habita semper fuit nota verae Ecclesiae, ideoque ejus proprietas essentialis (n. 429). Quare **e.** Cyprianus Ecclesiam propemodum definiens ita ad Florentium Puppianum scribit ep. 69: „Ecclesia est plebs sacerdoti adunata et pastori suo grex adhaerens. Unde scire debes, episcopum in ecclesia esse et ecclesiam in episcopo; et si quis cum episcopo non sit, in Ecclesia non esse.“ Tamdiu ergo esse debet ministerium ecclesiasticum, quamdiu stabit Ecclesia.

§ 4. De ministerii ecclesiastici auctoritate.

359. Expedita jam triplici quaestione de ecclesiastico ministerio, reliqua est ultima de ejus juribus et auctoritate, de qua advertantur **1.** ministerium ecclesiasticum seu Ecclesiam docentem et pascentem Christi in terris vices agere et pro eo legatione fungi (n. 293); ideoque **2.** illam in consortium potestatis a Christo adscisci. Atqui **3.** Christus tamquam rex regum, summus sacerdos et magni consilii Angelus seu Propheta triplici excelluit potestate; regia, sacerdotali, prophetica. Quare **4.** triplex quoque Ecclesiae potestas distingui poterit, vi cujus ei competit magisterium, ministerium et regimen: quae tamen merito revocatur ad notam illam partitionem in potestatem ordinis, quae potestate sacerdotali continetur, et in potestatem jurisdictionis, quae potestatem regendi docendique complectitur [1]). Cum autem **5.** jus canonicum in potestate Ecclesiae regia [2]) declaranda

---

[1]) De potestatis Ecclesiae distinctione accurate disputat Franzelin de Ecclesia th. 5.

[2]) Ut tamen aliquid saltem synoptice de ea dicamus, adverti debet **1.** eam potestatem esse tripartitam: est enim legifera, ut clare colligitur ex Matth. 16, 19; 18, 18; Act. 15, 28. coll. 41; judiciaria, ut patet ex 1. Cor. 5, 3. 12; 1. Tim. 5, 19; Matth. 18, 17; et coactiva, quam in primis rejiciunt adversarii jurium Ecclesiae, ut Marsilius Patavinus, M. Ant. de Dominis, Richerius Febronius, Nuytz etc. Quare **2.** Ecclesia eam saepe sibi asseruit, ut Joannes XXII. damnatione prop. 5. Marsilii: „Quod tota Ecclesia simul juncta nullum hominem punire potest punitione coactiva, nisi concedat hoc imperator;“ Pius VI. damnatione prop. 4. synodi pistoriensis et Pius IX. damnatione prop. 24. 31. syllabi. Ea autem **3.** exseritur in invitos et in eo consistit, ut **a.** invitis obligationem imponat ad aliquid faciendum aut omittendum, **b.** obligationem ad poenam crimini proportionatam, atque **c.** hanc inferat invitis, subinde etiam per vim. Atqui **4.** talem potestatem Ecclesiae competere sequitur ex potestate legifera et judiciaria, quae utraque sine jure cogendi inanis foret; ex verbis factisque Pauli 2. Cor. 10, 6; 13, 2. et 1. Cor. 4, 21; 5, 4; 1. Tim. 1, 20. Verum **5.** ea non consistit in jure infligendi poenas solum spirituales, sed etim corporales.

ex professo versetur, de potestate vero sacerdotali disseramus in tractatu de sacramentis: hic tantum agemus de potestate docendi[1]), quae triplici munere continetur[2]): est enim Ecclesia veritatis revelatae testis, magistra, et obortis controversiis judex, non qualiscunque, sed plane authentica, cujus testimonio, magisterio, judicio est prorsus standum. Ideo autem est plane authentica ejusque verbis est standum, quod in hoc triplici munere obeundo fruatur infallibilitate, de qua quatuor quaeremus: factum, subjectum, objectum, naturam.

A. Ecclesiae infallibilitas.

360. **Thesis LI.** ***Ministerium ecclesiasticum praeditum est auctoritate docendi.***

Demonstratio. Thesis post ea, quae hucusque diximus, demon-

Ecclesia enim est societas perfecta (n. 311), quae proinde media habet sufficientia ad finem suum consequendum. Quaenam autem media sint accommodata, non solum ex societatis fine est dijudicandum, sed etiam ex indole subditorum, qui in finem sunt promovendi. Hi autem sunt homines ex anima et corpore constantes, qui objectis et mediis mere spiritualibus non satis moventur, unde etiam Christus sacramenta sub forma sensibili instituit. Quare poenae mere spirituales, nisi sint etiam sensibiles et corporales, Ecclesiae qua societati non sufficient. Distinguatur tamen **6.** jus infligendi poenas corporales a facultate expedita illas exsequendi. Sufficeret nobis ad illud Ecclesiae vindicandum tueri, societatem civilem ratione suae subordinationis teneri Ecclesiae nomine illas exsequi, quod praeclare ita expressit Bonifatius VIII. in bulla ‚Unam Sanctam' inter Extravag. com. l. 1. tit. 8. c. 1: „Uterque (gladius) est in potestate Ecclesiae, spiritualis scil. gladius et materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exercendus. Ille sacerdotis, is manu regum et militum, sed ad nutum et patientiam sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio, et temporalem auctoritatem spirituali subjici potestati." Cf. s. Bernardum de consid. IV, 3. opusc. XLVII, 138 s. Verum haec sufficiant; plura cf. apud Palmieri § 19; Mazzella disp. 4. a. 6.

[1]) In annot. 18. ad cap. 10. schematis cit. advertitur, in priori schematis forma additam fuisse declarationem, quae deinceps utpote non necessaria omissa est, et qua de eadem potestate statuebatur: Docemus eam (**1.**) supremam esse et illi soli obnoxiam, qui ipsam tribuit Matth. 28, 18 dicens: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra; euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos;* eandemque (**2.**) esse universalem ac nullis circumscriptam limitibus, nisi quos finis salutaris ordinis exigit, cum Dominus talem illam contulerit, ut Matth. 18, 18 quaecunque per eam ligata aut soluta fuerint super terram, ligata et soluta sint in coelo; et hanc potestatem esse (**3.**) plane necessariam, adeo ut subsint ei omnes, qui semel per baptismum Ecclesiae adscripti fuerunt. Si enim *Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (Matth. 18, 17)." Asseri autem debent hae potestatis ecclesiasticae dotes adversus protestantes, qui vel eam principibus secularibus obnoxiam statuunt, vel plura eidem subtrahunt et eam ad res mere internas coarctant, vel ei imperandi jus atque fidelibus parendi officium denegant.

[2]) De hoc triplici munere cf. Scheeben §§ 8. 9. 10.

stratione vix indiget. Ecclesiae enim seu ejus ministerio competere docendi jus et officium et quidem authenticum, quo nomine Dei cum auctoritate veritatem divinitus revelatam promulgare possit, adeo ut omnes audire illud eique obedire, nisi perire velint, teneantur, clarissime colligitur **1.** ex iis omnibus, quae disputavimus de medio divinitus selecto ad propagandam doctrinam revelatam omnibus ad salutem necessariam th. XXIII., deque Ecclesiae fine th. XL. Colligitur **2.** ex agendi ratione apostolorum, qui ubique in docendo et praecipiendo auctoritatem sibi vindicant legatorum Christi [1]: *Non enim,* scribit Paulus, *misit me Christus baptizare, sed evangelizare;* miraculis fidem sibi conciliant [2]; fidem atque obedientiam exigunt: nam *accepimus,* inquit idem apostolus Rom. 1, 5, *gratiam et apostolatum* (gratiam seu munus gratuitum apostolatus) *ad obediendum fidei in omnibus gentibus* (cui muneri incumbit curare ut omnes gentes obediant fidei seu Evangelio a nobis praedicato) *pro nomine ejus* (pro gloria nominis ejus). Et iterum: *Arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo* (efficacia per Deum) *ad destructionem munitionum* (adversariorum), *consilia* (machinationes hostiles) *destruentes, et omnem altitudinem* (altam ac superbam scientiam et magniloquentiam) *extollentem se adversus scientiam Dei, et* (iisdem armis) *in capitivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam* [3]. Quam agendi rationem Ecclesia quovis seculo est imitata. Colligitur **3.** ex ipsa fidei natura, sine qua nemo est christianus; *fides* enim *ex auditu, auditus autem per verbum Christi* idque praedicatum a legatis authentice missis [4]. Colligitur **4.** ex ipsa humani generis indigentia, quod par aptumque non est assequendae tuto veritati ad finem suum consequendum necessariae nisi per revelationem. Atqui haec modo singulis immediate non fit. Ergo nonnisi per revelationem mediatam, quae scil. per testes et legatos authenticos promulgetur et singulis proponatur. Hi vero sane non alii sunt, quam illi, quibus dictum est: *Docete omnes gentes* etc.

361. *De controversiarum judice.* — Colligitur **5.** ex necessitate conservandae unitatis fidei, quae citra authenticum vivumque magisterium conservari nequit, seu ex necessitate judicis controversiarum; de quo argumento plane peremptorio praeter dicta n. 164 ss. haec advertantur: **a.** attentis hominum indole, rationis humanae infirmitate,

---

[1]) 1. Cor. 1, 17; cf. ib. 4, 1; Rom. 1, 5; 10, 15. 18; 2. Cor. 3, 6; 5, 20; 1. Tim. 1, 11 etc.

[2]) Marc. 16, 20; 1. Cor. 2, 4; 2. Cor. 12, 12.

[3]) 2. Cor. 10, 4 coll. Rom. 16, 17; Gal. 1, 6 ss.; 2. Tim. 1, 13. etc.

[4]) Rom. 10, 13 ss.; cf. n. 10. 163.

fidei difficultate atque obscuritate s. Scripturae fieri non poterit, quin saepe oboriantur controversiae de revelationis ambitu, sensu etc., quod etiam revera contigisse historia dogmatum evidenter ostendit. Ideoque **b.** institutus sit oportet a Christo aliquis controversiarum judex, ne revelationis fructus, fidei unitas etc. pereant, et ne minus Ecclesiae sit provisum, quam cuilibet societati mere humanae. Hic autem **c.** judex, ut tanto muneri sit par, visibilis, quem omnes facile adire et audire possint, tantaque auctoritate praeditus esse debet, ut tuto nos ejus credamus judicio in re tanti momenti, qualis est fides, utque merito extorquere valeat litigantium licet doctorum assensum. Atqui talis judex **d.** non est ratio singulorum, ut per se patet [1]); neque **e.** populus christianus, cui nullibi munus docendi legimus commissum, et qui universim sumptus ad ejusmodi munus est plane ineptus. Ad rem [2]) Gregorius naz.: „Oves pastores vestros ne pascite, nec supra fines vestros assurgite; satis enim vobis est, si recte pascamini. Nolite judicare judices, nec legislatoribus leges praescribite; non est enim dissensionis et confusionis Deus, sed pacis et ordinis. Ne quis igitur caput sit, qui vix aut manus aut pes aut vilius quoddam aliud corporis membrum est.“ Neque **f.** ejusmodi judex est princeps societatis civilis, cum hic infidelis, haereticus, schismaticus esse possit; et cum Ecclesia diffusa sit per plurimas regiones diversis, inter se saepe inimicis, principibus subjectas, istorum dissensu scinderetur potius, obtineretque illud exitiale adagium: Cujus regio, illius et religio. Neque **g.** Deus controversias immediate dirimit revelatione, ut pate experientia et lege praesentis rerum ordinis divinitus statuta, ut homines (saltem ordinarie) per homines doceantur. Quapropter orta quaestione de legis mosaicae observatione in ipsis Ecclesiae exordiis fideles non recurrerunt ad spiritum internum, licet tunc Spiritus sancti charismata abundanter diffunderentur, sed ad ministerium divinitus institutum [3]). Neque **h.** iste judex est ipsa s. Scriptura, ut satis patet ex alibi dictis [4]). Quare **i.** vel nullus erit controversiarum judex, quod est absurdum, quia eo sublato impossibilis redditur Ecclesia, vel ipse est vivum authenticumque Ecclesiae ministerium. Quae illatio confirmatur tum α. analogia cum synagoga [5]); tum β. inductione plane universali, cum nulla sit societas, in qua non sit authentica judicandi de controversiis obortis potestas penes societatis praesides; tum γ. sensu theoretico et practico totius antiquitatis, cum controversiae de fide semper

---

[1]) Cf. 2. Petr. 1, 20; cf. n. 366.

[2]) Or. 19 n. 10. [3]) Act. 15, 5 ss.; cf. n. 162 ss. 355.

[4]) Cf. n. 164 s.; 270. [5]) Deut. 17, 8 s.

authentice dirimerentur coactis pastorum conciliis, vel consentiente episcoporum magisterio, vel sententia principis pastorum i. e. romani pontificis [1]).

362. **Corollarium I.** Juri, officio et auctoritati docendi innititur etiam jus, officium et *auctoritas doctrinas a revelatione divina dissonas proscribendi* et damnandi: unde consequitur fidelium officium Ecclesiam audiendi non solum cum docet, quid credendum sit, verum etiam cum pro munere suo decernit, quid sit respuendum. Quod colligitur **1.** ex ipsa rei natura seu ex ipso munere docendi, pascendi procurandi ovium sibi commissarum salutem; **2.** ex dictis factisque apostolorum. Speciminis gratia sint Pauli verba: *Sed licet nos, aut angelus de coelo evangelizet vobis praeter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit* Gal. 1, 8; *Rogavi te, ut remaneres Ephesi . . . ut denunciares quibusdam, ne aliter docerent* 1. Tim. 1, 3; *Ex quibus* (qui naufragaverunt circa fidem) *est Hymenaeus et Alexander, quos tradidi satanae, ut discant non blasphemare* v. 20; cf. 2. ep. 2, 25; Tit. 1, 13; 3, 10. **3.** ex sentiendi agendique ratione totius antiquitatis, quae sollicite emergentes haereses damnavit.

363. **Corollarium II.** *Merito* proinde *damnavit* Pius IX. *plures propositiones* [2]) *syllabi,* quibus auctoritati civili asseritur instructionis

---

[1]) Cf. infra n. 448 ss.; Valentia in analysi fidei; Becanus opusc. t. 5. opusc. 2. 5. q. 1. concl. 5. et summae theol. t. 2. tr. 1. c. 7; Thomassinus in eruditis in concilia dissertationibus; Heinrich § 86.

[2]) Prop. 44: „Civilis auctoritas potest se immiscere rebus, quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus judicare, quas Ecclesiae pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt, quin etiam potest de divinorum sacramentorum administratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere. 45. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juventus christianae alicujus reipublicae instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicunque auctoritati recognoscatur jus immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum. 46. Imo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subjicitur. 47. et 48. Catholicis viris probari potest ea juventutis instituendae ratio, quae sit a catholica fide et ab Ecclesiae potestate sejuncta, quaeque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines tantummodo vel saltem primario spectet. 28; 33: Non pertinet unice ad ecclesiasticam jurisdictionis potestatem proprio ac nativo jure dirigere theologicarum rerum doctrinam.“ In schemate cit. cap. 15. statuitur: „Inter sanctissimorum jurium violationes, quae nostra aetate ad nationes erroribus inficiendas corrumpendosque in eis mores christianos perpetrantur, illa est vel maxime perniciosa, qua fraudulenti homines contendunt, scholas omnes directioni ac arbitrio solius potestatis laicae subjiciendas esse, ita ut auctoritas

publicae monopolium et instructiones pastorum Ecclesiae, totum scholarum publicarum societatis christianae regimen ac methodus in ipsis clericorum seminariis adhibenda censurae et inspectioni auctoritatis civilis subjiciuntur. Et sane **a.** omnia, quae ad homines, quatenus sunt cives, spectant, disponi dirigique ita debent, ut ordinentur in ejus ultimum finem, vel saltem hujus assecutionem non impediant: hoc enim exigit vel sana ratio. Atqui **b.** ultimus hominum finis est salus aeterna per fidem et bona opera in Ecclesia obtinenda. Ergo **c.** publica institutio talis esse debet ex jure vel naturali, ut saltem non adversetur fidei ad salutem necessariae. Atqui **d.** omne judicium de fide deque doctrina ei contraria spectat ad Ecclesiam. Quapropter Ecclesiae vindicanda est auctoritas ad directionem scholarum, quantum ipse finis Ecclesiae postulat, adeoque asserendum est ei jus et officium prospiciendi fidei et moribus christianis juventutis catholicae hocque ipso cavendi, ne pretiosa haec bona per ipsam institutionem in scholis corrumpantur. Unde ne nomen quidem christiani, multo minus catholici ille meret, qui de hoc jure Ecclesiae dubitat, imo plenum absolutumque jus institutionis publicae societati laicae saepe atheae vindicat. Non solum utrum fidei vel umbram habeat merito quaeras, verum etiam an ratione utatur.

364. **Corollarium III.** Cum jure, officio et auctoritate docendi doctrinam revelatam et proscribendi doctrinam revelationi contrariam et animarum saluti noxiam intime cohaeret *Ecclesiae jus,* officium et auctoritas proscribendi, damnandi, *prohibendi libros doctrinae revelatae* sive theoreticae sive practicae *contrarios* et animarum bono spirituali perniciosos. Absurde enim **a.** affirmaretur, doctrinam ore prolatam Ecclesiae judicio subesse, subtrahi vero, si literis consignetur: ac posse quidem Ecclesiam prohibere haeresum auditionem, minime vere lectionem. Quid quod **b.** quaelibet societas civilis jus hoc sibi vindicet proscribendi quidquid literis consignatnm bono communi sit noxium rigidissimeque illud subinde exerceat? Asserendum proinde etiam est societati ecclesiasticae. Hinc **c.** jam primis rei christianae seculis Ec-

---

Ecclesiae ad providendum religiosae institutioni et educationi juventutis christianae omnino impediatur. Quin eo usque progressi sunt, ut ipsam catholicam religionem a publica educatione arcere, atque universas scholas nullius professionis religiosae, sed literarias tantummodo esse debere dicant. Contra hujusmodi sanae doctrinae morumque corruptelas ex ipso fine Ecclesiae a Christo Salvatore fundatae, ut homines per salutarem fidem ac disciplinam docendo regendoque ad vitam aeternam adducat, ab omnibus agnoscendum est jus et officium, quo ipsa pervigilat, ut juventus catholica in primis vera fide et sanctis moribus rite instituatur.«

clesia hoc jus sibi vindicavit: ita in concilio nicaeno proscripsit Arii librum, cui Thalia inscriptio erat[1]); in concilio ephesino[2]) messalianorum l. Asceticon inscriptum. Merito ergo Leo I. Thuribio inter alia scribit ep. 15. c. 16: „Nec inter catholicos censeatur, quisquis utitur scriptis non ab Ecclesia solum catholica, sed etiam a suo auctore damnatis.“ Qua in re **d.** Ecclesia catholica imitatur Pauli exemplum, qui ingentem librorum perniciosorum copiam publice combustam voluit (Act. 19, 19). Quare plane pueriles sunt clamores toties adversus congregationem Indicis excitati.

364ª. **Corollarium IV.** Cum jure docendi, proscribendi doctrinas perniciosas, damnandi libros noxios, verbo procurandi ovibus Christi sanguine redemptis pascua sana, cohaeret etiam *jus exigendi, ne libri saltem theologici citra authentici magisterii approbationem in lucem edantur.* Nam **a.** quaelibet societas malum grave prudenti quadam vigilantia potest praecavere: ex libris vero theologicis, si erroribus inficiuntur, permagna mala in fideles redundare possunt. Ad haec **b.** Ecclesiae est approbare concionatores aliosque, qui fideles publice res fidei doceant, cum omne magisterium fidei sit ipsi concreditum. Quare cum etiam scriptores doceant, Ecclesia jure pollebit approbandi horum libros, si de fide agant. Cui juri **c.** eo promptius horum librorum scriptores se subjicere tenentur, quod vel sint ipsius Ecclesiae ministri vel sint laici, ac propterea ad docendum non vocati et persaepe minus apti. Hinc etiam explicatur laudabilis illa scriptorum catholicorum praxis subjiciendi judicio Ecclesiae sedisque apostolicae scripta sua[3]).

---

[1]) Cf. Socrates H. E. I, 6; Sozomenus H. E. I, 20. Diximus in prioribus edit. Gelasium I. in conc. romano a. 495—96 primum ll. prohibitorum composuisse indicem. Verum Roux in op. le Pape s. Gélase, Paris 1880, c. 7. argumentis haud spernendis innixis hujus decreti genuinitatem rejicit.

[2]) Act. 1. ap. Mansi 4, 1239 s.; et p. 3. p. 45 ss.; 5, 413. Cf. Fessler das kirchl. Bücherverbot; Simor apud Roskovány rom. pont. VI, 234—66.

[3]) Praeclara hac de re sunt verba Anastasii bibliothecarii ad Nicolaum I. in praef. vitae Joan. Eleemosynarii a se latine versae. „Neque enim fas est, inquit ille, ut absque vicario Dei, absque clavigero coeli, absque curru et auriga spiritualis Israelis, absque universitatis pontifice, absque unico papa, absque singulari pastore, absque speciali patre, absque te omnium arbitro aliquid consummetur aut divulgetur. Tu enim tenes claves David, tu accepisti claves scientiae. In arca quippe pectoris tui tabulae testamenti et manna coelestis saporis requiescunt. Tu enim quod ligas nemo solvit, quod solvis nemo ligat; qui aperis et nemo claudit, claudis, et nemo aperit; vicem namque in terris possides Dei.“ S. Anselmus in praef. l. de fide Trinit. et incarn. Verbi ita scribit ad Urbanum II.: „Quoniam divina providentia vestram elegit Sanctitatem, cui vitam et fidem christianam custodiendam et Ecclesiam suam regendam committeret; ad nullum alium rectius refertur, si quid contra catholicam fidem oritur in Ecclesia,

365. **Thesis LII.** ***Ecclesiae magisterium infallibilitatis praerogativa pollet.***

Demonstratio. Duplex distingui solet infallibilitas Ecclesiae: activa, quae est praerogativa testandi, docendi, judicandi in rebus fidei absque erroris periculo; et passiva, quae est immunitas ab errore in credendo. Illam vindicabimus magisterio ecclesiastico, haec vero sponte sua ex activa redundat in fidelium coetum ab ore magisterii ecclesiastici pendentem: nam ideo magisterium ecclesiasticum praeditum est infallibilitate, ut fideles per illud praeserventur ab erroribus. Quare subjectum utilitatis praerogativae hujus est Ecclesia universa; subjectum vero inhaesionis est magisterium ecclesiasticum. Probatur autem Ecclesiae in docendo infallibilitas **1.** per modum corollarii **a.** ex Ecclesiae indefectibilitate [1]): nam „excideret Ecclesia Christi a sua immutabilitate et dignitate et desineret esse societas vitae ac necessarium salutis medium, si eadem a salutari fidei morumque veritate aberrare ac in ea praedicanda atque in ea exponenda falli vel fallere posset [2]);“ **b.** ex dictis de Ecclesiae fine [3]), a quo deficeret, quam primum Christi doctrinam non amplius proponeret; tum **c.** ex dictis [4]) de habitu sive ad Christum caput, sive ad Spiritum s., neque enim amplius esset Christi capitis corpus vel regnum, si in docendo ab eodem dissentiret.

---

ut ejus auctoritate corrigatur: nec ulli alii tutius, si quid contra errorem respondetur, ostenditur, ut ejus prudentia examinetur. Quapropter sicut nulli dignius possum, ita nulli libentius praesentem epistolam, quam vestrae destino sapientiae etc.“ Aliorum oxempla cf. apud Andries, cathedra romana 1, 241 s.

[1]) Cf. th. XXXVIII. Ad rem advertit Fenelon instruct. pastor. 3. c. 57: „Ecclesia nullo unquam decreto expresse declaravit se esse infallibilem; hanc continuo auctoritatem fundamentalem supponere eidem sufficit, eamque contra illos exercere ipsos, qui eandem in dubium vocare ausi fuerint, atque haec constans praxis est declaratio continua, quam Ecclesia nobis de auctoritate sua infallibili proposuit.“ Indirecte tamen hanc praerogativam Ecclesiae vindicavit seu tamquam indubiam proposuit conc. vaticanum sess. 4. cap. 4., in quo definit, rom. pontificem ea pollere infallibilitate, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit. Cf. annot. seq. et prop. 1. syn. pistoriensis.

[2]) Ita schema constit. dogm. de Ecclesia Christi cit. c. 9. Quibus haec ibid. subjiciuntur: „Sacro autem et universali approbante concilio docemus atque declaramus, dotem infallibilitatis, quae tamquam perpetua Ecclesiae Christi praerogativa revelata est, quaeque nec cum inspirationis charismate confundi debet, neque eo spectat, ut Ecclesia novis revelationibus ditescat, collatam ad hoc esse, ut verbum Dei sive id scriptum sive traditum sit, in universali Christi Ecclesia integrum et a quavis novitatis immutationisque corruptela immune asseratur et custodiatur.“

[3]) Cf. thes. XL. [4]) Cf. n. 296 ss.

366. Probatur **2.** ex disertis Christi effatis: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam* [1]): et iterum: *Docete omnes gentes . . . et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi* [2]).

Quo in testimonio expende, quam magnum munus et onus imponat Christus apostolis iisque paucis, illiteratis, timidis. Quare illud *ecce* animum iis addit rem magnam portendens. *Ego vobiscum sum:* quibus verbis non promittit praesentiam mere localem, sed actuosam, gratiis fecundam, qua eorum labores comitaturus atque benedictione sit donaturus, ut eis respondeat uberrima messis; eis suam tutelam et assistentiam ita pollicetur, ut firmi invictique reddantur. Hanc illorum verborum esse vim, colligitur **a.** ex sensu obvio illius formulae a principe potente ad ministrum suum prolatae; **b.** ex usu loquendi Christi, qui passim ex eo, quod Pater secum esset, auctoritatem virtutemque sibi asserit [3]); **c.** ex usu loquendi Scripturae: Deus enim in V. T. eos, quos ad magna opera emittere solebat, hac formula solabatur certosque reddebat de suo auxilio deque felici missionis exitu [4]); **d.** ex contextu, ideo enim mentionem praemisit summae suae in coelo et in terra potestatis, ut significaret omnem illam potestatem in auxilium eis adesse; denique **e.** ex scopo, qui fuit eis animum addere, ut confidentia pleni ad opus se accingerent.

Nec minus splendidae sunt promissiones Jo. 14, 16: *Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis;* v. 26: *Ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecunque dixero vobis;* et infra 16, 12: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Quibus perpensis verissime infert Petrus cluniacensis contra Petrobrussianos [5]): „Non debet ergo credi testimoniis Ecclesiae, cui indivisibiliter Christus cohabitat usque ad consummationem seculi? Non debet credi testimoniis Ecclesiae, cum qua Spiritus sanctus inseparabiliter permanet non hic tantum, sed in aeternum? Non debet credi testimoniis Ecclesiae, quae unum cum Patre et Filio est, sicut Pater in Filio et Filius in Patre? cui eam claritatem Filius Dei dedit, quam accepit a Patre (Jo. 17, 22)? Quomodo ergo potuit plus quam per mille annos et falli et fallere Ecclesia, cum qua verax Pater, cum qua Veritas Filius, cum qua Veritatis Spiritus perpetuo mansit? Sed cum hoc omnino impossibile sit, colligitur, quod ejus traditionibus omnibus sicut apostolicis omnimoda ab omnibus fidelibus fides exhiberi debeat.“

---

[1]) Matth. 16, 18; cf. n. 283.

[2]) Matth. 28, 19. [3]) Cf. Joan. 8, 29; 14, 10; 16, 32; cf. 3, 2; Act. 7, 9.

[4]) Ex. 3, 12; Jos. 1, 5; Jud. 6, 16. etc. Cf. Schrader de theol. testium fonte, in appendice. Cf. Palmieri § 21.

[5]) Migne 189, 739.

Probatur **3.** ex verbis s. Pauli, qui Ecclesiam vocat *columnam et firmamentum veritatis* (1. Tim. 3, 15): quibus verbis dicit, non quid Ecclesia esse debeat ex aliqua lege morali, sed quid sit, et quidem quid sit non de facto et historice tantum, sed quid sit ex sese, idque dicit dogmatice. Atqui tanto encomio Ecclesia insigniri non posset, si vel semel proderet veritatem.

Senserunt vim hujus argumenti protestantes, quorum propterea nonnulli exceperunt, haec verba esse vel referenda ad Timotheum (cf. Gal. 2, 9), vel ad ecclesiam particularem ephesinam, quae certe non fuit infallibilis. Sed primum effugium vix responsione est dignum, cum apposita, nisi graves obsint rationes, referri debeant ad subjectum proximum, quod hic est Ecclesia. Deinde Paulus cum Timotheo agit ut cum discipulo et filio, quem sollicite instruit; ideoque non considerat ut columnam et firmamentum veritatis. Haec vero referri exclusive ad ecclesiam ephesinam plane gratis supponitur, nam Paulus loquitur omnino absolute; neque ecclesia particularis dici potest columna et firmamentum veritatis, nisi quatenus est membrum Ecclesiae universalis; quare verba haec intelligi debent vel immediate vel mediate saltem de Ecclesia universim. Ceterum hoc testimonio expressam esse veritatem, quam defendimus, intellexerunt Calvinus[1]) et Lutherus, qui fatetur[2]): „Ecclesia est columna et firmamentum veritatis, nam sic habet symbolum omnium nostrum: Credo Ecclesiam sanctam catholicam, ut impossibile sit illam errare etiam in minimo articulo.“

Eadem veritas **4.** eruitur ex verbis s. Petri[3]): *Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia* (i. e. expositio) *Scripturae propria interpretatione non fit.* Quare? *non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu s. inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Significatur ergo clare eodem Spiritu faciendam esse interpretationem authenticam prophetiae (idem dicatur generatim de revelatione), quo prolata fuit. Neque mirum, illius enim est dare authenticam interpretationem alicujus scripti vel legis etc., qui illius est auctor. Atqui hic Spiritus interpretationis non communicatur singulis, ut patet experientia; verum promissus fuit Ecclesiae seu ecclesiastico magisterio, ut supra audivimus. Ergo authentica Scripturae seu revelationis expositio fit ab Ecclesia non humana auctoritate, sed per Spiritum s. Ergo ea nequit esse erronea, sicut nec ipsa revelatio ab ipso profecta.

367. Praeterea **5.** tenentur fideles, nisi salute excidere et anathema incurrere velint, Ecclesiae docenti credere; nam peremptorie dictum est: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*[4]).

---

[1]) Instit. l. 4. c. 1. [2]) De servo arbit.

[3]) 2. ep. 1, 20. Cf. Schneemann die kirchl. Lehrgewalt n. 28 ss.

[4]) Matth. 18, 17; 10, 14 s.: *Quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros; exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus.*

Et tenentur credere tam firmo assensu, ut etiamsi angelus de coelo aliter doceat, non liceat eis dissentire (Gal. 1, 8) et quidem quamdiu mundus durabit. Atqui injustum plane est rationisque indoli omnino contrarium tam firmum simpliciter postulare assensum, spreta quavis ratione vel auctoritate in contrarium, si non omne errandi periculum excluditur a magisterio Ecclesiae: alioquin Deus nos obligaret ad profitendum etiam errorem, si quem Ecclesia proponeret. Eadem veritas 6. colligitur ex fine instituti ecclesiastici magisterii, qui est, ut homines tuto i. e. assensu omne dubium excludente credere et dissipatis omnibus dubiis compositisque authentice omnibus controversiis in unitatem fidei possint conspirare. Atqui negata magisterii ecclesiastici infallibilitate jam nec tuto nec inconcusse fideles omnes, docti et indocti, credere nec in unitatem fidei immotam conspirare possunt; semper enim vel saltem saepe oriri posset dubium, ne forte Ecclesia aliquo in dogmate definiendo erraverit, praesertim si graves in contrarium succurrerent rationes, vel haud contemnenda virorum doctorum obstaret auctoritas. Ergo ut finis ille obtineatur, ecclesiastici magisterii auctoritas supra omne dubium posita esse debet. Super omne dubium autem non est nisi sit infallibilis. Quod ad evidentiam usque 7. confirmatur atque illustratur historia omnium sectarum, protestantium praesertim, qui magisterii ecclesiastici infallibilitate rejecta non habent, quo consistant, perpetuo fidem mutant atque in fragmenta innumera dissipantur [1]). Neque mirum, cum, ea abjecta, logica necessitate incidamus vel in rationalismum effrenatum vel in pietismum coecum. Necesse vero 8. non est veritatem hanc ex sentiendi ratione totius antiquitatis theoretica et practica comprobare. Semper enim quaevis doctrina, quamvis speciosis rationibus niteretur, eo ipso falsa judicabatur, quod dissona esset a praedicatione magisterii ecclesiastici (n. 173 s.). Credebatur ergo haec supra omne dubium et examen posita, quod proprium tantum est auctoritatis infallibilis. Hinc illa Hieronymi verba adv. lucifer. n. 28: „Poteram omnes propositionum

---

Amen dico vobis: Tolerabilius erit terrae Sodomorum et Gomorrhaeorum in die judicii, quam illi civitati; Marc. 16, 16.

[1]) Quare bene protestantes ita urget Becanus summae theol. t. poster. tr. 1. c. 5. concl. 5. n. 63: „Vel sequuntur Ecclesiam suam vel ab ea dissentiunt. Si illam sequuntur, nihil certi habent, si ipsa errare potest. Si ab ea dissentiunt, magis perplexi sunt, quia si tota ipsorum Ecclesia errare potest, multo magis singuli ipsorum possunt.« Unde desperatione acti plures e protestantibus novam exspectant Ecclesiam vel oeconomiam (Zukunftskirche); vel novum praestolantur Spiritus s. adventum et effusionem, illamque precibus hunc in finem fusis accelerare nituntur. Alii omni spe destituti ut unicum solatium regnum chiliasticum opperiuntur. Cf. supra n. 282. Cf. Döllinger Kirche und Kirchen pag. 476 ss.

(adversariorum) rivulos uno Ecclesiae sole siccare;" et ad rem hortatur Augustinus: „Contradicunt linguae multae; diversae haereses, diversa schismata personant; linguae multae contradicunt veraci doctrinae: tu curre ad tabernaculum Dei, Ecclesiam catholicam tene, a regula veritatis noli discedere, et protegeris in tabernaculo a contradictione linguarum [1]."

368. **Corollaria. 1.** Merito damnata fuit prop. 1. synodi pistoriensis, »quae asserit, postremis hisce seculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti spectantes ad religionem et quae sunt basis fidei et moralis doctrinae Jesu Christi,« tamquam haeretica. Immerito **2.** postulant novatores, ut omnis de fide controversia dirimatur ex doctrina primorum seculorum. Hoc enim postulatum innititur supposito, ut ostendimus (n. 191), falso, Ecclesiae doctrinam primis quidem seculis puram illibatamque mansisse, postea vero temporis lapsu coepisse obfuscari. **3.** Quaelibet doctrina, quae dissidet a doctrina verae Ecclesiae, absque ulla alia demonstratione haberi debet falsa et erronea, ideoque damnanda [2]. Atqui novatores sec. XVI. plures docuerunt opiniones, quae abhorrebant a doctrina omnium illorum coetuum, qui eos praecesserunt, inter quos certissime erat vera Ecclesia. Nequit ergo protestantium coetus haberi vera Ecclesia.

369. **Scholion I.** *Exceptioni satisfit.* — Paucis tandem aliquando respondendum est exceptioni, quae jam in tr. de apologia religionis christianae fieri posset et solet, nostram demonstrationem laborare circulo vitioso vel petere principium, cum ex divinis literis probemus Ecclesiae auctoritatem, et ex Ecclesiae testimonio Scripturarum authentiam et inspirationem. Pariter quis excipere posset: Ecclesiae infallibilitas est objectum fidei ideoque assensus infallibilis. At ut tuto credere possimus, inniti debet fides nostra infallibili testimonio Ecclesiae (n. 367). Quomodo ergo sine petitionis principio propter testimonium Ecclesiae possumus assensu infallibili fidei credere Ecclesiae, dum sibi vindicat infallibilitatis praerogativam?

Disputandi methodus cum haereticis. — Ut ad primam difficultatem prius respondeamus, advertimus: aut disputationem institui adversus haereticos, speciatim protestantes, aut adversus infideles vel incredulos. Si disputandum est adversus protestantes, ita procedimus: Cum inter catholicos et protestantes conveniat, s. Scripturam, Evangelia praesertim, continere divinam revelationem, doctrinam Christi (utrum omnem necne, nondum

---

[1]) In Ps. 30. n. 8; cf. ejus verba supra n. 211; de bapt. l. 4. c. 24. et aliorum patrum testimonia apud Stapleton in relect. principiorum fidei doctrinalium Controv. 6. q. 2. a. 3.

[2]) Unde etiam optima est definitio veri catholici, quam tradit Vincentius lir. common. c. 20: „Ille est verus et germanus catholicus, qui veritatem Dei, qui Ecclesiam, qui Christi corpus diligit, qui divinae religioni, qui catholicae fidei nihil praeponit, non hominis cujuspiam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non philosophiam, sed haec cuncta despiciens, et in fide fixus stabilis permanens, quidquid universaliter antiquitus Ecclesiam catholicam tenuisse cognoverit, id solum sibi tenendum credendumque decernit.«

quaeritur), eaque esse inspirata (si enim de hoc adversarii dubitarent, incredulis essent accensendi, de quibus postea): merito ex hac suppositione et ad hominem ex claris Christi testimoniis (quae in hoc argumento abundant), proinde ex revelatione divina probamus Ecclesiae institutionem atque ejusdem docendi auctoritatem, quam omnes audire debent, nisi velint esse ethnici et publicani[1]); quae pro Christo legatione fungitur[2]), adeo ut qui eam audit, ipsum audiat[3]), cum ipse eidem promiserit perennem suam assistentiam[4]) atque Spiritum veritatis, qui cum ea manens in aeternum eam ducat in omnem veritatem[5]). Quo semel demonstrato, tuto ei credimus, quidquid credendum docet, sicut quondam judaei apostolis praedicantibus et ipsi Christo docenti credere poterant, quin circulum incurramus vitiosum vel principium demonstrationis petamus.

370. *Disputandi methodus cum incredulo.* — Si vero disputatio sit cum incredulo, alia disserendi ratione et oeconomia utendum est. Demonstrata scil. **1.** revelationis possibilitate et necessitate, probamus **2.** divinam Christi missionem triplici illo testimonio, quod exposuimus[6]), et ex adjunctis ipsius religionis ab eo promulgatae: ad quam probationem utimur quidem divinis literis, sed sicut libris humana fide dignis, quae continent facta dictaque Christi fideliter relata, sicut in aliis probationibus historicis utimur scriptis Herodoti, Livii, Taciti. Probata **3.** divina Christi missione atque divina religionis christianae origine, probanda jam est Ecclesiae sec. XIX. missio divina et docendi auctoritas talis, qua innixus tuto credere possim, rationabiliter credere debeam, ut sinceram cognoscam revelationis divinae olim factae doctrinam. Quae demonstratio duplici via institui potest. Possumus scil. ostendere **a.** quintuplicem illum radium[7]), qui manifestat divinam religionis christianae originem, competere Ecclesiae catholicae[8]): scil. ejus venerandam canitiem et constantiam tot in procellis, ejus catholicitatem et in catholicitate unitatem, efficaciam in immutandis moribus barbarorum et in attrahendis ad se ex aliis sectis viris ingenio, doctrina, virtute insignibus, splendorem sanctitatis, quae cernitur in custodia tam frequenti consiliorum evangelicorum, in zelo virorum apostolicorum, in caritate tot virginum pro salute proximi sive corporali sive spirituali gratis se immolantium, in tot charismatis animarum singulariter electarum etc. manifestare Ecclesiam catholicam non esse institutum humanum, sed superhumanum, supernaturale, divinum, in quo Deus gratia sua visibiliter habitet. Vel **b.** cognita divina Christi missione et divina religionis christianae origine, ex scriptis evangelicis, quorum authentiam saltem humanam jam cognovimus et quorum auctoritas eo major modo erit (etsi inspiratio nondum admittatur), quo certius constet, illa tamquam fundamentalia haberi in ea religione, cujus divina origo jam innotuit, et ex aliis antiquitatis monumentis, quae saltem historice nobis referunt, quae ad Christum et religionem a se promulgatam spectant[9]); colligere licebit Christi intentionem de propaganda sua doctrina ad posteras generationes[10]), Ecclesiae institutionem et docendi auctoritatem (sicut adversus protestantes disserentes facere oportet), certas-

---

[1]) Matth. 18, 17. [2]) 2. Cor. 5, 20. [3]) Luc. 10, 16.
[4]) Matth. 28, 20. [5]) Jo. 14, 16. 26. [6]) Tr. I. sect. 1. c. 1. 2.
[7]) Supra n. 112. [8]) Num. 143. [9]) Cf. n. 169. [10]) Cf. th. XXIII.

que notas, quibus ea agnosci dignoscique possit[1]). Quibus cognitis evincendum erit, in Ecclesia catholica sec. XIX. satisfieri adamussim Christi intentioni atque reperiri notas proprias Ecclesiae a se conditae.

371. Demonstratione absoluta, cujus fructus est cognitio rationalis, Ecclesiam catholicam sec. XIX. esse institutum divinum ad edocendos homines viam salutis seu Ecclesiam Christi, quae sub ejus tutela pro ipso legatione fungatur: poterit homo jam rationabiliter, prudenter, tuto (gratia adjutus, quae nulli bonae voluntatis deest) credere Ecclesiae sive de se testanti sive docenti nomine Christi doctrinam revelatam, ac si Christus ejus ore loqueretur; sicut prudenter et tuto legato regio, suam missionem regiam comprobanti, credere possumus ut ipsi regi, qui per eum loquitur; sicut gentiles apostolis, judaei Christo suam divinam missionem tam splendide comprobanti tuto, rationabiliter, prudenter credere poterant et sine contemptu Dei rationisque abusu fidem denegare non poterant. Sicut vero judaei tenebantur assentiri Christo docenti non assensu quocunque, sed qui deceret tantam auctoritatem, quae in eo loquebatur: ita assensu non quocunque, sed indubio[2]) tenentur homines Ecclesiae docenti assentiri, quam pro Christo legatione fungi, ejus esse organum ac veluti os semel agnoverunt. Qua in methodo nulla circuli vitiosi et petitionis principii umbra reperitur, sed verissima apparet Ecclesiae doctrina: „Rationis usus fidem praecedit et ad eam hominem ope revelationis et gratiae conducit[3]).“

372. **Scholion. II.** *De Synagogae infallibilitate.* Quaeritur, utrum magisterium seu summus sacerdos synagogae fuerit infallibilis. Affirmant plures cum Becano[4]) innixi **a.** verbis Moysis Deut. 17, 8 ss. delegantis judaeos in causis difficilibus *ad sacerdotes levitici generis et ad judicem, qui fuerit illo tempore... qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies, quodcunque dixerint... Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio... et decreto judicis, morietur homo ille;* **b.** verbis Christi dicentis Matth. 23, 2: *Super cathedram Moysi sederunt scribae et pharisaei. Omnia ergo quaecunque dixerint vobis, servate et facite;* **c.** verbis s. Joannis Jo. 11, 49 ss. de Caipha prophetante: *Expedit vobis, ut unus moriatur* etc. *Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius.* Alii negant, cum argumenta allata rem non satis probent, imo nimis videantur probare. Ex primo textu enim sequeretur, sacerdotium leviticum fuisse infallibile in causis et negotiis particularibus *inter sanguinem et sanguinem, lepram et lepram.* In negotiis vero particularibus nemo unquam asseret magisterio ecclesiastico infallibilitatem, neque ea est necessaria. Quare ex illo textu sequitur tantum, sententiam sacerdotii fuisse inappellabilem et supremam; atqui in rebus agendis non est necessaria sententia infallibilis. Alter textus applicari potest omnibus legitime praepositis, hinc non est ad rem. Ex tertio sequeretur, summum pontificem V. T. habuisse donum inspirationis, quod vix credibile. Quocirca illud, *cum esset pontifex,* non videtur esse ratio, quare Caiphas

---

[1]) Cf. infra c. 4. [2]) Cf. infra n. 629 s.

[3]) Cf. quae tr. seq. sect. 1. uberius disseremus de fidei genesi.

[4]) Analogia V. et N. T. c. 11. q. 2. et alibi. Cf. quoque Al. Vincenzi in lucubratione prima de s. christ. et hebr. monarchia et de infallibili in utraque magisterio, Romae 1872; Heinrich § 93.

illam prophetiam potuerit proferre, sed quare Spiritus sanctus voluerit mirum Dei consilium de Christi morte per Caipham potius quam per alium manifestare. Obstare etiam videtur factum, quod verba illa protulerit in concilio pontificum et pharisaeorum, qui solemniter Christum repudiandum et damnandum esse pronunciarunt, quia Filium Dei se fecerit. Quaestionem optime pro more solvere videtur card. Franzelin de Eccl. th. 3., qui postquam fassus est, deesse argumenta firma pro infallibilitate magisterii ordinarii synagogae, ita statuit: „Alio igitur modo infallibilitatis charisma, quod etiam in magisterio Ecclesiae V. T. negare fas non est, ex ipsa propria indole illius oeconomiae concipiendum esse videtur. Sicut ibi veritas divina novis continuis revelationibus explicanda erat, ita ex hoc ipso missio extraordinaria prophetarum, qui nimirum essent ministri revelationis, cum proprio fine illius oeconomiae intime nexa et conserta intelligitur. Unde ad magisterium divinae religionis... pertinebat non solum munus ordinarium sacerdotale, sed etiam munus propheticum extraordinarium... Si quando igitur magisterium ordinarium sua culpa deficeret, charisma propheticum magisterii extraordinarii supplebat defectum ad infallibilem conservationem doctrinae et fidei divinae in Ecclesia Israel... Infallibilis itaque depositi custodia erat utique etiam in Ecclesia mosaica, non tamen per promissam perennem assistentiam Spiritus veritatis pro magisterio ordinario (sicut in N. T.): sed quatenus munus utrumque, ordinarium sacerdotii et extraordinarium prophetiae, consideratur conjunctum.«

B. De infallibilitatis subjecto.

373. **Thesis LIII.** ***Dilata interim quaestione de romani pontificis infallibilitate, subjectum hujus praerogativae est ipsum magisterium apostolicum divinitus institutum, quod constat ex episcopis sive per orbem dispersis sive in concilium oecumenicum congregatis.***

Demonstratio p. I. Cum nondum disputaverimus de romani pontificis primatu, opportunum non est infallibilitatem ejus modo probare. Singulos vero episcopos, vel concilia particularia non esse hujus praerogativae subjectum, patet, cum ex historia constet, singulares episcopos errasse, imo et concilia particularia defecisse a veritate. Non tamen propterea spernenda est eorum auctoritas, cum eadem historia teste manifestum sit, illa magni semper facta esse in Ecclesia, si secundum canonum praescripta celebrarentur; nominatim vero si vel tacita vel expressa Ecclesiae approbatio accederet, quae authenticum est testimonium, concilia in damnandis haeresibus exponendaque doctrina catholica non errasse, nam Ecclesia utpote infallibilis decreta erronea approbare nequit. Hinc quam plurimas haereses conciliorum particularium auctoritate damnatas contritasque legimus.

374. Episcoporum ordinem seu coetum subjectum esse tantae praerogativae probatur **1.** hac ratione: Illi habendi sunt heredes hujus dotis apostolis factae, qui sunt eorum successores legitimi in munere praesertim docendi, cui ea praerogativa adnexa est. Atqui totius antiquitatis consensu episcopi primo veluti gradu proprioque jure apostolorum successores sunt. Quam ob rem Hieronymus scribit ep. 42. n. 3:

„Apud nos apostolorum locum episcopi tenent;“ et iterum in Ps. 44. 17: „Fuerunt, o Ecclesia, apostoli patres tui! quia ipsi te genuerunt; nunc autem, quia illi recesserunt a mundo, habes pro his episcopos filios.“ In quae verba fere eadem habet Augustinus n. 32: „Quid est: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii?* Patres missi sunt apostoli, pro apostolis filii nati sunt episcopi. Hodie enim episcopi, qui sunt per totum mundum, unde nati sunt? Ipsa Ecclesia patres illos appellat, ipsa illos genuit, et ipsa illos constituit in sedibus patrum.“ Quare episcopi sicut heredes sunt muneris, heredes erunt et praerogativae tam necessariae ad illud, ut par est, explendum, seu, ut Irenaeum loquentem audivimus (n. 171), „cum episcopatus successione charisma veritatis certum acceperunt.“ Ad haec **2.** si non solis episcopis, sed etiam presbyteris competeret in docendo infallibilitas, jus ii haberent sedendi in conciliis, in quibus dirimuntur controversiae fidei, et ad illorum quoque doctrinam in causis fidei appellatum fuisset. Atqui presbyteri, licet subinde admitterentur ad concilia, non admittebantur, quasi jure fruerentur in eis sedendi, sed tantum ex privilegio vel ex causa speciali. Quo factum est, ut innumera concilia celebrata sint, quibus nullus presbyter interesset; vel si interessent presbyteri, episcoporum tantum ratio haberetur, ita ut concilia ab episcopis denominarentur, decretisque soli episcopi authentice subscriberent. Praeterea solos episcopos legimus subinde suo loco misisse presbyteros, nunquam vero presbyterum alium quempiam misisse, qui suo loco concilio interesset. „Nusquam, docet conc. oecumenicum VIII., sacri canones statuunt, ut ad synodos principes seculares veniant, sed soli episcopi[1].“ Quod si presbyteri subscribebant decreta, subscribebant vel nomine episcoporum, quorum vices gerebant, proinde non nomine proprio, vel ex quodam privilegio, vel ut a se haeresis suspicionem amoverent, vel ut suum consensum testarentur.

375. **Declaratio p. II.** „Concilii nomine, inquit Bellarminus, idem significatur in Ecclesia, quod nomine comitiorum in regnis. Nam quemadmodum, cum oritur controversia in republica, conveniunt in unum

---

[1]) C. 17. Hardouin coll. conc. 5, 1103. Quapropter si de conciliis est sermo penes patres, numerus indicatur episcoporum, non vero presbyterorum. Dicitur v. gr. habitum fuisse concilium 20 vel 30 vel 50 etc. episcoporum: quo significatur, episcopos solum esse legitima et jure proprio membra conciliorum. „Ex 675 conciliis, scribit Antoine theol. univ. tr. de fide div. sect. 4. c. 3. a. 10. § 5, quae celebrata numerantur (usque ad sec. XVIII.), duodecim tantum ab apologista (anonymo) parochorum parisiensium hanc presbyterianismi haeresim tuente (in lib. Le témoignage de la Vérité) proferri potuerunt, in quibus presbyteri aliquot subscripserint, et circiter viginti, quibus ex episcoporum licentia interfuerint.“ Cf. Stimmen aus Maria Laach X. n. 126 ss.

principes regni vel magistratus, et statuunt quid opus sit, ita in Ecclesia, cum oritur controversia aliqua de religione, conveniunt praesules Ecclesiae et simul collatis sententiis statuunt quod videtur[1].« Missis iis, quae de conciliis in genere disputari solent, tantum de conciliis oecumenicis quaedam adnotabimus, cum ea solum infallibilitatis praerogativa fruantur: sunt enim solemnes Ecclesiae docentis ad tractanda negotia gravioris momenti conventus seu illius juridica repraesentatio. Cum autem concilia dicuntur Ecclesiae universalis repraesentatio, ne propterea aequiparentur regni alicujus comitiis: nam **a.** non sunt institutum distinctum ab auctoritate ordinaria regendi Ecclesiam, sed tantum modus solemnior et extraordinarius, quo illa munus suum docendi exercet; neque **b.** episcopi haberi possunt ut delecti a fidelibus qui horum nomine agant, sed habendi sunt ut qui vices Christi gerant ad docendum populum. Neque **c.** episcoporum est jura Ecclesiae discentis adversus primatum tueri hujusque potestatem inter aequi limites coërcere, cum nonnisi dependenter a primatu authentice aliquid possint decernere. Quare **d.** eatenus repraesentant Ecclesiam docentem, quatenus hanc praesentem sistunt fidelibus et quidem modo solemni, palpabili, indubio suo munere fungentem.

376. Quod *conditiones ad concilium oecumenicum habendum* necessarias attinet, dicimus **1.** ex parte romani pontificis requiri **a.** ut ab eodem vel saltem eo annuente convocetur; **b.** ut ipse vel per se vel per suos legatos eidem praesideat; et in primis **c.** ut illud confirmet: quod triplex jus ei infra (LXXVIII) vindicabimus. Ex parte membrorum **2.** requiritur, ut convocentur omnes episcopi jurisdictionem habentes[2]) et quidem de cunctis provinciis, ut s. Leo exigit ep. 89: »Ut evocatis de cunctis provinciis sacerdotibus vere possit esse universale concilium.« Ipsi enim tantum jure suo sedent in concilio tamquam judices nullum vero jus sedendi habent laici, imo nec sacerdotes secundi ordinis, nisi his summus pontifex locum et suffragium concedat. Ideo Gregorius XIII. concilio rotomagensi respondit: »Abbates commendatarios et capitulorum deputatos vocem dumtaxat consultativam habere: episcoporum procuratores posse, si concilio

---

[1]) De conc. l. 1. c. 3; cf. l. 2. c. 2. Suspecti de erroribus Wicleff et Huss ex mandato Martini V. interrogandi sunt: »Utrum credat, teneat et asserat, quod quodlibet concilium generale et etiam constantiense universalem Ecclesiam repraesentet.« Cf. Heinrich § 101; Hefele in introd. ad hist. conciliorum, qui distinguit octo conciliorum classes: **1.** oecumenica; **2.** generalia, quibus intererant episcopi vel Orientis vel Occidentis; **3.** nationalia seu episcoporum unius nationis, regni, patriarchatus; **4.** provincialia sub metropolita; **5.** concilia, quibus intererant episcopi plurium provinciarum; **6.** synodi dioecesanae, cleri scil. unius dioecesis sub proprio episcopo; **7.** synodi ἐνδημοῦσαι, quae Constantinopoli cogi solebant ex episcopis, qui tum forte negotiorum causa in urbe regia commorabantur; **8.** concilia mixta, quibus intererant etiam proceres regni ad consultandum de negotiis tum ad Ecclesiam tum ad regnum spectantibus.

[2]) Dicimus autem vocandos esse episcopos jurisdictionem habentes, quia episcopi titulares seu qui actu dioecesi carent sane admitti possunt admissique sunt in variis conciliis, licet nondum peremptorie dirempta sit controversia de eorum jure.

provinciali placuerit, et decisivam habere;« et Pius VI. damnavit prop. 10. synodi pistoriensis: „Doctrina qua parochi aliive sacerdotes in synodo congregati pronunciantur una cum episcopo judices fidei, et simul innuitur judicium in causis fidei ipsis competere jure proprio et quidem etiam per ordinationem accepto, falsa, temeraria, ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati definitionum judiciorumve dogmaticorum Ecclesiae, ad minus erronea.« Quod vero **3.** episcoporum numerum attinet, id statuere licet, si consulimus praecedentium conciliorum oecumenicorum historiam: **a.** non requiri, ut quotquot sunt episcopi, omnes intersint, alioquin nunquam posset concilium congregari, unusque sufficeret ad illud impediendum; neque tamen **b.** sufficere numerum quemlibet, ut decem vel viginti episcoporum; sed tunc **c.** ratione numeri ex Ecclesiae consuetudine censeri concilium universale, si convocatio sit generalis, ita ut in praecipuis Ecclesiae partibus innotescat; si nullus episcopus verus, qui jurisdictionem episcopalem habeat, excludatur; si ex remotioribus partibus saltem aliqui, ex vicinioribus vero plures adsint.

377. **Demonstratio p. II.** *Concilia oecumenica esse infallibilia* iisdem argumentis demonstratur, quibus Ecclesiae probatur infallibilitas. Sane vel nunquam Ecclesia est infallibilis, vel certe tunc est, cum quam solemnissime docet. Atqui hoc contingit in concilio oecumenico. Ergo tunc maxime infallibilitatis praerogativa in docendo gaudet Ecclesia. Quae illatio confirmatur persuasione theoretica et practica antiquitatis, quae perpetuo censuit conciliorum oecumenicorum definitiones esse ultima et peremptoria Ecclesiae judicia, normam orthodoxiae vel heterodoxiae, responsa divina, idcirco irreformabilia, pro quorum defensione mala omnia, mors ipsa, sint toleranda, quaeque citra haeresis crimen salutisque periculum negare vel in dubium vocare non liceat. Haec vero conciliari nequeunt cum judicio errori obnoxio. Quare s. Leo statuit[1]), „non esse omnino inter catholicos computandos, qui definitiones venerabilis synodi nicaenae vel sancti chalcedonensis concilii regulas non sequuntur.“ Et iterum: „De rebus et apud Nicaeam et apud Chalcedonem, sicut Deo placuit, definitis nullum audemus inire tractatum, tamquam dubia vel infirma sint quae tanta per Spiritum sanctum fixit auctoritas.“ Ita et Simplicius de concilio chalcedonensi[2]): „Quod quisquis desiderat retractari, in numero fidelium se pronunciat non haberi.“ Nota sunt Gregorii M. verba[3]): „Sicut s. Evangelii quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere et venerari fateor: nicaenum, cpolitanum, ephesinum, chalcedonense. Quisquis eorum soliditatem non tenet, etiamsi lapis esse cernitur, tamen extra aedificium jacet. Quintum quoque concilium pariter veneror. Cunctas vero, quas praefata concilia personas respuunt, respuo; quas veneran-

---

[1]) Ep. 162. n. 2. 3. ad Leonem Aug.

[2]) Ep. 25. ad Joan. CP. [3]) Ep. 4. n. 1; cf. ep. 7. n. 5.

tur amplector: quae dum universali consensu sunt constituta, se et non illa destruit, quisquis praesumit aut solvere quos religant, aut ligare quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, A. S.“ Ita etiam pluribus Ferandus, qui inter alia scribit: „Quae autem finiuntur judicantibus episcopis sanctis et ad beati (supple *Petri*) memoriam perducta diligentius examinantur atque firmantur, sequenda sunt, amplectenda sunt, in retractatione sub qualibet pietatis occasione teneri non debent[1]) etc.“ Et n. 6. de synodo chalcedonensi: „Apostolica sede consentiente, quidquid illa definivit synodus accepit robur invictum.“

378. **Demonstratio p. III.** Verum non solum episcopi in concilium oecumenicum collecti, sed etiam per orbem dispersi, si unanimiter aliquid in rebus fidei docent et praedicant, infallibilitatis praerogativa sunt praediti. Patet tum **a.** ex promissionibus Christi (n. 366), quae pastorum coetui competunt praecisione facta ab eorum congregatione vel dispersione locali; tum **b.** ex persuasione antiquitatis, quae eas doctrinas censuit haereticas, quae ab unanimi praedicatione pastorum dissentirent, licet hi per orbem essent dispersi (n. 173 ss.). Hinc absque conciliis oecumenicis quam plurimae haereses exstinctae fuere sola unanimi episcoporum conspiratione[2]). Patet **c.** ex absurdis, quae e sententia contraria sequerentur, scil. episcoporum ordinem fere nunquam frui in docendo infallibilitate, cum rara admodum sint concilia oecumenica;

---

[1]) Ep. 6. n. 7. Antea dixerat: »Universalia concilia, praecipue illa, quibus Ecclesiae romanae consensus accessit, secundae auctoritatis locum post canonicos libros tenent. Sicut legentibus Scripturam divinitus inspiratam non licet aliquid reprehendere, quamvis minime valeant altitudinem coelestis oraculi comprehendere, sed pius lector et quod non intelligit credit, ut quod credit mereatur intelligere: sic omnino nec aliter concilia, quae vetustas firmavit et custodivit devota posteritas, obedientiam de nobis exigunt nullam relinquentes dubitandi necessitatem.«

[2]) Cf. Thomassinus diss. 4. de concil., qui e plurimis effatis patrum, ut Tertulliani, Cypriani, Irenaei, Paciani, Hieronymi, Augustini etc. ostendit, ad haereses damnandas sufficere et suffecisse episcoporum per orbem dispersorum consensum. Notanda praesertim sunt Augustini verba ex l. 4. ad Bonifacium contra duas epist. Pelag. c. ultimo: »Aut vero congregatione synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? quasi nulla haeresis aliquando sine synodi congregatione damnata sit: cum potius rarissimae inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis exstiterit, multoque sint atque incomparabiliter plures, quae ubi exstiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per ceteras terras devitandae innotescere potuerunt. Verum istorum (pelagianorum) superbia, quae tantum se extollit adversus Deum, ut non in illo velit, sed potius in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis et Occidentis synodus congregetur. Orbem quippe catholicum, quoniam Domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem commovere conantur.«

hanc praerogativam plurimum pendere vel a conditione temporum vel a principum arbitrio, qui episcoporum conventum impedire possunt et revera saepe impedierunt.

379. **Scholion.** *Conciliorum infallibilitas est plane independens a consensu et acceptatione subsequenti Ecclesiae*[1]). Quam conditionem idcirco excogitarunt janseniani horumque asseclae, ut facilius eluderent decretorum auctoritatem. Eam vero esse plane rejiciendam damnandamque patet: **1.** quia innititur immani errori de potestate ecclesiastica a Christo immediate concessa fidelium coetui, e quo in Ecclesiae ministros derivetur; quia **2.** accedit ad protestantium errorem omnis verae Ecclesiae subversivum de jure examinis privati; quia **3.** adversatur verbis Christi, qui infallibilitatis praerogativam independenter a fidelium coetu immediate concessit apostolis eorumque in docendi munere successoribus; quia **4.** subvertit Ecclesiae constitutionem ordinemque, cum Ecclesiam discentem i. e. discipulos, fideles, oves, Ecclesiae docentis i. e. magistrorum et pastorum constituat censores; quia **5.** pugnat cum perpetua ratione agendi Ecclesiae, quae jam a primo concilio[2]) et deinceps decretis vim inesse credidit obligandi ante quamcunque fidelium acceptationem et confirmationem. Ideoque Paulus, cum perambularet Syriam et Ciliciam aliasque civitates confirmans ecclesias, non exploravit fidelium consensum in apostolorum seniorumque definitionem, sed praecepit et tradidit *eis custodire dogmata, quae erant decreta ab apostolis et senioribus, qui erant Jerosolymis*[3]). Quia **6.** evertit omnem conciliorum oecumenicorum ipsiusque infallibilitatis utilitatem, nam semper erit dubium, qualis quantusque requiratur fidelium consensus; quamdiu sit exspectandum, ut satis innotescat: qua ratione innotescere debeat[4]) etc.

C. De infallibilitatis objecto.

380. **Thesis LIV.** ***Infallibilitas magisterii ecclesiastici non ad ea tantum restringitur, quae divina revelatione continentur, sed ad alias etiam veritates extenditur, quae necessario requiruntur, ut revelationis depositum integrum custodiatur.***

Demonstratio p. I. Extensio seu objectum infallibilitatis colligi debet tum ex verbis, quibus Christus hanc praerogativam contulit, tum ex fine, quem in ea conferenda intendit. Atqui tam ex illis quam ex

---

[1]) Neque ad eam requiri suffragiorum unanimitatem ostendit Civiltà cattolica 1870 t. 10. pag. 100 ss.; 450 ss.; 657 ss.; Steccanella de necessitate unanimis episcoporum consensus theol. disquisitio, Romae 1870.

[2]) Act. 15, 6. ss. [3]) Act. 16, 4; 15, 41.

[4]) Huc referri potest prop. 11. syn. pistoriensis: „Sententia enuncians, veteri majorum instituto, ab apostolicis usque temporibus ducto, per meliora Ecclesiae secula servato, receptum fuisse, ‚ut decreta aut definitiones aut sententiae etiam majorum sedium non acceptarentur, nisi recognitae fuissent et approbatae a synodo dioecesana;‘ falsa, temeraria, derogans pro suà generalitate obedientiae debitae constitutionibus apostolicis, tum et sententiis ab hierarchica superiore legitima potestate manantibus‘ schisma fovens et haeresim.“

hoc eruitur infallibilitatis objectum non minus patere, quam ipsa patet revelatio christiana. Promittit enim Christus Spiritum sanctum, qui ducat Ecclesiam in omnem veritatem [1]), utique a se ex voluntate Patris hominibus manifestandam; promittit assistentiam suam omnibus diebus usque ad consummationem seculi magisterio ecclesiastico docenti quaecunque ipse mandavit [2]), et praedicanti Evangelium qua late patet [3]). Finis vero ecclesiastici magisterii est, totum revelationis depositum conservare, promulgare atque omnes circa illud obortas controversias peremptorie dirimere, ut omnes occurrant in unitatem fidei, nec circa Christi Evangelium omni vento doctrinae circumferantur [4]).

381. Hinc per modum corollarii sequitur **1.** Ecclesiam esse infallibilem in agnoscendis, recensendis exponendisque libris divinitus inspiratis aliisque revelationis h. e. traditionis divinae fontibus. Omnis enim circa revelationis divinae fontes sive canales error foret capitalis circa ipsum revelationis depositum.

Sequitur **2.** Ecclesiam esse infallibilem in componendis enarrandisque symbolis et canonibus dogmaticis; hisce enim docet fideles, quid revelatum et proinde quid credendum sit, iisque consulit unitati fidei.

Sequitur **3.** Ecclesiam esse infallibilem in explicandis praeceptis moralibus et consiliis evangelicis, cum haec quoque divina contineantur revelatione.

382. **Demonstratio p. II.** Erroneum plane est affirmare, Ecclesiae infallibilitatem se ad ea tantum porrigere, quae immediate et directe divina continentur revelatione [5]). Tenendum enim omnino est, eam primo quidem et immediate referri ad revelationis depositum, secundo vero gradu et mediate ad ea omnia, sine quibus revelationis depositum incolume et fides integra servari nequit, quaeque propterea objectum indirectum infallibilitatis constituunt. Quod videtur **1.** per se satis evidens, nisi hanc praerogativam frustra Ecclesiae collatam dicere

---

[1]) Joan. 14, 16. col. 16, 13.

[2]) Matth. 28, 20. [3]) Marc. 16, 15. [4]) Eph. 4, 13.

[5]) Ita can. 9. schematis cit.: »Si quis dixerit, Ecclesiae infallibilitatem ad ea tantum restringi, quae divina revelatione continentur, nec ad alias etiam veritates extendi, quae necessario requiruntur, ut revelationis depositum integrum custodiatur, A. S.« Et in cap. 9. schematis cit. legimus: „Objectum infallibilitatis tantum patere docemus, quantum fidei patet depositum et ejus custodiendi officium postulat, adeoque praerogativam infallibilitatis, qua Christi Ecclesia pollet, ambitu suo complecti tum universum Dei verbum revelatum, tum id omne quod licet in se revelatum non sit, est tamen ejusmodi, sine quo illud tuto conservari, certo ac definitive ad credendum proponi et explicari aut contra errores hominum ac falsi nominis scientiae oppositiones valide asseri defendique non possit.«

velimus. Deinde **2.** certum id esse debet ex persuasione practica Ecclesiae, quae sibi jus potestatemque vindicavit decernendi etiam de iis, quae immediate et directe revelatione non continentur, et quidem judicio peremptorio, dubium nullum deliberatum permittente, judicio quoad auctoritatem aequali illi, quo judicat et damnat haereses (uno enim tenore de his et aliis sententiam profert), consequenter judicio infallibili: ut patet ex judiciis contra jansenianos editis, ex censura lata adversus synodum pistoriensem et ex concilii constantiensis judicio de doctrinae articulis Wicleffi et Huss, de quibus ex Martini praescripto interrogandi sunt ii, qui horum errorum sunt suspecti[1]). Quare **3.** damnata est a Pio IX. prop. 22. syllabi: „Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae judicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur;“ et in lit. encycl. ‚Quanta cura‘ 8. Dec. 1864, quibus annexus fuit syllabus, ita habet idem pontifex: „Silentio praeterire non possumus eorum audaciam, qui sanam doctrinam non sustinentes contendunt: illis apostolicae sedis judiciis et decretis, quorum objectum ad bonum generale Ecclesiae ejusdemque jura ac disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingant, posse assensum et obedientiam detrectari absque peccato et absque ulla catholicae professionis jactura.“ Damnatis autem pluribus opinionibus ita concludit: „Omnes et singulas pravas opiniones ac doctrinas singillatim hisce literis commemoratas auctoritate nostra apostolica reprobamus, proscribimus atque damnamus, easque ab omnibus catholicae Ecclesiae filiis veluti reprobatas, proscriptas atque damnatas omnino haberi volumus et mandamus.“

383. Idem **4.** exigit revelationis divinae et ecclesiastici magisterii finis. Neque enim **a.** veritatis revelatae sunt semina mortua, infecunda, sterilia, sed vera principia, semina fecunda, quae gradatim sub directione s. Spiritus mediante magisterio ecclesiastico, cooperante rationis lumine, totam vitam intellectualem[2]) et moralem, internam et externam socialemque fermenti instar pervadere, animare, perficere, elevare debent: justum enim ex fide vivere oportet. Altera vero ex parte **b.** ho-

---

[1]) Cf. art. 6. et 11. sess. VIII. et XV., infra n. 678. Cf. etiam n. 674.

[2]) Verissime scribit ecclesia lugdunensis seu hujus nomine Florus diaconus adv. Joannem Scotum c. 18 (Migne, 119, 231): „Omni fideli homini primum vigilantissime discenda est veritas fidei ex auctoritate Scripturarum Dei, ut si quid postea de eisdem humanis literis (de quibus sermo erat) legere aut scire necesse fuerit, totum ex illa divina auctoritate et fidei veritate dijudicetur; ut si quid ibi ab ejus regula non discordat, absque periculo recipiatur; quidquid autem ab ea dissonare invenitur, quasi mortiferum respuatur.“

mines in hoc mundo degentes ope sensuum, rationis, auctoritatis humanae etc. innumeras alias hauriunt cognitiones, ideoque **c.** sponte sua multiplex orietur habitus consonantiae vel dissonantiae seu etiam pugnae inter veritates fidei et cognitiones aliunde haustas, quod etiam testatur experientia. Haec autem **d.** dissonantia vel pugna latens, nisi authentice manifestetur et declaretur, vermis instar arrodet fidei fundamenta, vigorem, fructum. Quare Ecclesia et ad tuendum fidei depositum et in fidelium utilitatem jure potiri debet authentice infallibiliterque judicandi de ejusmodi dissonantiae habitu. Unde Ecclesiae infallibilitas ultra revelationis depositum porrigitur, seque extendit quoque **a.** ad dijudicandos errores, qui revelationi adversantur; **b.** ad conclusiones sive theoreticas sive practicas, quae veritates revelatas consequuntur et in quibus magnus revelationis fructus a Deo intentus consistit; **c.** ad notiones et veritates, quibus negatis vel in dubium vocatis ipsa revelatio nutat; **d.** ad applicationem revelationis ad vitam moresque humanos, nam ea normae instar divinitus nobis est data, ut secundum eam vitam instituamus [1]).

384. Quare **1.** ipsa *philosophia non penitus subtracta censeri debet magisterio Ecclesiae* infallibili, meritoque damnata fuit a Pio IX. syllabi prop. 11: „Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum debet ipsius philosophiae tolerare errores eique relinquere, ut ipsa se corrigat.“ Concilium vero vaticanum statuit [2]): „Porro Ecclesia, quae una cum apostolico munere docendi mandatum accepit fidei depositum custodiendi, jus etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam et inanem fallaciam (Coloss. 2, 8). Quapropter omnes christiani fideles hujusmodi opiniones, quae fidei doctrinae contrariae esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatae fuerint, non solum prohibentur tamquam legitimas scientiae conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem prae se ferant,

---

[1]) Illustrare licet infallibilitatis objectum comparatione, qua utitur Scheeben § 5 n. 41 ad declarandum objectum revelationis: »Ut imagine sistamus varium quod distinximus revelationis objectum, conferre licet doctrinam de mysteriis quae est res fidei per excellentiam, procero trunco arboris revelationis; veritates rationales illis praeambulas radicibus; veritates accessorias vel per accidens revelatas cortici, qui truncum quaquaversus vestit, munit, protegit; veritates mediate revelatas ramis, quibus truncus diffunditur; veritates practicas, illas praesertim, quae illatione colliguntur, floribus, e quibus prodeunt, fructus vitae christianae, quos Deus per revelationem gratiose nobis concessam intendit.«

[2]) Sess. 3. c. 4. de fide et rat. Cf. infra n. 660; Petra Romana (auctore pseudon. Rudis scil. Andries) p. 2. diagnosi 6.

habere tenentur omnino." Imo can. 2. definit: „Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tamquam verae retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint, A. S." Praeclare hac de re docet conc. coloniense a. 1860 tit. 1. c. 6: „Procul dubio Ecclesiae, quamvis naturales scientias non tradat, tamen, quia revelatae custos est, jus competit proscribendi doctrinas philosophicas, quae vel revelatae doctrinae contradicunt, vel ad fidem in hominum animis subvertendam ducunt. Unde consequitur, non solum recedendum esse a sententiis, quas Ecclesia proscripsit, sed etiam cavendum esse, ne systemata fingantur, quae ejusdem doctrinae et menti adversentur, et reformandas patrum ac praestantissimorum theologiae doctorum exemplo doctrinas philosophicas, ubi veritatem revelatam quomodocunque tangunt, secundum Ecclesiae doctrinam ac mentem, cum ipsius philosophiae utpote scientiae inferioris et minus tuto fundamento suffultae ratio exigat, ut quemadmodum loquitur doctor angelicus (in Boëthium de Trinit. q. 2. a. 3) sit ad metas fidei redigenda secundum illud Apostoli: *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi* (2. Cor. 10, 5); neque illo Ecclesiae de doctrinis philosophicis judicio detrahitur quidquam veritatis naturalis indagandae studio."

385. Nequit **2.** Ecclesia sancire generalem quandam disciplinam omnesque obligantem, quae vel fidei adversetur vel bonis moribus vel in grave religionis detrimentum cedat; et hoc sensu *infallibilis dici debet in sancienda aliqua disciplina:* non vero eo sensu, quasi nonnisi eam semper disciplinam statuere possit, quae omnibus expensis prae ceteris optima quoque sit magisque opportuna. Ad rem Augustinus: »Ecclesia, inquit ep. 55 n. 35, quae sunt contra fidem aut bonam vitam, nec approbat, nec tacet, nec facit.« Et iterum ep. 54 n. 6: »Si quid totum per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare insolentissimae insaniae est.« Quocirca a Pio VI. declaratur prop. 78. synodi pistoriensis »quatenus pro generalitate verborum comprehendat et praescripto examini subjiciat etiam disciplinam ab Ecclesia constitutam et probatam, quasi Ecclesia, quae Spiritu Dei regitur, disciplinam constituere posset non solum inutilem et onerosiorem, quam libertas christiana patiatur, sed et periculosam, noxiam, inducentem in superstitionem et materialismum, falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, piarum aurium offensiva, Ecclesiae ac Spiritui Dei, quo ipsa regitur, injuriosa, ad minus erronea[1]).« Hinc Ecclesia saepe ad tuendam disciplinam a se sancitam in ejusmodi temerarios pseudoreformatores anathema dixit.

386. Tenendum est **3.** *Ecclesiam errare non posse in approbatione religionis* seu ordinis religiosi quoad judicium de honestate ac sufficientia

---

[1]) Rationem ex rei natura petitam innuit s. Thomas 1. 2. q. 97 a. 3. Cf. Heinrich § 104 ss.; Stimmen aus Maria Laach X. n. 79 ss.

talis modi vivendi, ut est status perfectionis acquirendae seu religionis[1]). Approbans enim solemniter ordinem religiosum eo ipso eum commendat, fidelibus proponit ut tutam perfectionis semitam eosque reddit securos de viae ad sanctitatem et gloriam bonitate. Atqui repugnat providentiae supernaturali Ecclesiae divinitus promissae, ut ea fidelibus commendet viam, quae avertat a perfectione, ducat ad perniciem. Ergo sensu exposito Ecclesia censeri debet infallibilis.

387. Tenendum est **4.** *Ecclesiam in solemni*[2]) *sanctorum canonizatione esse infallibilem:* quam propositionem innumeri theologi tuentur teste[3]) Benedicto XIV. Sunt qui affirment, id esse de fide, ut Tanner, Torres etc.; plures vero negant esse de fide, ut Canus (l. 5. c. 5) et alii apud Benedictum XIV., qui utramque opinionem in sua relinqit probabilitate; cum gravissimis tamen theologis (quorum ipse ad 70 recenset) statuit ipse n. 27: „Si non haereticum, temerarium tamen, scandalum toti Ecclesiae afferentem, in sanctos injuriosum, faventem haereticis negantibus auctoritatem Ecclesiae in canonizatione sanctorum, sapientem haeresim utpote viam sternentem infidelibus ad irridendum fideles, assertorem erroneae propositionis, et gravissimis poenis obnoxium eum dicemus, qui auderet asserere pontificem in hac aut illa canonizatione errasse, huncque aut illum sanctum ab eo canonizatum non esse cultu duliae colendum; quemadmodum assentiuntur etiam illi, qui docent de fide non esse hunc aut illum canonizatum esse sanctum.« Et sane canonizatio non est nisi publicum Ecclesiae testimonium atque judicium de alicujus hominis defuncti sanctitate ac gloria, quo quidem ille tamquam patronus et exemplar christianae virtutis et sanctitatis proponitur, fideles vero admonentur ac quandoque obligantur, ut illum colant atque imitentur. Atqui pugnat cum providentia supernaturali, quam Christus, caput et sponsus, Ecclesiae corpori sponsaeque debet, ut eam permittat colendum imitandumque proponere damnatum, Christi inimicum, daemonis servum. Ad rem sunt Hieronymi in comment. ep. ad Philem. verba: „Si quis hominem, qui sanctus non est, sanctum esse crediderit et Dei eum junxerit societati, Christum violat, cujus corporis omnes membra sumus. *Qui dicit,* inquit (Prov. 17, 15), *justum injustum et injustum justum, abominabilis uterque apud Deum est.* Similiter qui sanctum esse non sanctum, et rursus non sanctum asserit sanctum abominabilis apud Deum est... Qui in Christi corpore errat et labitur asserens membrum ejus sanctum esse, cum non sit, vel non sanctum esse, cum sanctum sit, vide quali crimini obnoxius fiat. *Vae,* ait Isaias (5, 20), *qui dicunt*

---

[1]) Cf. Suarez t. 3. l. 2. c. 17 de Relig.

[2]) Solemnis canonizatio non habetur, si tantum sancti alicujus nomen reperitur in martyrologio romano. Testatur autem Benedictus XIV., qui de hoc argumento est consulendus, de canoniz. et beatific. serv. Dei l. 1. c. 43. n. 14: „Pertractatum alias fuisse in ss. rituum congregatione, quid importet descriptio in martyrologio et utrum ad quandam canonizationis, an ad quandam beatificationis speciem referri possit, nec eam usque adhuc potuisse resolvi.“

[3]) Cf. l. c. l. 1. c. 43. s. Cf. Thomas quodl. 9. a. 16; Plazza causa immac. conceptionis ss. matris Dei act. 3. n. 2. § 3; Andries cath. rom. p. 246 ss.

dulce amarum et amarum dulce, ponentes tenebras lucem et lucem tenebras. Dulce puto esse sanctimoniam, *amarum* quod sanctimoniae contrarium est.« Romani quoque pontifices iis utuntur formulis in canonizatione solemni alicujus sancti, quas adhibent in definitionibus fidei, ut: »Decernimus, declaramus, definimus,« atque in eos, qui canonizationis decreto refragantur, anathema pronunciant. Quae loquendi formulae judicii firmitatem summam seu indubiam exigunt vel supponunt; imo nonnulli pontifices in canonizationis bulla infallibilitatem sibi vindicant ut Sixtus IV. et V. etc.

Quamvis vero existimari possit, Ecclesiam etiam in beatificatione servorum Dei esse infallibilem, unde plures graves theologi id tuentur: certo tamen id affirmari nequit. Canonizatio quidem et beatificatio in hoc conveniunt, quod utraque sit publicum Ecclesiae testimonium de vera sanctitate et gloria alicujus hominis defuncti: differunt tamen eo, quod illa sit ultima et definitiva sententia, non vero ista; hinc cum Ecclesia a beatificatione progreditur ad canonizationem, proponitur in generali sacrorum rituum congregatione dubium, »an tuto deveniri possit ad canonizationem,« quo favorabiliter resoluto, de tota causa iterum agitur, et cardinalium suffragium exquiritur. »Quae cum profecto caeremonialia non sint, sed substantiam judicii respiciant, nec nisi invocato Dei omnipotentis auxilio peragantur, ostendere aperte videntur, beatificationis judicium neque ab ipsis romanis pontificibus haberi infallibile.« Ita Benedictus XIV. l. c. c. 42. n. 10. Deinde ut idem pontifex animadvertit n. 12: »Judicium papae in beatificatione non est praecipiens, sed indulgens ac permittens; de cujus essentia non est, ut sit infallibile, cum certum esse sufficiat, non quidem certitudine infallibilitatis aut fidei, sed ea tantum morali certitudine, qua pontifex prudenter ac sapienter agit, indulget atque permittit.«

388. **Thesis LV.** ***Infallibilitas magisterii ecclesiastici se extendit quoque ad facta, quae dogmatica, et ad textus humanae originis, qui dogmatici dici solent.***

Demonstratio p. I. Triplicis generis sunt facta, alia revelata, ut resurrectio Christi, conversio Pauli, circa quae Ecclesia certissime est infallibilis; alia non revelata, mere historica, ut Pompejum superatum fuisse a Caesare, de quibus Ecclesia non est sollicita; alia, quae dicuntur facta dogmatica, quae scil. quamvis non sint revelata, ita tamen cum revelatione connectuntur, ut in dubium vocari nequeant, quin ipsa veritas revelata seu dogma periclitetur. Ejusmodi sunt e. g. Scripturam s., qua modo utimur, esse genuinam; concilia nicaenum, ephesinum, tridentinum etc. fuisse legitima; Pium IX., Leonem XIII. etc. legitime fuisse electos ac proinde legitimos Petri in episcopatu romano esse successores. Sane fac quidpiam horum in dubium vocetur, illico consequetur, editas definitiones in conciliis esse incertas, incertum esse centrum unitatis catholicae, scil. consequetur ipsius fidei excidium revelationisque pernicies. De ejusmodi factis contendimus, judicium Ecclesiae non modo naturaliter et historice certum, sed etiam supernaturaliter infallibile esse exstimandum. Ratio videtur sat perspicua ex ipso

fine authentici magisterii. De his enim factis moveri possunt dubia plus minusve gravia, possuntque esse inter fideles controversiae atque dissensus. Cum autem hisce factis ita sint implexae veritates revelatae, ut illis nutantibus hae ipsae nequeant consistere: revelationis depositum unitasque fidei sarta tectaque servari non poterit, nisi Ecclesia judicio supra omne dubium posito ideoque infallibili de hisce controversiis deque ipsis factis dogmaticis judicare possit. Quare in illis dijudicandis infallibilis est censenda.

389. **Declaratio p. II.** Pariter textus seu scripta possunt esse triplicis generis; alii inspirati, ut libri s. Scripturae; alii mere profani humanae originis, qui nullam habent relationem ad fidem, ut libri mathematici; alii, qui dicuntur textus dogmatici humanae originis, scripta scil. ab homine citra divinam inspirationem composita, quae de dogmate agant. Cum vero statuitur Ecclesia in ejusmodi textu dijudicando infallibilis, etiam quando illum damnat in sensu ab auctore intento, sermo non est de sensu auctoris subjectivo, qui in ejus animo versetur, sed de sensu objectivo, quem verba vi contextus secundum regulas legitimae interpretationis exprimunt, quique merito supponitur ab auctore intentus: nam quilibet supponitur id velle significare, quod verba ab eo prolata significant. Rem habemus hic cum jansenianis, qui ultro quidem concedunt, Ecclesiam esse infallibilem in dijudicanda veritate revelata et errore huic opposito: sed singulari pertinacia negant, eam esse infallibilem, dum judicat Jansenium in suo l. ‚Augustinus' doctrinam docere haereticam, cum id non sit revelatum, Ecclesia autem infallibilis sit tantum circa revelationis depositum.

390. **Demonstratio p. II.** Assertum nostrum, quod quibusdam de fide certum videtur, certe doctrinam enunciat catholicam. Probatur vero **1.** ex verissimo theoremate, Ecclesiam esse infallibilem in declaranda Vulgatae authentia, in enarrandis symbolis et conciliorum canonibus dogmaticis aliisque divinae traditionis monumentis (n. 381). Atqui tam versio vulgata, quam symbola et canones qua tales sunt textus dogmatici humanae originis. **2.** Ecclesia fere semper docet per textus dogmaticos humanae originis, per symbola, canones, decreta, quae non sunt inspirata. Si ergo in intelligendis dijudicandisque ejusmodi textibus non esset infallibilis, nunquam fere infallibiliter doceret fierique posset, ut erroneum proponeret decretum. Ad haec **3.** Ecclesia non solum infallibilis est in dijudicanda doctrina revelata, verum etiam in dijudicando eo, quod illi conforme est vel contrarium. Atqui quaelibet tandem haeresis sive ore prolata sive literis consignata revocari potest ad textum dogmaticum: neque enim concipi potest haeresis,

quae non aliqua propositione humana contineatur. Nisi ergo de hac infallibiliter posset judicare Ecclesia, nunquam de aliqua haeresi in concreto authenticum ei liceret proferre judicium: imo posset doctrinam plane orthodoxam damnare, falsam approbare. **4.** Si quod defendimus negetur, nullus erit controversiarum finis, ut ad evidentiam usque liquet ex ipsa jansenismi historia. Semper enim patebit haereticis effugium, errorem nescio quem fuisse quidem damnatum, sed non doctrinam hujus auctoris, hujus libri etc., eo quod Ecclesia eam non satis intellexerit. Atqui Christus idcirco instituit magisterium authenticum et infallibile, ut non solum fideles veram edoceantur fidem, sed etiam ut controversiae fidei unitatem subvertentes dirimantur et haereses exstirpentur. **5.** Ex ecclesiastica historia patet **a.** Ecclesiam non solum damnasse haereses, sed etiam haereticos; atque eos damnasse **b.** innixam eorum verbis ore prolatis aut scriptis consignatis, simulque damnasse id genus scripta haeretica; et quidem **c.** ita, ut plenam decretis adhaesionem [1]) exigeret et eos, qui nollent sententiae latae acquiescere, haberet ut haeresum fautores eosque excommunicaret. Sibi ergo vindicavit jus decernendi de heterodoxia vel orthodoxia textuum dogmaticorum humanae originis. Atqui esset admodum injustum sententia irretractabili aliquem declarare haereticum, declaratione ab omnibus fidelibus admittenda, propter illius verba aut scripta, si Ecclesia in his interpretandis posset errare. Ergo falsa est jansenianorum illatio, qua ex eo, quod aliquid in divina revelatione non contineatur, inferunt, judicium Ecclesiae circa illud non esse infallibile.

391. Quod pleniorem *infallibilitatis notionem* (n. 359) attinet, haec prae oculis habeantur: **1.** eam non proficisci ex quadam nova reve-

---

[1]) Cf. ex. gr. constitutionem Clementis XI., ‚Vineam Domini' 14. Jul. 1705, in qua statuit: »Ut quaevis in posterum erroris occasio penitus praecidatur, atque omnes catholicae Ecclesiae filii Ecclesiam ipsam audire non tacendo solum (nam et impii in tenebris conticescunt), sed et interius obsequendo, quae vera est orthodoxi hominis obedientia, condiscant, hac nostra perpetuo valitura constitutione, obedientiae, quae praeinsertis constitutionibus apostolicis debetur, obsequioso illo silentio minime satis fieri; sed damnatum in praefatis quinque propositionibus janseniani libri sensum . . . ut haereticum non ore solum, sed et corde rejici ac damnari debere, nec alia mente, anima aut credulitate supradictae formulae (Alexandri VII., qua damnatae fuerant et quae subscribenda erat) subscribi licite posse, ita ut qui secus aut contra quoad haec omnia et singula senserint, tenuerint, praedicaverint, verbo vel scripto docuerint aut asseruerint, tamquam praefatarum apostolicarum constitutionum transgressores omnibus et singulis illarum censuris et poenis omnino subjaceant, eadem auctoritate apostolica decernimus, declaramus, statuimus et ordinamus.«

latione vel s. Spiritus inspiratione, sed ex ejusdem assistentia, qua non permittit Ecclesiam errare sive in usu mediorum ad veritatem revelatam investigandam sive in eadem proponenda. Unde **2.** solvitur sophisma jansenistarum, qui ut ostendant, Ecclesiam falli posse in judicandis textibus dogmaticis originis humanae, ita arguunt: Ecclesia in ejusmodi textibus enarrandis utitur mediis humanis i. e. regulis grammaticis, hermeneuticis etc. Atqui haec media sunt errori obnoxia. Nequit ergo Ecclesia iis infallibiliter veritatem attingere. Omissa enim animadversione, ex hoc argumento sequi etiam, Ecclesiam errare posse in explicandis symbolis, traditionibus ipsisque Scripturis, animadvertimus: sedulo distinguendum esse inter ipsa media eorumque usum. Assecutio enim veritatis pendet in primis a mediorum usu legitimo; atqui Spiritus s. assistit Ecclesiae, ut mediis rite utatur, prout oportet, ad veritatem assequendam. **3.** Infallibilitatis praerogativam non excludere in veritate inquirenda et judiciis ferendis hominum diligentiam et cooperationem, ut jam ex primo apostolorum concilio probatur [1]). Legimus enim convenisse apostolos et seniores magnamque conquisitionem factam esse, ut dirimeretur controversia, utrum a fidelibus servanda adhuc essent legalia.

392. *Conciliorum utilitas.* — Quare **4.** concilia oecumenica, quamvis absolute necessaria non sint ad infallibilitatis exercitium, tamen admodum sunt utilia, cum agitur vel de doctrina catholica statuenda vel de damnandis haereticis vel de sanciendis decretis. Nam **a.** libentius a fidelibus iisque, quorum fides nutat, decreta accipiuntur, quae ab adeo conspicuo et numeroso pastorum coetu prodeunt vel confirmantur, quam ea quae ab uno vel a pastorum coetu per orbem disperso eduntur, cum suspiciones fraudis, ignorantiae, deceptionis, utilitatis propriae etc. longius arceantur. Facilius etiam **b.** partes dissidentes in ejusmodi synodis ad concordiam revocantur; episcopi **c.** alacrius exsequuntur decreta, quae ipsi cum aliis condiderunt; mutua collatione **d.** se instruunt, in fide confirmantur, caritatem unionemque fovent, viribus unitis in haereses debellandas exstinguendaque schismata conspirant collatisque consiliis bono communi Ecclesiae melius prospiciunt. Nunquam tamen **5.** decreta concilii certe oecumenici in dubium vocare licet sub praetextu adhibitam non fuisse sufficientem in iis condendis diligentiam.

Caput III.

De proprietatibus Ecclesiae.

393. Demonstrata Ecclesiae exsistentia atque exposita ejus natura et constitutione, inquirendum est, qualem Christus suam esse voluerit Ecclesiam, seu quaenam sint ejus proprietates, quae sponte sua Eccle-

---

[1]) Act. 15, 6 s.; cf. Andries cath. romanae sect. 1. § 2.

siae constitutionem atque finem consequuntur. Quatuor prae primis recenseri solent, quae sunt: unitas, catholicitas, apostolicitas et sanctitas. Jam de his singillatim agemus.

Articulus I.

De unitate Ecclesiae.

394. **Thesis LVI.** ***Ecclesia Christi non solum numero una, sed etiam in se una est, et quidem unitate triplici: symbolica eaque tum fidei tum professionis; liturgica atque sacramentorum; sociali legitimaeque subordinationis et obedientiae.***

Demonstratio p. I. Ecclesiam Christi unicam esse, demonstrationè vix eget; nam **1.** Christus et apostoli de Ecclesia tamquam de unica loquuntur[1]; **2.** patres eam passim exhibent veluti unicam salutis arcam et unicam Christi Sponsi sponsam; **3.** ea Christi est corpus; quare **4.** neque haeretici id unquam negarunt. Merito proinde Cyprianus: „Deus, inquit ep. 40. n. 5, unus est et Christus unus et una Ecclesia, et cathedra una supra petram Domini voce fundata. Aliud altare constitui aut sacerdotium novum fieri praeter unum altare et sacerdotium non potest. Quisquis alibi collegerit, spargit.“ Quod si ecclesiarum numero plurali fit mentio in divinis literis, manifesto nomen totius tribuitur partibus, quarum consociatione illud exsurgit.

395. **Demonstratio p. II.** Ecclesiam unam esse in se profitemur in symbolo: „Credo unam sanctam Ecclesiam.“ Colligitur autem ex appellationibus regni, ovilis, civitatis, corporis; ex verbis tum Christi[2]: *Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient; et fiet unum ovile et unus pastor;* tum evangelistae[3]: *Cum esset* (Caiphas) *pontifex anni illius, prophetavit, quod Jesus moriturus erat pro gente. Et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum;* et ex oratione Christi[4], qua tam enixe Patrem, ut crediturí omnes unum sint, rogavit. Ceterum quae dicemus sequentibus in partibus, hanc Ecclesiae proprietatem evidentius etiam comprobabunt.

---

[1]) Matth. 16, 18: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam;* Eph. 5, 53: *Christus caput est Ecclesiae, ipse salvator corporis ejus* etc.

[2]) Joan. 10, 16. [3]) Ib. 11, 51.

[4]) Joan. 17, 20. ss. Libenter autem patres Ecclesiae unitatem adumbratam cernunt in tunica inconsutili Christi. Ita Bernardus ep. 334 ad Guidonem pisanum: „Tunica haec unitas est Ecclesiae, quae scissuram ignorat, divisionem non recipit. Quod enim desuper contextum est, quod a Spiritu sancto compactum est, non dissolvetur ab hominibus.«

396. **Demonstratio p. III.** Inquirentes vero accuratius in Ecclesiae unitatem, affirmamus, Ecclesiam unam esse debere *unitate fidei;* quod vel ipsi protestantes concedunt, quamdiu praescinditur ab amplitudine objecti, circa quod fidei unitas vigere debeat. Probatur autem **1.** ex Eph. 4, 5: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* **2.** Paulus sicut passim hortatur ad fidei unitatem, ita ab eadem dissidentes damnat. Phil. 2, 2: *Unanimes, idipsum sentientes;* Rom. 12, 16: *Idipsum invicem sentientes;* Gal. 1, 7: *Quod (Evangelium) non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant et volunt convertere Evangelium Christi. Sed licet nos aut angelus de coelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit;* Tit. 3, 10: *Haereticum hominem post unam et secundam correptionem devita.* Qua in re Ecclesia nunquam eum non est imitata sive solemnibus fidei definitionibus ac fidei professionibus ejusdem unitati consulens, sive a fide Ecclesiae dissentientes excludens, ut patet ex haeresiologia. Atqui id, quo neglecto nemo Ecclesiae membrum censetur, Ecclesiae proprium judicari debet. Hanc unitatem **3.** flagitat scopus, quem Christus in condenda Ecclesia spectavit, revocare scil. ad unitatem homines et in unam redigere familiam; atqui unitas socialis hominum fundatur primario in mentium conspiratione: mentium conspirationem respectu finis supernaturalis per media supernaturalia obtinendi efficit nonnisi una eademque fides omnium insidens mentibus per Ecclesiam proposita. Quare sicut una eademque hominum ratio fundamentum et radix est ordinis socialis in ordine naturali: ita una eademque ratio altior i. e. fides (n. 656) fundamentum est ordinis socialis in ordine supernaturali i. e. Ecclesiae [1]). Id **4.** et alia ratione illustrari potest: inter revelationem Christi et Ecclesiam is exsistit habitus, qui inter doctrinam objective et subjective spectatam, inter doctrinam et coetum, qui illius virtute colligitur, constituitur et velut informatur: nam Ecclesia est coetus ille, qui Christi doctrinam profitetur. Atqui doctrina Christi est una, seu unum constituit harmonicum veritatum systema, eaque subjectiva redditur atque in Ecclesiam transfunditur per fidem. Ergo fides quoque Ecclesiae ad illam expressa una pariter erit. Quod **5.** confirmant suo suffragio patres [2]).

397. Verum ut fidei unitas in Ecclesia vigeat, requiritur **a.** una fides objective spectata, quae **b.** fiat subjectiva per intellectus assensum, seu per actum fidei sive explicitae sive implicitae, qui innitatur eidem motivo formali, quod est auctoritas Dei loquentis, eidemque

---

[1]) Cf. Leonis XIII. lit. encycl. ‚Sapientiae christianae' 10. Jan. 1890.

[2]) Cf. verba Irenaei l. 1. c. 19. supra n. 174.

principio determinanti professionem communem, quod est auctoritas Ecclesiae revelationem divinam promulgantis et proponentis. Nullatenus vero **c.** requiritur, ut singula Ecclesiae membra omnes et singulas veritates revelatas actu fidei explicitae attingant (cf. n. 215); dummodo **d.** consulto nullam negent; potiores explicite credant, reliquas implicite, paratique sint si opus fuerit eas etiam explicite credere. Requiritur praeterea **e.** principium idoneum tum ad unitatem fidei efficiendam et fovendam, tum ad eam sartam tectamque, si dissidia oriantur, conservandam. Sine hoc enim principio haberi quidem posset fidei unitas forte facto, non vero jure et constanter (cf. n. 361).

398. **Demonstratio p. IV.** Requiritur praeter unitatem fidei etiam *unitas professionis* fidei. Sane **1.** hanc exigunt Pauli verba [1]: *Corde enim creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem;* et: *Id ipsum dicatis omnes et non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia*[2]; nam, ut ipse docet[3], ex quaestionibus et pugnis verborum oriuntur invidiae, contentiones, blasphemiae, suspiciones malae etc. Exigunt Christi verba [4]: *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est.* Si enim omnium una debet esse fides, sique fidem, quam corde tenemus, ore confiteri oportet neque negare licet, una quoque omnium debet esse fidei professio. Hinc **2.** Ecclesia semper exegit professionis unitatem: quovis enim tempore illos damnavit, qui exterius non eandem cum ipsa profiterentur fidem, neminemque recepit, qui non in eandem cum ipsa fidei professionem conspiraret. Et sane **3.** hanc unitatem postulat ipsa Ecclesiae visibilitas, nec non **4.** hominis natura, a qua omnis hypocrisis et dissidium inter hominem internum et externum abesse, et cujus externus agendi loquendique modus ad internam sentiendi rationem expressus esse debet. Cum ergo ex dictis n. 396 in Ecclesia vigere debeat unitas fidei internae, hujus quoque professio una esse debebit.

399. **Demonstratio p. V.** Unitatem fidei excipit *unitas ritualis* et *sacramentorum.* Ecclesia scil. una esse debet hoc quoque sensu, quod omnes uno eodemque initientur sacramento; iisdem fruantur et promoveantur salutis mediis, quae vel immediate vel saltem mediate (ut sacramentum ordinis) in omnium cedant commodum, eodemque Deum colendi utantur ritu. Hoc colligitur **1.** ex verbis Christi [5]: *Docete omnes gentes baptizantes eos;* ex verbis Pauli[6]: *Etenim in uno*

---

[1]) Rom. 10, 10. [2]) 1. Cor. 1, 10. [3]) 1. Tim. 6, 4.
[4]) Matth. 10, 33 col. Luc. 9, 26.
[5]) Matth. 28, 19; cf. Marc. 16, 16; Joan. 3, 3 ss. [6]) 1. Cor. 12, 13.

Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus sive judaei, sive gentiles, sive servi, sive liberi: et omnes in uno Spiritu potati sumus; et: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus*[1]). Certe Ecclesia primitiva propter unitatem ritualem laudatur: *Erant autem perseverantes in doctrina apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus*[2]). Patet **2.** ex universa historia ecclesiastica; imo **3.** ex ipsa societatis religiosae et visibilis natura. Si enim Ecclesia est societas, requiritur conspiratio membrorum; si est societas religiosa instituta in cultum Dei hominumque salutem, in cultu exhibendo et mediis ab auctore hujus societatis i. e. Christo institutis ad salutem consequendam membra omnia conspirare debent. Verissime propterea advertit Augustinus[3]): „In nullum nomen religionis seu verum seu falsum coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur.“ Ideo s. Hilarius Ecclesiam definit[4]): „Unum Ecclesia corpus est, non quadam corporum confusione permixtum, neque singulis in indiscretum acervum et informem cumulum adunatis, sed per fidei unitatem, per caritatis societatem, per operum voluntatisque concordiam, per sacramenti unum in omnibus donum, unum omnes sumus.“

400. **Declaratio p. VI.** Denique Ecclesia una esse debet *unitate corporis,* unitate sociali, unitate legitimae subordinationis sub eodem regimine. Quod in primis tenendum est adversus anglicanos aliosque protestantes. secundum quos unitas Ecclesiae universalis conflatur e pluribus ecclesiis particularibus, quamvis fide vel communione ab invicem discretis[5]) et independentibus. Haec autem unitas socialis, quam Ecclesiae vindicamus, non prodit solum ex identitate finis, mediorum, legum; neque tantum ex identitate capitis, sed ad eam requiritur conspiratio mutua omnium sociorum sub directione unius regiminis: hoc enim posito omnes una conspirantes sub una auctoritate unum corpus, unam societatem constituunt. Quare nobis pro-

---

[1]) 1. Cor. 10, 16 s.; cf. 11, 20 ss.; Jo. 6, 48 ss. [2]) Act. 2, 42.

[3]) Contra Faustum XIX, 11. [4]) In Ps. 121 n. 5.

[5]) Adversus hos paratus erat canon in schemate cit. (4): „Si quis dixerit, veram Ecclesiam non esse unum in se corpus, sed ex variis dissitisque christiani nominis societatibus constare per easque diffusam esse: aut varias societates ab invicem fidei professione dissidentes atque communione sejunctas tamquam membra vel partes unam et universalem constituere Christi Ecclesiam, A. S.“ Cf. ejusdem schematis cap. 5.

bandum est, Christum ita instituisse Ecclesiam, ut una sit unitate sociali comprehendens sub uno eodemque regimine omnes fideles, qui membra sint Christi; ut non sit multiplex vel divisa in partes, quarum singulae proprium regimen independens habeant, vel quae tantum quodam foedere consocientur simul, propria independentia non amissa, quemadmodum plures societates invicem independentes uniri possunt.

401. **Demonstratio p. VI.** Colligitur veritas asserti nostri **1.** ex metaphoris regni, civitatis, domus, ovilis, corporis, quibus Ecclesia passim adumbratur; **2.** ex dictis de ministerio ecclesiastico, quod in primis institutum est ad aedificandam Ecclesiam eamque in unitate conservandam secundum illa Pauli [1]): *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores: ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei* etc.; quibus adde ejusdem apostoli verba n. 399 allata. Invicte vero **3.** sequitur ex dicendis de primatu, quibus probabimus, Christum Ecclesiae universae unum supremum praefecisse pastorem. Colligitur **4.** ex oratione sane efficaci Christi [2]), qua rogat Patrem, *ut omnes,* etiam ii, qui credituri sunt per verbum apostolorum in ipsum, *unum sint,* tanta unitate, ut ea sit credibilitatis motivum, *ut credat mundus, quia tu me misisti:* **5.** ex patribus, qui et disertis verbis, quotiescunque possunt, hanc veritatem inculcant, et aequivalenter, cum schismatis crimen, quo haec unitas scinditur, tamquam atrocissimum crimen exhibent, cujus macula nec sanguine ablui possit. Inter quos eminent Clemens romanus [3]); s. Ignatius M. in singulis fere epistolis, Cyprianus [4]) et Augustinus in omnibus operibus, quae adversus donatistas scripsit [5]). Praeclare fratres Walenburch doctrinam Scripturae ita paucis complectuntur [6]): „Ergo peccatum schismatis est contra Deum Patrem (Joan. 17, 21 s.), contra dignitatem Filii (10, 16), contra orationem Christi (17, 11), contra praeceptum Christi (13, 34 s.), contra passionem Christi (11, 52), contra Spiritum sanctum (Eph. 4, 4), contra angelos (Luc. 2, 14), contra symbolum (Eph. 2, 14), contra baptismum (1. Cor. 12, 13), contra ss. eucharistiam (1. Cor. 10, 17), contra Ecclesiam (Eph. 1, 23), contra doctores Ecclesiae (ib. 4, 11), contra aedificationem fidelium (Heb. 10, 24 s.), contra conversionem

---

[1]) Eph. 4, 11 s. [2]) Joan. 17, 20 ss.
[3]) Ep. 1. ad Cor. n. 37 s. opusc. XVII, 98.
[4]) Ep. 55. et 69. opusc. XXI, 131 ss. et 217 ss.
[5]) Cf. opusc. XXVII, 128 ss. [6]) De unit. Eccl. c. 15.

infidelium (Joan. 17, 21), contra ipsos schismaticos (Judae 19). Potestne fieri peccatum plura afferens damna?"

402. **Corollarium.** *Protestantes rei sunt schismatis.* — Cum ergo summi facienda sit Ecclesiae unitas, neque enim extra ipsam est salus, cumque gravissimum sit schismatis crimen [1]), nunquam licet se ab Ecclesia separare, praesertim cum constet, factas illi esse tot promissiones. Atqui protestantes sec. XVI. se separarunt ab omnibus ecclesiis, quae tunc exstiterunt, inter quas fuit vera Ecclesia, proinde etiam ab hac se diviserunt. Ergo vel hoc solo, quod schisma fecerint, gravissimi criminis sunt rei et a vera Christi Ecclesia alieni. Frustra vero suae separationis causam rejiciunt vel in morum corruptionem, vel in romanorum pontificum, ut ajunt, tyrannidem, usurpationes etc. Licet enim nobis repetere, quod jam sec. III. Novatiano similes rationes praetendenti respondit[2]) Dionysius alex.: „Siquidem invitus, ut asseris, eo adactus es (ut te ab Ecclesia separares), id nobis ostendes tua sponte redeundo. Satius quidem fuerat quidvis pati, ne Ecclesia Dei discindatur; nec minus gloriosum fuisset idcirco subire martyrium, ne Ecclesiam scinderes, quam ut ne idolis sacrificares, imo illud meo judicio illustrius fuisset. Hic enim pro sua unius anima, illic pro omni Ecclesia martyrium quis sustinet.« Quin perversius

---

[1]) Summa omnino severitate patres in eos invehuntur, qui Ecclesiae unitatem scindunt. Ita ex. gr. s. Irenaeus (l. IV. c. 33. n. 7. adv. haer.): „Qui schismata operantur . . . propter modicas et quaslibet causas, magnum et gloriosum corpus Christi scindunt et dividunt et quantum in ipsis est interficiunt . . .; nulla enim tanta ab eis potest fieri correctio, quanta est schismatis pernicies.« Cyprianus toto lib. de unit. Eccl. (opusc. I), ubi inter multa praeclara scribit n. 17: „Aversandus est talis atque fugiendus, quisquis fuerit ab Ecclesia separatus; perversus est hujusmodi, et peccat et est a semetipso damnatus. An esse sibi cum Christo videtur, qui adversus sacerdotes Christi facit, qui se a cleri ejus et populi societate secernit?« Cf. n. 6. 19; Constitutiones apostolicae VI, 1: πρὸ πάντων φυλάσσεσθε, ὦ ἐπίσκοποι, τὰς δεινὰς καὶ χαλεπὰς καὶ ἀθεωτάτους αἱρέσεις φεύγοντες αὐτὰς ὥσπερ πῦρ, φλιγον τοὺς αὐτῷ πλησιάζοντας. Φεύγετε καὶ σχίσματα. Fulgentius de fide ad Petrum c. 39. n. 80: „Firmissime tene et nullatenus dubites quemlibet haereticum sive schismaticum, in nomine Patris et Filii et Spiritus s. baptizatum, si Ecclesiae catholicae non fuerit aggregatus, quantascunque eleemosynas fecerit, etsi pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse salvari. Omni enim homini, qui Ecclesiae catholicae non tenet unitatem, neque baptismus, neque eleemosyna quamlibet copiosa, neque mors pro nomine Christi suscepta, proficere poterit ad salutem, quando (al. quamdiu) in eo vel haeretica vel schismatica pravitas perseverat, quae ducit ad mortem.« Cf. supra n. 317; Passaglia de Eccl. Christi l. 3. c. 36 s.; Palmieri proleg. § 22.

[2]) Apud Eusebium H. E. VI, 45. Ad rem etiam Ivo carnot. († 1116) ep. 150: „Quoniam judicia romanae ecclesiae a nemine foris retractari posse, eadem romana ecclesia docente, didicimus, si qui aliquando se praegravatos ipsius Ecclesiae auctoritate conqueruntur, hoc eis consilium damus, ut non descendant in Aegyptum propter auxilium, sed ab ipsa ad ipsam confugiant, et inde expetant levamen, unde se conqueruntur accepisse gravamen, quia quae aliquando corripit paterna severitate, eadem frequenter colligit materna pietate.«

etiam protestantes praetendunt sui schismatis rationem, quod Ecclesia defecerit ab Evangelii puritate; nam haec Ecclesiae defectio adversatur ejusdem perennitati et infallibilitati (n. 368); et ea communis omnium haereticorum est praetextus, quo jam ineunte sec. III. usi sunt Artemonis asseclae, prout vetustissimus scriptor animadvertit[1]: »Affirmant enim, inquit, priscos quidem omnes et ipsos apostolos ea, quae ab ipsis dicuntur, et accepisse et docuisse: at praedicationis quidem veritatem esse custoditam usque ad Victoris tempora, qui decimus tertius a Petro romanae urbis episcopus fuit. A Zephyrini autem temporibus, qui Victori successit, adulteratam fuisse veritatem.« Quam suspecta excusatio, qua omnes ex aequo utuntur haeretici et schismatici!

403. **Thesis LVII.** ***Discrimen articulorum fundamentalium et non fundamentalium a protestantibus inventum rejici debet.***

Declaratio. Ut status quaestionis rite intelligatur, praemittimus **1.** non rejici a nobis discrimen articulorum fidei in fundamentales et non fundamentales, si eo non aliud significetur, quam esse quasdam veritates, quae fundamenti instar aliarum sint; aut quasdam esse veritates, quas prae ceteris explicite oporteat credere, cum sint vitae christianae fundamenta, dum alias implicite credere sufficiat (cf. n. 215). Rejici vero a nobis **2.** illud in sensu protestantium, secundum quos **a.** citra haeresis crimen negari possunt articuli non fundamentales i. e. veritates, ut ajunt, quae neque fundamentum revelatae quidem fidei constituunt, neque necessario cum eodem cohaerent; **b.** Ecclesia ex omnibus iis coalescit, qui in fundamentalibus conspirent, licet in non fundamentalibus ab invicem dissentiant. Quod discrimen idcirco invexerunt, ut imminuto credendorum numero, plures sectae possint Ecclesiae ac fidelium coetui adnumerari itaque consulatur Ecclesiae catholicitati et unitati, quibus se destitutos vel inviti cernebant.

404. **Demonstratio.** Discrimen, quod exposuimus, esse rejiciendum evincitur omnibus iis, quibus probavimus thesim praecedentem. Sed jam aliis argumentis utemur, et **1.** quidem argumento ad hominem. Secundum protestantes enim nihil in religionis negotio admittere licet, quod non probetur ex divinis literis. Atqui quamvis maxime velint, tamen ne unum quidem proferre possunt testimonium sive disertum, sive aequivalens, quo haec theoria, quae alioquin secundum ipsos summi est momenti et vere capitalis, probetur.

Certe ad rem non sunt verba Pauli 1. Cor. 3, 11: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus.* Licet hic occurrat fundamenti vocabulum, non tamen eo significatur protestantium theoria; etsi enim J. Christus sit salutis fundamentum, et haec veritas *Jesus est Christus* veritas sit fundamentalis fidelibus maxime inculcanda: inde tamen non sequitur, alias veritates praeter hanc licere impune negare; imo potius protestantium opinio hoc testimonio evertitur. Si enim in primis credendum est J. esse Christum seu Dei legatum, sequitur

---

[1]) Ib. V, 28.

etiam omnia illa esse credenda, quae nomine Dei docuit et tradidit; si enim aliqua tantum crederentur, practice negaretur eum esse authenticum Dei legatum. Christus autem jussit Evangelium qua late patet praedicari, nosque credere omnia ea, quaecunque docere praecepit (Matth. 28, 19. 20). Fide ergo omnia credantur necesse est. Neque juvat adversarios, quod Paulus mox eorum facit mentionem, qui superaedificant ligna, foenum, stipulam, quorum opus ignis probabit: et licet alicujus opus arserit, *ipse* tamen *salvus* erit, *sic tamen quasi per ignem* (v. 15). Nunquam enim probabunt haec esse intelligenda de doctrinis erroneis, quae adversantur, quamvis non in fundamentalibus, iis, quae Christus Jesus docuit, ut patebit ex mox dicendis. Quare longe alia est penes patres hujus loci subobscuri interpretatio.

Imo **2.** refellitur adversariorum opinio Scripturae doctrina; nam **a.** eatenus tantum hoc discrimen admitti posset, quatenus praeter articulos necessario credendos alii supponantur, qui necessario credendi non sint. Atqui Christo auctore [1]), tam late patere debet fides fidelium, quam late patet Evangelium seu revelatio. Praeterea **b.** Paulus anathema dicit ei, qui evangelizet praeter et contra id, quod apostoli praedicant[2]). Atqui in hypothesi adversariorum anathema non incurrit, qui evangelizat doctrinam oppositam veritatibus ab apostolis promulgatis, dummodo eae non sint fundamentales. Ergo protestantium theoria adversatur Pauli doctrinae.

405. Refellitur **3.** unanimi christiani nominis traditione; nam **a.** usque ad sec. XVI. haec doctrina est plane inaudita, et tamen ex adversariorum hypothesi ea vere est summi momenti. Inaudita quoque fuit vel penes haereticos, quibus ea fuisset maxime opportuna et commoda. Imo **b.** nunquam non reapse rejecta fuit. Haeretici enim habebantur et ii, qui veritates secundum protestantes non fundamentales negarent e. g. exsistentiam purgatorii, perpetuam Mariae virginitatem, valorem baptismi haereticorum, ut patet ex catalogis haeresum a patribus conscriptis. Hinc Augustinus recensitis 88 haeresibus ita opus suum concludit: „Possunt et haereses aliae, quae in hoc opere nostro commemoratae non sunt, vel esse vel fieri, quarum aliquam quisquis tenuerit, christianus catholicus non erit;“ et Fulgentius propositis 40 capitulis ad regulam verae fidei pertinentibus, subjicit (de fide n. 85): „Si quem contraria his dogmatizare cognoveris, tamquam pestem fuge et tamquam haereticum abjice. Ita enim ista, quae posuimus, fidei catholicae congruunt, ut si quis non solum omnibus, sed etiam singulis voluerit contraire, in eo quod singulis horum con-

---

[1]) Matth. 28, 18. s. col. Marc. 16, 16. (n. 316. adn.).

[2]) Gal. 1, 6. s. in quae verba cf. Vincentius lir. c. 8. opusc. t. IX; cf. Rom. 16, 17; 1. Tim. 4, 1; 6, 3 ss. etc.

tumaciter repugnat, et his contraria docere non dubitat, haereticus et fidei christianae inimicus, atque ex hoc omnibus catholicis anathematizandus appareat." Norma siquidem **c.** secundum quam aliqua doctrina dijudicabatur orthodoxa vel haeretica, non petebatur ex ejusdem nexu objectivo cum fundamento, sed ex ejus habitu ad praedicationem ecclesiasticam seu ad revelationem per Ecclesiam propositam [1]).

406. Ea doctrina **4.** nec theoretice nec practice se commendat, praesertim in negotio salutis, quae cum alioquin ex hypothesi summi sit momenti, inconstantibus, incertis, dubiis, aequivocis, arbitrariis innititur principiis. Ejusmodi vero est doctrina, quam impugnamus. Sane **a.** hucusque nondum convenere adversarii in assignando criterio, quo discerni possint articuli fundamentales a non fundamentalibus [2]), nam saltem 12 diversae de eodem vigent sententiae. Si vero **b.** nonnulla criteria proponunt, quorum ope dijudicent, quinam sint articuli fundamentales et qui ad fundamentum non pertineant, ea vel arbitraria sunt, vel aequivoca et incerta, ut e. g. criterium, secundum quod illi sunt articuli fundamentales, quibus negatis Dei gloria subvertitur summusque hominum finis labefactatur, vel qui unanimi christianorum consensu creduntur, vel qui in bibliis perspicue traduntur, vel qui apostolico symbolo comprehenduntur. Ceterum **c.** frustra conantur

---

[1]) Cf. n. 170 s. Huc pertinent integer l. Tertulliani de praescriptionibus et Vincentii lir. commonitorium. Ad rem scribit Augustinus de civ. Dei l. 18. c. 51: „Videns diabolus templa daemonum deseri et in nomen liberantis Mediatoris currere genus humanum, haereticos movit, qui sub vocabulo christiano doctrinae resisterent christianae, quasi possent indifferenter sine ulla correptione haberi in civitate Dei, sicut civitas confusionis indifferenter habuit philosophos inter se diversa et adversa sentientes. Qui ergo in Ecclesia Christi morbidum aliquid pravumque sapiunt, si correpti, ut sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera et mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, haeretici fiunt et foras exeuntes habentur in exercentibus inimicis."

[2]) Hinc ita scribit Mosheim in elem. theol. dogmat. t. 1. c. 1: „Bibliotheca colligi posset de scriptis illis, quae de articulis fundamentalibus et non fundamentalibus agunt. Ex parte haec controversia facile componi potest, ex parte non. Quamdiu in abstracto quaeritur, quid articulus fundamentalis sit, quid non, consentiunt. Longe autem est alia rerum facies, si hi conceptus applicantur ad dogmata theologica, et illa in concreto considerantur. Si ex. gr. quaestio est, utrum hoc vel illud dogma pontificium error sit fundamentalis seu fundamentum fidei labefactet, tunc oriuntur lites, quae non facile componi possunt ob vehementes animorum motiones et praejudicatarum opinionum varietates." Cf. Wiest 3. § 24. Studium discernendi inter articulos fundamentales et non fundamentales illam disciplinam peperit, quae a nonnullis dicitur theologia comparativa, cujus est in rebus ad religionem spectantibus essentialia et substantialia a non essentialibus et adiaphoris distinguere.

protestantes ejusmodi detegere criterium. Illud enim vel deducunt a posteriori et ex revelatione, in qua tamen nihil inveniri jam ostendimus; vel a priori et ex rerum naturis, sed et hic frustra laborant. Quid enim credi debeat, pendet, sicut universa revelatio, a libero Dei decreto. Atqui quod Deus libere decernit, nequit a priori et ex rerum natura definiri, sed tantum ex Dei revelatione. **5.** Admissa semel adversariorum doctrina, Christi Ecclesia coalesceret ex coetibus, inter quos summa dissidia symbolica, liturgica, socialia vigent, eaque potius confusionem babelicam, quam unitatem civitatis, ovilis, corporis etc. referret. Atqui ejusmodi Ecclesia prorsus abhorret ab idea, quae ex Scriptura patribusque de Ecclesia formanda est. Quare protestantium theoria plane rejicienda est.

407. **Scholion.** *Exceptionibus satisfit.* — Palmer[1]) ut evincat unitatem fidei prioribus seculis non adeo impatientem fuisse cujuslibet dissidii illosque etiam, qui repugnarent Ecclesiae definitionibus, pro veris Ecclesiae membris habitos fuisse, provocat **1.** ad controversiam s. Cyprianum inter et s. Stephanum romanum pontificem; **2.** ad occidentales, qui se concilio oecumenico V. tria capitula damnanti opposuerint; **3.** ad concilium francofordiense, quod damnaverit concilium oecum. VII; **4.** ad gallos, qui concilium florentinum ex albo conciliorum oecumenicorum expunxerint, contenditque his in casibus non ita abruptam fuisse unitatem, ut qui essent alterius sententiae, censerentur esse extra Ecclesiam.

408. Cui ut respondeamus, advertimus, fidei catholicae unitatem tunc vere et proprie laedi, cum **a.** negatur veritas revelata, quae ab Ecclesia omnibus ad credendum sufficienter proposita sit; si **b.** eadem negatur Ecclesiae propositione et definitione certo cognita; et quidem si **c.** negatur cum contumacia, i. e. ita ut vel diserte vel ipso facto negetur Ecclesiae visibilis judicandi auctoritas: tandem **d.** si negatur ipsa veritas, non aliquid veritati accidens.

409. Quibus praemissis subjicimus, primum factum nihil probare ex defectu primae et tertiae conditionis, ut Augustinus passim in suis de Baptismo libris docet[2]), scribens: „Quapropter s. Cyprianus tanto excelsior, quanto humilior... satis ostendit, facillime se correcturum fuisse sententiam suam, si quis ei demonstraret, baptismum Christi sic dari posse ab eis, qui foras exierunt, quemadmodum amitti non potuit, cum foras exirent. Nec non ipsi tale aliquid auderemus asserere, nisi universae Ecclesiae concordissima auctoritate firmati; cui et ipse sine dubio cederet, si jam illo tempore quaestionis hujus veritas eliquata et declarata per

---

[1]) De doctr. christ. p. 1. c. 5. s. 3. 4.

[2]) Cf. l. 1. c. 7 s.; 18; l. 2. c. 4. n. 5.

plenarium concilium solidaretur etc.« Ceterum hac veritate per Ecclesiae auctoritatem sufficienter declarata, jam ab Ecclesia alieni habebantur, qui ulterius eidem refragarentur[1]). Neque alterum factum est ad rem, idque ex defectu secundae conditionis; qui enim initio concilio oecumenico V. se opposuerunt, ipsum adversari putabant concilio oecumenico IV; postquam vero sufficienter innotuit concilium illud esse oecumenicum, triumque capitulorum damnationem esse authenticam eamque non adversari concilio chalcedonensi, ii, qui se subjicere nolebant, ab Ecclesia extorres habebantur. Secuta est nimirum Ecclesia initio erga eos, qui bona fide se opponebant concilio oecumenico V., prudens Augustini consilium[2]): »Non aspere, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur; magis docendo quam jubendo, magis monendo quam minando. Sic enim agendum est cum multitudine, severitas autem exercenda est in peccata paucorum.« Ad rem pariter non est tertium, ex defectu trium priorum conditionum et propter errorem facti. Putabant enim concilii francofordiensis patres, in concilio nicaeno II. decretum fuisse, adorationem proprie dictam sacris imaginibus esse exhibendam. Veritate autem manifestata, approbata fuit etiam in Occidente ista synodus. Ultimum vero factum nil probat ob defectum trium posteriorum conditionum. Neque enim articulus est fidei, concilium florentinum esse oecumenicum; quod vero ibi decretum fuit, catholici in Gallia etiam profitentur. Si quis tamen erat error, is nonnullorum tantum erat theologorum[3]).

410. Idem auctor ut probet, Ecclesiam coalescere posse ex coetibus, quos catholici nunc tamquam schismaticos damnant, provocat[4]) inter alia **1.** ad schisma acacianum, quod triginta quinque annos duravit; **2.** ad magnum schisma occidentale ab 1378—1429. Ad quae respondemus: **1.** Sicut datur haeresis formalis et materialis, ita et schisma formale et materiale. Illud oritur ex contumacia contra certam legitimamque auctoritatem (n. 336 annot.), hoc vero ex ignorantia. Jam vero qui ex ignorantia se opponunt nonnunquam auctoritati, tolerari, dedoceri, corrigi, non vero ab Ecclesia excludi debent juxta Augustini consilium, quoadusque non fiant schismatici formales. Neque enim **2.** dissimili ratione consuli debet unitati ecclesiasticae, ac unitati in societate civili. Atqui principes prudentes non statim ut rebelles proscribunt subditos immorigeros, sed nonnisi postquam omnia pacis consilia mediaque blanda cesserint in irritum. Quare **3.** praepostere quis inferret, unitatem ac pacem socialem consistere posse cum turbis et tumultibus: neque enim ex statu abnormi et anomalo judicium ferri debet de rei alicujus natura. Ergo **4.** inepte quoque infertur ex eo, quod nonnunquam dissidia in Ecclesia sint orta, dissidentes vero non statim exclusi fuerint, Ecclesiae unitatem amico foedere consistere posse cum schismate. Illud enim **5.** probat tantum, Ecclesiam matrem patien-

---

[1]) Cf. Vincentius lir. c. 6.

[2]) Ep. 22. n. 5; cf. etiam Cyrilli al. ep. ad Amphilochium, in qua prudens tribuit consilium in recipiendis quibusdam haereticis sagaciter advertens: »Summum jus multos etiam plerumque turbat ex iis, qui sapientissimi videntur.«

[3]) Cf. Natalis Alexander cap. 3. in sec. VI. et diss. 10. ad sec. XVI; Norisius in diss. hist. de synodo V. cap. 9.

[4]) L. c. c. 4. sect. 3.

tissimam infirma membra tolerare tamdiu, quamdiu spes eorum salutis affulget; ac tum demum illa resecare, cum spe emendationis sublata ea rebellionis veneno alia inficiunt. Quod si **6.** quaeritur, quomodo Ecclesia tempore schismatis occidentalis fuerit una, respondemus eam tunc fuisse unam **a.** unitate symbolica et liturgica; neque **b.** eam caruisse unitate sociali saltem juris: omnibus enim persuasum erat, universam Ecclesiam nonnisi uni subesse debere primati, neque posse admitti plures pontifices. Neque **c.** facto defuisse omnem unitatem socialem; licet enim non omnes circa idem caput visibile conspirarent, suberant tamen episcoporum coetui, qui, quantum fieri potuit in dubio circa legitimum caput, satis inter se cohaerebant: suberant enim omnes sincera animi intentione et dispositione pontifici legitimo; licet plures de facto pontifici illegitimo adhaeserint, sed per errorem et bona fide reputantes eum legitimum. Ceterum **7.** facta ipsa objecta, si penitius expendantur, evidenter demonstrant, quam impatiens omnis dissidii sit unitas ecclesiastica, omnem siquidem lapidem movit, ut dissensionis fluctus tandem componeret[1]: quos adeo bene composuit, ut exinde nunquam ortum sit simile schisma, nullus electus amplius fuerit antipapa, sicut olim fere singulis seculis factum est. Adeo status ille abnormis occasio fuit firmandae unitatis ecclesiasticae.

Articulus II.

De sanctitate Ecclesiae.

411. **Thesis LVIII.** ***Vera Christi Ecclesia multiplici de causa sancta censeri debet; praesertim vero ob virtutum christianarum culturam supernaque charismata, quibus usque ad finem seculi splendebit.***

Declaratio. Sanctitas alia est ethica et personalis, alia realis. Illa haberi nequit sine assimilatione et conjunctione cum Deo et est generatim rectitudo moralis personae coram Deo. Sanctitas vero realis triplex distingui potest, quatenus res dicitur sancta vel **a.** quia est divino cultui dedicata, ut templum; vel **b.** quia principium est quomodocunque sanctitatis personalis, ut sacramenta, leges; vel quia **c.** effectus et signum est interioris sanctitatis et inhabitantis Spiritus s., ut charismata miraculorum. Utramque sanctitatem personalem et realem Ecclesiae vindicamus: et realem quidem non tantum quatenus ea sit Deo dedicata, sed quatenus est principium sanctitatis personalis; personalem vero non tantum quatenus possint in ea esse sancti, sed quatenus actu semper sint. Ut autem Ecclesia dici possit sancta sanctitate personali, necessarium non est, ut singula ejusdem membra sint sancta, sed sufficit ut **a.** omnia possint esse sancta virtute Ecclesiae, scil. per ejus doctrinam salutarem, institutionem, salutis media

---

[1]) Cf. Nat. Alexander diss. 19. et 20. in sec. V.; Cercià de Ecclesia sect. 3. lect. 4. 5.

et subsidia, quibus utitur; ut **b.** plura actu sint sancta et quidem **c.** propter vivificum Ecclesiae influxum; ut ea **d.** quae sunt infirma vel etiam mortua, eatenus destituantur perfectione vel vita, quatenus se subtrahunt Ecclesiae influxui [1]).

412. **Demonstratio p. I.** Ecclesia, cui symbola sanctitatis praerogativam vindicant, in primis essentialiter est sancta ratione nimirum suarum causarum, quas supra c. 2. expendimus. Sanctissima enim est **a.** ejusdem causa efficiens, Deus unus et trinus; sancta **b.** causa finalis, Dei gloria hominumque salus; sancta **c.** causa ministerialis, ministerium scil. ecclesiasticum, quod multiplici sanctificandi virtute est praeditum jugique in docendo fruitur Spiritus sancti assistentia, et sacramenta, quae sunt ritus gratiae efficaces; sancta **d.** est causa exemplaris, Trinitas in unitate divinae naturae, Verbum carofactum et aula angelica; sancta **e.** causa formalis tam interna, nempe fides caritate formata atque multiplex Spiritus sancti influxus, quam externa, quae est lex fidei, lex actionis christianae et hierarchicae subordinationis; denique **f.** sancta est vel ipsa ejusdem causa materialis; licet enim peccatores etiam spectent ad Ecclesiam, potior et nobilior tamen Ecclesiae pars sunt justi, et vel ipsi peccatores ad Ecclesiam spectant, non quatenus sunt mali, sed quatenus aura saltem aliqua sanctitatis afflantur, quatenus scil. sunt baptizati, credunt, obediunt etc. Cum ergo omnes Ecclesiae causae sint sanctae, ipsa, quae ab illis pendet et exsistit, sanctitate carere nequit.

413. **Demonstratio p. II.** Ecclesiam non solum ratione causarum suarum sanctam esse, sed eo speciatim nomine, quod in ea semper vigeat cultura virtutum consiliorumque evangelicorum observantia, colligitur **1.** ex vaticiniis prophetarum [2]), quibus docemur: **a.** V. Testamentum abrogatum fuisse ob infirmitatem suam, quodque nil ad perfectum adduxerit; **b.** substitutum eidem esse N. Testamentum tamquam longe praestantius; ne vero **c.** et hoc in irritum caderet suoque frustraretur effectu, Deum sancte promisisse, se nil neglecturum, quo fieret, ut fideles in suis praeceptis ambularent eaque facerent (n. 283). Atqui cum haec ratio abrogatae synagogae suffectaeque Ecclesiae, tum solemnes Dei promissiones exigunt, ut Ecclesia censeatur immunis ab imperfectione synagogae, ideoque semper in ea sint, qui virtutibus excellant. Semper ergo Ecclesia splendescet cultura virtutum. **2.** Ecclesia nequit carere dote ea, quae meta fuit missionis,

---

[1]) Cf. Palmieri egregie disserentem l. c. proleg. § 24.

[2]) Cf. Ez. 11, 19; 36, 26; Jer. 31, 31 ss. col. Hebr. 7, 18 s.; 8, 5 ss.; 9, 9; 10, 1. Cf. Heinrich t. 1. § 51; Schanz III. § 10.

redemptionis, precum, sollicitudinis, desideriorum Christi Jesu. Atqui haec est sanctitas vitae, quae cultura virtutum continetur[1]). Splendere autem **3.** Ecclesiam debere etiam observatione evangelicorum consiliorum, hac ratione merito probatur: Ecclesia regitur Spiritu Christi utpote s. Spiritus templum, sponsa, imo corpus Christi: Christo autem maxime illorum consiliorum observantia placet, qua perfecta ipsius imitatio continetur. Semper ergo, si non omnibus, saltem nonnullis illam inspirabit, inspiratione sane quae non semper effectu frustretur.

414. **Demonstratio p. III.** Ecclesia sancta quoque dici debet ob miraculorum charisma, quod Deum Ecclesiae propitium, inhabitantem jugiterque in ipsa operantem demonstrat. Cum autem Ecclesiam ejusmodi charismate insigniri defendimus, advertimus, temporum habendam esse rationem; miracula enim magis necessaria fuere initio, quam deinceps. Quam ob rem facile damus, longe abundantius charismata superna nascenti Ecclesiae, quam jam adultae fuisse concessa; neque aliud illos ex patribus docere putamus, qui quandoque Ecclesiae adultae miraculorum charisma simpliciter negare videntur (cf. n. 136).

415. Probatur **1.** ex Christi promissione[2]): *Signa autem eos, qui*

---

[1]) Luc. 1, 74: *Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi, in sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus nostris;* Eph. 1, 3 ss.: 5, 25: *Christus dilexit Ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret . . . ut sit sancta et immaculata;* Tit. 2, 14; Joan. 17, 19: *Et ego pro iis sanctifico me ipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate* etc. Cf. n. 124 ss.

[2]) Marc. 16, 17. Quae verba, si sensu literali accipiantur, nullo non seculo adimpleta fuere; sed si accipiantur spirituali, qui longe sublimior est, neque minus stupendum atque efficax argumentum praebet specialis assistentiae divinae virtutisque sanctificatricis supernaturalis, non tantum subinde, sed quotidie et ubique terrarum splendide adimplentur. Ad rem Gregorius M. hom. 29. in Evang. n. 4: „Sancta quippe Ecclesia quotidie spiritualiter facit, quod tunc per apostolos corporaliter faciebat. Nam sacerdotes ejus cum per exorcismi gratiam manum credentibus imponunt, et habitare malignos spiritus in eorum mente contradicunt, quid aliud faciunt, nisi daemonia ejiciunt? Et fideles quippe, qui jam vitae veteris secularia verba derelinquunt, sancta autem mysteria insonant, conditoris sui laudes et potentiam, quantum praevalent, narrant, quid aliud faciunt, nisi novis linguis loquuntur? qui dum bonis suis exhortationibus malitiam de alienis cordibus auferunt, serpentes tollunt. Et dum pestiferas suasiones audiunt, sed tamen ad operationem pravam minime pertrahuntur, mortiferum quidem est quod bibunt, sed non eis nocebit. Qui quoties proximos suos in bono opere infirmari conspiciunt, dum eis tota virtute concurrunt, et exemplo suae operationis illorum vitam roborant, qui in propria actione titubant; quid aliud faciunt nisi super aegros manus imponunt, ut bene habeant? Quae nimirum miracula tanto majora sunt, quanto spiritualia; tanto majora sunt, quanto per haec non corpora, sed animae suscitantur.“ Cf. Lactantius div. institut. 14, 26; Balduinus cant. de commend. fidei Mig. 204, 605 s.

crediderint, haec sequentur: In nomine meo daemonia ejicient: linguis loquentur novis: serpentes tollent: et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super aegros manus imponent, et bene habebunt; et Jo. 14, 12: *Amen, amen dico vobis: qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet et majora horum faciet;* quibus in locis charisma miraculorum connexum exhibetur non solum cum fidei origine, sed simpliciter cum ipsa fide; quamdiu ergo in Ecclesia vera vigebit fides, tamdiu si non in omnibus, saltem in aliquibus, signis splendescet. Probatur **2.** ex verbis Pauli, qui recensitis charismatibus Spiritus sancti, quae fidelibus distribuuntur, ita concludit 1. Cor. 14, 11: *Haec autem omnia* (superna charismata) *operatur unus atque idem Spiritus.* Superna ergo charismata sunt s. Spiritus operationes, quibus suam praesentiam testatur. Atqui Ecclesia semper erit templum s. Spiritus inhabitantis. Semper ergo suam in Ecclesia praesentiam ejusmodi charismatibus plus minusve testabitur. Unde etiam illud sequitur, coetum, cui talis sancti Spiritus manifestatio desit, ejus templum non esse, proinde nec veram esse Ecclesiam. „Nam ubi Ecclesia, inquit Irenaeus III, 24, ibi et Spiritus Dei; ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia et omnis gratia.“ Atqui protestantes ejusmodi charismata non jactant, imo iis ultro renunciant; contra catholici iis et quidem non immerito gloriantur. Ergo eo ipso protestantes de jure cedunt ad veram Ecclesiam. Accedit **3.** Ecclesiam Christi missionem continuare. Nequit ergo respectu eorum, quibus ignotus est Christus, illo probationis genere destitui, quo Christus sibi conciliavit auctoritatem. Atqui Christus miraculis in primis hanc sibi comparavit. Ergo et Ecclesia pro opportunitate non carebit miraculis: quod **4.** ipsa historia propagatae religionis christianae confirmatur, qua Ecclesiam probatione miraculis innixa destitutam non fuisse, edocemur. Et re vera omnia fere patrum scripta atque sanctorum vitae testantur, Ecclesiam quovis seculo ejusmodi charismatibus supernis fuisse illustrem (cf. thes. XXI).

Articulus III.

De Ecclesiae catholicitate.

416. **Thesis LIX.** ***De apposito catholicae, quod Ecclesiae tribuitur, statuimus 1. illud jam ante novatianas turbas Ecclesiae fuisse tributum, ut 2. Ecclesia distingueretur ab haereticorum coetibus; ideoque 3. nomen esse verae Ecclesiae proprium; illi autem 4. competere coetui, qui societate romano pontifici jungitur.***

Demonstratio p. I. *Catholicae nomen antiquius esse turbis novatianorum* (c. a. 251), colligitur ex ecclesiae smyrnensis de passione s. Poly-

carpi epistola (sec. II), quam inscripsit[1]): „Omnibus ubique terrarum sanctae et catholicae Ecclesiae paroeciis;“ et jam antea s. Ignatius M. († 107) docet[2]): „Ubi fuerit Christus, ibi catholica est Ecclesia.“ Reperitur quoque hoc appositum in symbolo apostolico secundum formam ecclesiae alexandrinae et hierosolymitanae, quamvis fatendum sit, illud deesse in ea forma, qua utebantur ecclesiae romana, ravennatensis, aquilejensis et africana: solemnissime vero receptum fuit in symbolum nicaenum a synodo oecumenica II. a. 381.

417. **Demonstratio p. II.** *Catholicae nomine veram Ecclesiam ab haereticorum coetibus distingui,* luculentissime patres testantur. Ita Pacianus barcinonensis († a. 392) scribit[3]): „Sub apostolis, inquies, nemo catholicus vocabatur. Esto, sic fuerit, vel illud indulge. Cum post apostolos haereses exstitissent diversisque nominibus columbam Dei atque reginam lacerare per partes et scindere niterentur, nonne cognomen suum plebs apostolica postulabat, quo incorrupti populi distingueret unitatem, ne intemeratam Dei virginem error aliquorum per membra laceraret? Nonne appellatione propria decuit caput principale signari? Ego forte ingressus populosam urbem hodie, cum marcionitas, cum apollinariacos, cataphrygas, novatianos et ceteros ejusmodi comperissem, qui se christianos vocarent, quo cognomine congregationem plebis meae agnoscerem, nisi catholica diceretur?“ Et n. 4. aurea illa profert verba: „Nec tamen aestues, frater; christianus mihi nomen est, catholicus vero cognomen. Illud me nuncupat, istud ostendit; hoc probor, inde significor.“ Similia habet s. Cyrillus hier., qui ita catechumenos instruit[4]): „Si quando peregrinatus fueris in civitatibus, ne simpliciter requiras ubi sit dominicum (i. e. aedes sacra), nam et ceterae impiorum sectae atque haereses suas ipsorum speluncas dominicorum nomine honestare nituntur; neque ubi sit simpliciter ecclesia, sed ubi sit catholica ecclesia, hoc enim proprium nomen est hujus sanctae et matris omnium nostrum, quae quidem et sponsa est D. N. Jesu Christi.“ Idem docet Augustinus statuens[5]): „Ab haeretico nomine noster populus hac appellatione dividitur, cum catholicus dicitur.“

418. **Demonstratio p. III.** *Quare catholicae nomen est proprium verae Ecclesiae:* hinc sane factum est, ut illud revera per quaevis secula uni semper coetui inhaeserit. Verum quidem est Augustino teste[6]) „omnes haereticos se catholicos dici velle;“ verum quoque est coetui illi, qui

---

[1]) Cf. etiam n. 18. 19. [2]) Ep. ad smyrn. n. 8.

[3]) Ep. 1. ad Sympron. n. 3. opusc. XXXVII.

[4]) Catech. 18. n. 26.

[5]) De vera rel. c. 6; serm. 46. n. 31; cf. supra n. 144.

[6]) Contra ep. fund. c. 4.

catholicus consuevit dici, alia nomina ab haereticis fuisse per contemptum imposita: neutrum tamen evincit, nomen istud proprium non esse verae Ecclesiae. Licet enim **a.** haeretici catholicos se dixerint, nemo tamen praeter ipsos hoc nomine eos salutavit; imo reliqui omnes nomine, quod vel a suis auctoribus vel ab errore, quem profitentur, vel a regione, in qua orti sunt, traxerunt, tamquam proprio eos designasse et ab aliis fuisse distinctos constat: quo facto patres libenter utuntur, ut illorum profanam comprobent originem. „Sicubi audieris, ita Hieronymus [1]), eos, qui dicuntur christiani, non a Domino Jesu Christo, sed a quoque alio nuncupari ut marcionitas, valentinianos, scito non Ecclesiam Christi sed antichristi esse synagogam.“ Quod argumentum fusius in arianos intorquet s. Athanasius ita inter alia disserens: „Nec enim unquam populus (christianus) a propriis episcopis nomen accepit, sed a Domino, in quem et fidem habemus. Hinc licet beati apostoli magistri nostri et Evangelii Salvatoris administri fuerint, ex illis tamen non nominamur, sed christiani a Christo et sumus et dicimur. Hi autem, qui ab aliis habent suae fidei originem, congruenter illorum nomine notantur, utpote qui ad eosdem pertinent[2]).“ Quod deinde inductione ostendit historica. Sicut autem **b.** haec nomina ab auctoribus vel erroribus etc. derivata haeserunt semper haereticis, ita nunquam haeserunt catholicae Ecclesiae illa nomina, quae haeretici ipsi tribuebant. Illi ab omnibus eodem semper nomine designantur, haec quidem alia ab aliis[3]) nomina accipit, sed „velint nolint, inquit ad rem Augustinus[4]), ipsi quoque haeretici et schismatum alumni, quando non cum suis sed cum extraneis loquuntur, catholicam nihil aliud quam catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur.“ „Ex quo, ut idem infert, intelligi datur, judicantibus arbitris, quos nulla impedit gratia, cui sit catholicum nomen, ad quod omnes ambiunt, tribuendum.

419. **Demonstratio p. IV.** Quinam vero coetus sec. III., IV. et V. solebat dici catholicus? Si patres audimus, ille, qui communione sociabatur romano pontifici. Hujus siquidem communione frui et esse catholicum, aut catholicum et romanum illis unum idemque

---

[1]) In dial. c. lucif. n. 9.

[2]) Or. 1. c. arian. n. 2. 3. Similia habet Chrysostomus h. 33. in acta ap. n. 4; Basilius in Ps. 48. n. 7; Lactantius div. instit. l. 4. c. 30; Justinus in dial. cum Tryph. n. 35; Epiphanius haer. 42. refut. 2. ad 2. Cor.; Clemens alex. Strom. l. 7. n. 17; auctor qq. ad Antiochum (inter opera spuria s. Athanasii, Mig. 28, 627), qui q. 45. ita scribit: „Quocirca diligenter advertat quicunque ad Christum vult accedere, omnem fidem in terris nomine alicujus hominis appellari. Scilicet a Simone simoniani dicuntur, a Marcione marcionitae, ab Ario ariani et eunomiani propter Eunomium. Hae omnes ceteraeque fides, quae hominum nomina ferunt atque ita propter illos appellantur, non sunt Dei, neque Deus in illis est. Nam si Dei sunt, cur hominum nominibus appellantur et insigniuntur? Gloriatio igitur gloriationum erit nobis catholica Ecclesia, ut et quod christiani dicimur et nominamur, ut qui non ab hominibus nominemur, sed a Deo illuminemur etc.“ Cf. Stapleton principiorum fidei doctrinalium relect. controv. 1. q. 4. a. 3.

[3]) Cf. Augustinus op. imperf. l. 1. n. 75. [4]) De vera rel. n. 12.

fuisse, facile antiquitatis monumentis comprobatur. „Fidem suam quam vocat (Rufinus)? quaerit Hieronymus[1]). Eamne qua romana pollet ecclesia, an illam quae in Origenis voluminibus continetur? Si romanam responderit, ergo catholici sumus.“ S. Cyprianus ad Antonianum ita scribit[2]): „Scripsisti etiam, ut exemplum earundem literarum ad Cornelium collegam nostrum (tunc romanum episcopum) transmitterem, ut deposita omni sollicitudine jam sciret te secum h. e. cum catholica Ecclesia communicare.“ Et Cornelium romanum pontificem alloquens[3]) curam se habuisse dicit, ut „te collegae nostri et communionem tuam i. e. catholicae Ecclesiae unitatem pariter ac caritatem probarent firmiter et tenerent.“ Praeclara vero sunt, quae refert s. Ambrosius de fratre suo Satyro adhuc catechumeno[4]): „Advocavit ad se episcopum, nec ullam veram putavit nisi verae fidei gratiam (i. e. baptismum) percunctatusque ex eo est, utrum episcopis catholicis h. e. cum romana sede conveniret.“

420. **Corollarium.** *Ecclesia romano-catholica est vera Ecclesia.* — Quare sponte sua sequitur: Si appositum catholicae nomen fuit proprium ac tesserae instar, qua sec. III., IV. et V. vera Ecclesia distinguebatur a sectis haereticis et schismaticis, etiam seculo XIX. hoc nomine distinguetur vera Ecclesia a spuria; neque enim ulla probabilitatis specie defendi poterit, veram Christi Ecclesiam nomen suum proprium amisisse illudque transiisse ad ecclesiam adulteram. Quapropter s. Augustinus statuit[5]): „Tenenda est nobis christiana religio et ejus Ecclesiae communicatio, quae catholica est et catholica nominatur non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis.“ Et recensens rationes, propter quas manichaeorum castris desertis nomen suum catholicae dederit Ecclesiae, etiam hanc adducit[6]): „Tenet (me) postremo et ipsum catholicae nomen, quod non sine causa inter tam multas haereses sola Ecclesia hoc nomen obtinuit.“ Jure meritoque proinde Bellarminus de notis Ecclesiae disserens hoc nomen inter notas enumerat[7]). Sequitur ulterius: Si sec. III., IV. et V. communio cum romano episcopo nota et tessera erat, qua agnoscerentur et dignoscerentur membra Ecclesiae catholicae, proinde verae, criterio eodem cognoscentur et dignoscentur sec. XIX. veri fideles. Quare licet et nobis uti argumento, quod vehementer in Parmenianum do-

---

[1]) L. 1. c. Ruf. n. 4; cf. ep. 15. 16. opusc. XI, 25 ss.; de vir. ill. c. 86.
[2]) Ep. 52. n. 1. [3]) Ep. 45.
[4]) De ejus excessu l. 1. n. 47; cf. verba Augustini n. 594.
[5]) De vera rel. c. 7.
[6]) Contra ep. fund. c. 4.
[7]) De conc. et Eccl. l. 4. c. 4.

natistam intorquet Optatus[1]): „Jamne vides, frater Parmeniane, jamne sentis, jamne intelligis te argumentis tuis contra te militasse? cum probatum est nos esse in Ecclesia sancta catholica, apud quos et symbolum Trinitatis est et per cathedram Petri, quae nostra est, per ipsam ceteras dotes apud nos esse.“ Merito ergo inferimus coetum romano-catholicum sec. XIX. veram esse Christi Ecclesiam.

421. **Thesis LX.** ***Ad proprietates institutae jam per apostolos Ecclesiae pertinet, ut sit catholica, i. e. ejusmodi, quae communione contineatur simpliciter ampla, comparate vero longe ampliori coetu quovis, qui sibi nomen Ecclesiae immerito usurpat.***

Declaratio. Ad catholicitatis notionem illustrandam, praeter dicta thesi praecedenti advertatur: **1.** de ejus ratione esse quandam universalitatem. Jam vero Ecclesiae multiplex convenit universalitas. Convenit universalitas **a.** ratione durationis, cum sit perennis; **b.** ratione veritatis, quam possidet et docet: universa enim revelata veritas ei est concredita; **c.** ratione mediorum salutis, cum omnibus sit instructa, quae Christus in hominum salutem instituit; **d.** ratione destinationis, quae quadruplex universalitas significatur etiam verbis Christi ad apostolos Matth. 28, 19. 20. In primis vero universalis est **e.** ratione diffusionis per orbem, ut patet ex controversia cum donatistis atque ex ipsa nominis definitione[2]). Passim enim cum Isidoro hispalensi patres inculcant[3]): „Sancta Ecclesia ideo catholica dicitur pro eo, quod universaliter per omnem sit mundum diffusa.“ Hinc quoties Ecclesiae catholicitatem probare volunt, ad Scripturae effata provocant, quae ejusdem latissimam per orbem diffusionem praedicunt. Quam ob rem teste Optato[4]) Eunomius et Olympius episcopi in Africam missi, ut pronunciarent, ubi esset catholica (Ecclesia), edixerunt: „Illam esse catholicam, quae esset in toto orbe terrarum diffusa.“ In hac notione **2.** distinguendum est elementum materiale et formale; illud continetur diffusione; hoc unitate, qualem eam n. 394 ss. descripsimus. Neque enim multitudini cuilibet,

---

[1]) L. 2. n. 4.

[2]) Classico stilo S. Cyrillus hierosol. cat. 18. n. 23. catholicitatem describit: Καθολικὴ καλεῖται διὰ τὸ κατὰ πάσης εἶναι τῆς οἰκουμένης... καὶ διὰ τὸ διδάσκειν καθολικῶς καὶ ἀνελλείπως ἅπαντα τὰ εἰς γνῶσιν ἀνθρώπων ἐλθεῖν ὀφείλοντα δόγματα, καὶ διὰ τὸ πᾶν γένος ἀνθρώπων εἰς εὐσέβειαν ὑποτάσσειν ... καὶ διὰ τὸ καθολικῶς ἰατρεύειν μὲν καὶ θεραπεύειν ἅπαν τὸ τῶν ἁμαρτιῶν εἶδος ... κεκτῆσθαι δὲ ἐν αὐτῇ πᾶσαν ἰδέαν ὀνομαζομένης ἀρετῆς ἔργοις τε καὶ λόγοις καὶ πνευματικοῖς παντοίοις χαρίσμασιν. Explicationem fere eandem exhibet Isidorus hisp. de officiis eccles. l. 1. c. 1. Cf. Thomas expos. in symb. apost. n. 33. opusc. VI, 235; Söder Begriff der Katholicität.

[3]) Sentent. l. 1. c. 16. [4]) L. 1. n. 26.

quamvis admodum diffusae, hoc praedicatum tribuere licet, si careat unitate. Quare s. Augustinus: „Dissensio quippe vos (donatistas), inquit[1]), et divisio facit haereticos; pax vero et unitas facit catholicos.“ Itaque quamvis numerus eorum, qui extra Ecclesiam sunt, fidelium numero sit major, non tamen propterea illi turbae catholicitatis praerogativa tribui potest propter verae unitatis defectum.

422. Si vero **3.** quaeritur, quanta desideretur diffusio, duplex prius distinguatur catholicitas: actualis altera, altera successiva, qua seculorum cursu gradatim ad omnes gentes Ecclesia diffunditur. Qua distinctione posita, haec statui possunt: **a.** non requiri diffusionem actu absolutam adeo, ut nemo sit extra Ecclesiam; sed **b.** sufficere moralem et relativam[2]), ut habeat scil. quendam in orbe cognito splendorem

---

[1]) L. 2. c. lit. Petil. c. 98; cf. Optatus l. 1. n. 11. Quod si de determinato coetu esset quaestio, utrum is ad Ecclesiam catholicam spectaret, provocabant ad literas, quae dicebantur formatae, quibus ejus cum Ecclesia per orbem diffusa probaretur communio. Ita cum Fortunius quidam donatistarum episcopus diceret, ubique terrarum esse suam communionem, ideoque catholicum se esse; „quaerebam ab eo, ait Augustinus epist. 44. n. 3., an posset literas communicatorias, quas formatas dicimus, quocunque vellet, dare et accipere; hoc enim modo facillime terminari quaestionem posse. Parabam enim, ut, si consentiret, ad ecclesias apostolicas a nobis tales literae mitterentur.“ Caecilianum quoque carthaginiensem episcopum, quem tantopere donatistae insectabantur, inde se „catholicum probare potuisse, scribit ep. 43. n. 7., quia et romanae ecclessiae et ceteris terris per communicatorias literas esset conjunctus.“ Eodem in loco ait, „donatistas propter suam perversitatem ab unitate catholica, quae per orbem terrarum est, communicatorias literas accipere jam amplius non posse.“ S. Basilius epist. 75. probare volens se Ecclesiae catholicae membrum esse, ex harum literarum commercio id probat. „Episcopi, inquit, totius orbis literas ad nos mittunt, et vicissim a nobis recipiunt: ex quibus cognoscere potestis, quod unanimes omnes eodemque sensu praediti sumus.“ Optatus lib. 2. n. 3. ostendere volens, romanam ecclesiam, quacum africana communicabat, esse catholicam, „totus, inquit, orbis cum illa commercio formatarum in una communionis societate concordat.“ Cf. Stapleton l. c. conclus. 7.

[2]) Hanc graphice describit Augustinus serm. 46. c. 8. n. 18: „Non omnes haeretici, inquit, per totam faciem terrae, sed tamen haeretici per totam faciem terrae. Alii hic, alii ibi, nusquam tamen desunt: ipsi se non norunt. Alia secta in Africa, alia haeresis in Oriente, alia in Aegypto, alia in Mesopotamia verbi gratia. Diversis locis sunt diversae . . . Sed tamen illa (Ecclesia catholica) omnes novit, quia cum omnibus fusa est. Verbi gratia, est in Africa pars Donati, eunomiani non sunt in Africa; sed cum parte Donati est hic Catholica. Sunt in Oriente eunomiani, ibi non est pars Donati, sed cum eunomianis ibi est Catholica. Illa sic est tamquam vitis crescendo ubique diffusa: illi sic sunt tamquam sarmenta inutilia agricolae falce praecisa merito sterilitatis suae, ut vitis putaretur, non ut amputaretur. Sarmenta ergo illa ubi praecisa sunt, ibi remanserunt. Vitis autem crescens per omnia et sarmenta sua novit, quae in illa man-

universalem, quo dignitas ejus atque majestas cognosci et ab haereticorum turbis discriminari possit. Nam ut ab his distinguatur, vera Ecclesia vocatur catholica, ut patet ex thesi praecedenti. Quapropter haereticorum coetus amplitudine superare debet. Illud vero colligitur ex solemni patrum interpretatione, secundum quos Ecclesia jam seculo III., IV. et V. verissime erat catholica. Hinc **c.** fieri potest, ut Ecclesiae amplitudo, incolumi manente ejus catholicitate, nunc crescat, augeatur, nunc minuatur. Praeterea **d.** evidens est, hanc proprietatem Ecclesiae nascenti destinatione tantum et virtute, formaliter vero nonnisi Ecclesiae adultae convenire. Denique **e.** quamvis necesse non sit, ut Ecclesia actu gentes omnes omnino complectatur, ad omnes tamen temporis lapsu diffundi debet: et revera omnes fere gentes, quae unquam fuerant christianae, per Ecclesiam catholicam ad fidem Christi perductae sunt.

423. **Demonstratio.** Ecclesiae catholicitas **1.** praemonstrata fuit **a.** titulo crucis conscripto tribus linguis illis, quae tunc totum fere orbem notum occupabant: quo mysterio praefiguratum fuit, Christi regnum diffundendum esse per orbem; **b.** arca Noë, quacum conferri debet visio s. Petri[1]), qua ei significatum est ad omnes gentes Ecclesiam esse dilatandam; **c.** miraculo, quod contigit in solemni Ecclesiae inauguratione die Pentecostes, cum discipuli linguarum charismate donarentur[2]).

424. Ad hoc miraculum passim provocat Augustinus: „Quid sibi volebat, inquit[3]), illud signum ac prodigium? Cur modo ita datur Spiritus sanctus, ut nemo, cui datur, linguis omnibus loqui possit, nisi quia omnes gentes credituras ac sic in omnibus linguis futurum Evangelium illud tunc miraculum portendebat? Quod et in psalmo tanto ante praedictum est[4]): *Non sunt loquelae neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Hoc propter eos dictum est, qui Spiritu sancto accepto linguis erant omnibus locuturi. Sed quia idipsum in omnibus gentibus et linguis futurum Evangelium et corpus Christi per totum orbem terrarum linguis omnibus personaturum significabat, secutus ait: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum.* Hinc fit, ut Ecclesia vera neminem lateat. Unde est illud, quod in Evangelio ipse dicit[5]): *Non potest civitas abscondi super montem constituta.* Ideoque in eodem psalmo connectitur: *In sole posuit tabernaculum suum* i. e. in manifestatione... *Nec est qui se abscondat*

---

serunt, et juxta se quae de illa praecisa sunt.“ Quis non videt haec mutatis haeresum nominibus de Ecclesia romano-catholica nostrae aetatis repeti posse? Cf. Suarez, defensio fidei cath. l. 1. cc. 12 ss.; Thomassinus diss. 16. de conciliis; Binterim, epist. cathol. 2. c. 2. § 6. exercit. 5.

[1]) Act. 10, 10 ss.; cf. opusc. III, 228 ss. [2]) Act. 2, 4.

[3]) L. 2. c. lit. Petil. n. 74.

[4]) Ps. 18, 4. [5]) Matth. 5, 14.

a calore ejus: ecce habes adventum Spiritus sancti, quem in linguis igneis misit, ut fervorem caritatis ostenderet, quam profecto non habet qui cum Ecclesia, quae in omnibus linguis est, non servat unitatem spiritus in vinculo pacis.« Hinc infert: „Quemadmodum tunc ille apparebat accepisse Spiritum s., qui loquebatur linguis omnium gentium, ita se nunc ille agnoscet accepisse Spiritum s., qui tenetur vinculo pacis Ecclesiae, quae diffunditur in omnibus gentibus[1]).«

425. Profecto **2.** talis debet esse Ecclesia, qualis exhibetur et describitur in lege et psalmis, in prophetis et Evangeliis. Atqui in his constanter regnum Christi exhibetur non solum jure, sed et facto et actu universale, ut ubique terrarum diffusum, ita ut haec regni latitudo proponatur characteris et dotis instar regni messiani, ut signum Messiae, qui jam advenerit (cf. n. 104). „Prope omnis pagina (s. Scripturae), inquit Augustinus[2]), nihil aliud sonat, quam Christum et Ecclesiam toto orbe diffusam.“ Quare negari nequit perennis Ecclesiae catholicitas, quin signum permanens adventus Christi relatique ab eo triumphi negetur. Hujus argumenti vis authentica patrum sec. IV. et V. interpretatione confirmatur. Saepissime enim, praesertim contra donatistas, ad haec vaticinia provocant, ut ostendant, hinc quidem donatistas in vera Ecclesia non esse utpote in angulo Africae latitantes (cf. n. 288): inde vero catholicos esse in vera Ecclesia, cum ipsi sint per orbem diffusi.

426. **Scholion.** *Exceptionibus satisfit.* — Excipi posset, Scripturae effata nihil vel non multum valere, quod nunquam fuerint impleta, cum tot gentes ad Ecclesiam non pertineant. Cui exceptioni respondemus: **a.** ex usu loquendi Scripturae[3]) ea sufficienter adimpleta censeri posse, modo Ecclesia quamplurimas complectatur gentes ac moraliter diffundatur per orbem notum; **b.** patres censere ea sufficienter impleta fuisse in Ecclesia sec. III, IV, V; quamvis eo tempore innumeri adhuc paganae superstitioni vel haeresi fuerint

---

[1]) Serm. 71. et saepissime alibi (cf. opusc. XXVII, 187 annot.). Unde sequitur, coetum, qui una tantum loquitur lingua, e. g. germana, bohema, russica etc., non esse veram Ecclesiam: haec enim debet esse polyglotta.

[2]) Serm. 46. n. 33, qui totus est legendus. Cf. innumera Scripturae testimonia collecta ab eodem s. doctore de unit. Eccl. n. 10 ss. opusc. XXVII; de fide rerum, quae non videntur c. 3. opusc. VI. et ab Optato de schismate donatist. l. 2. n. 1. et 5. opusc. X., qui n. 2. infert: „Ergo probavimus eam esse Ecclesiam catholicam, quae est in toto terrarum orbe diffusa.“ Cf. Göpfert die Katholicität der Kirche.

[3]) Ita Daniel de Nabuchodonosor ait: *Potestas tua* (pervenit) *in terminos universae terrae* 4, 19; cf. 2, 37 ss.; 7, 23; Paulus de fide romanorum: *Fides vestra annunciatur in universo mundo* Rom. 1, 8. et de Evangelio, illud *fructificare et crescere in universo mundo* Colos. 1, 6; cf. Rom. 10, 18; et s. Lucas 3, 1 narrat: *Exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis.* De Alexandro M. dicitur 1. Machab. 1, 3: *Pertransiit usque ad fines terrae;* cf. Act. 2, 5. etc.

mancipati. **c.** Concedimus ultro haec vaticinia plene impleri, si praeter catholicitatem actualem successivae quoque ratio habeatur.

427. *Catholicitatis notio minus probanda.* — Nullo tamen modo nobis placet illa theologorum sententia, secundum quam maneret Ecclesia catholica, etiamsi ad unam provinciam redigeretur, modo constaret, eam esse unam eandemque cum illa, quae fuit aliquo tempore vel diversis temporibus in toto mundo; quemadmodum nunc quaevis dioecesis dicitur catholica, quia est continuata cum aliis, quae faciunt unam Ecclesiam catholicam. Haec enim opinio **a.** adversatur constanti patrum explicationi, secundum quos Ecclesia ideo est catholica, non quia fuit aliquando, sed quia actu est diffusa, quod hac in hypothesi verum amplius non est. Deinde **b.** ea concessa eluderetur, quod thesi antecedenti probavimus, nomen scil. hoc esse proprium verae Ecclesiae, quo a quovis coetu haeretico distinguatur; ut enim a quovis coetu haeretico hoc nomine vere distinguatur, eam proprietatem actu possidere debet, quae ipso nomine exprimitur; neque enim merum nomen est aliqua praerogativa. **c.** Admissa hac hypothesi multum roboris amitteret argumentatio patrum adversus donatistas, cum idcirco maxime inferant, donatistas esse extra Ecclesiam, quod una provincia latitarent. Praeterea **d.** sententia, quam impugnamus, Ecclesiae visibilitas et majestas in discrimen vocatur[1]).

428. Neque haeresis arianae tempora patrumque nonnullorum effata opponantur, unde colligatur, ea tempestate catholicos ab arianis numero

---

[1]) Ad rem Augustinus de unit. Eccl. c. 16. n. 40: »*Non potest civitas abscondi super montem constituta.* Sed donatistis velut operta est, qui audiunt tam lucida et manifesta testimonia, quae illam toto orbe diffusam demonstrant, et malunt clausis oculis offendere in montem, quam in eum ascendere; qui cum esset lapis praecisus de monte sine manibus (Dan. 2, 35), crevit et factus est mons ingens et implevit universam terram.« Cf. tract. 1. in 1. ep. Joan. n. 13; enarr. 2. in Ps. 21. n. 23—30, praesertim vero ep 129 n. 2., ubi belle ita scribit: „Sicut non audimus contra Christum eos, qui dicunt corpus ejus de sepulcro furatum a discipulis; sic non debemus audire contra ejus Ecclesiam eos, qui dicunt non eam esse nisi in solis afris et afrorum paucissimis sociis. Apostolus quippe dicit, quoniam veraces christiani membra sunt Christi (Eph. 4, 25); sicut ergo non credimus furto cujusquam periisse carnem Christi mortuam de sepulcro, sic credere non debemus peccato cujusquam viva ejus membra periisse de mundo. Non est itaque difficile, quoniam caput est Christus et corpus Ecclesia, simul in Evangelio commendatum videre et caput contra calumnias judaeorum, et corpus contra criminationes haereticorum. Nam quod legitur: *Oportebat Christum pati et resurgere a mortuis tertio die,* contra eos est, qui dicunt mortuum de sepulcro esse sublatum; quod autem sequitur, *et praedicari in nomine ejus poenitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes incipientibus a Jerusalem* (Luc. 24, 46), contra eos est, qui dicunt non esse Ecclesiam in orbe terrarum, ut uno brevi capitulo paucisque verbis et inimicus capitis et inimicus corporis repellatur et, si fideliter attenderit, corrigatur.« Hinc etiam merito Hieronymus dial. adversus luciferianos, qui contendebant Ecclesiam a sua catholicitate i. e. diffusione defecisse, advertit n. 15; „Si in Sardinia tantum habet Ecclesiam Christus, nimis pauper factus est.«

fuisse superatos. Respondemus enim **a.** ejusmodi querelas exaggeratas fuisse, ut patet ex auctoribus coaevis, praesertim Athanasio[1]); **b.** haeresim arianam fuisse haeresim episcoporum potius, quam gregum. „Populi, inquit Athanasius in hist. arianorum n. 41, per singulas ecclesias, quam didicere fidem retinentes, magistros exspectant suos ac Christo adversariam haeresim, quam coacti recepere, omnes velut serpentem aversantur.“ Atque inde est, quod cito ea haeresis maxima ex parte evanuerit illis in regionibus, ubi non amplius principum machinationibus propagata eorumque favore defensa fuit. Attende etiam **c.** plures episcoporum solum nomine tenus atque materiales fuisse haereticos[2]); inter illos autem **d.** qui formales haeretici fuerint omnem unitatem defuisse.

Articulus IV.

De Ecclesiae apostolicitate.

429. **Thesis LXI.** ***Succedit proprietas, qua Ecclesia est creditur que apostolica i. e. ejusmodi, quae ab apostolis profecta cum iisdem apostolis pastorum successione nunquam interrupta jungatur.***

Declaratio. Ecclesiam esse et esse debere apostolicam tum ratione originis, quatenus videlicet a Christo per apostolos est fundata, tum ratione doctrinae, quam ab apostolis acceptam jugiter custodit ac profitetur, neque ipsi protestantes infitiantur. Quod cum non sufficiat, etiam illud requiritur, ut Ecclesia sit apostolica ratione ministerii i. e. ut cum apostolis per nunquam interruptam pastorum seriem jungatur „ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem,“ ut verbis utamur Tertulliani de praescr. n. 32; quemadmodum scil. Christi generatio per nunquam interruptam generationum seriem seu genealogiam ad Abraham revocatur, ad Noë, ad Adam. Verum in hac apostolicitate ministerii duplex secernatur oportet elementum, mate-

---

[1]) Sic enim scribit ad rem Athanasius in ep. synodica ad Jovianum imp.: „Scias igitur, hanc esse fidem (a nicaenis patribus promulgatam), in quam consentiunt omnes ubique terrarum ecclesiae, quae sunt in Hispania et Britannia et Galliis; quae sunt in universa Italia, Campania, Dalmatia et Mysia, Macedonia et Graecia tota; item quae sunt per universam Africam et Sardiniam et Cyprum et Cretam . . . item quae sunt per universam Aegyptum . . . omnes denique per Orientem ecclesiae, paucis exceptis, quae Arii opinionem sectantur. Horum enim omnium, quos commemoravimus, sententiam experimento ipso cognovimus et literas scriptas habemus. Ac licet pauci quidam huic fidei contradicant, scimus tamen . . . eos orbi terrarum praejudicare non posse;“ apud Theodoretum H. E. l. 4. c. 3.

[2]) Quod in primis tenendum est de episcopis plurimis concilii ariminensis, quorum lapsus ejusmodi querelas patribus expressit. Cf. opusc. XVII, 187. seu epist. 15. Liberii n. 3. Cf. Regnier de Ecclesia sect. 3. c. 3. prop. 1 ss.

riale, quod continetur ipsa pastorum serie, et formale, quod continetur legitima proprieque dicta successione. Necesse scil. est, ut successor antecessoris locum occupet, non per vim et usurpationem, sed secundum legem in ea societate vigentem, atque in illius munus relationemque ad reliquum episcoporum coetum atque Ecclesiam subeat, nulloque proinde schismate ab Ecclesiae unitate deficiat; qui enim schismatis est auctor, ramus erit praecisus, novamque ille quidem inchoare poterit pastorum seriem, quae tamen carebit continuatione organica et vitali cum antecessoribus [1]). Vel brevius, necesse est, ut missionem habeat in illa eadem societate et ab eadem seu societatis auctoritate, a qua antecessor illam acceperat. Gloriari forte poterunt coetus aliqui schismatici Orientis serie quadam materiali pastorum, quae pertingat ad apostolos usque; sed carent elemento formali, assignari scil. poterit aliquis in hac serie pastor, qui carens missione ab illa societate, cujus antecessor membrum et minister erat, sit intrusus novamque exorsus sit pastorum seriem.

430. **Demonstratio.** Apostolicitas ministerii, de qua in primis sumus solliciti, suadetur **1.** analogia cum synagoga Ecclesiae typo; in synagoga enim non erant ministri ab invicem sejuncti et dissipati, sed vinculo generationis per quosdam veluti gradus revocabantur ad Aaron, qui caput et radix exstitit sacerdotii in synagoga. Ergo etiam in Ecclesia ministerium alioquin perpetuum vinculo generationis spiritalis, scil. vi ordinationis et missionis legitimae, ad Christum summum sacerdotem per apostolos revocetur oportet. Probatur **2.** ex ipsa ministerii ecclesiastici institutione et perennitate. Ex hac enim colligimus **a.** semper fore in Ecclesia pastores. Atqui **b.** nemo est Ecclesiae pastor, nisi qui mittitur ejusque missionis est particeps, qua Christus a Patre missus, misit apostolos.

Missionem requiri α lege universali enunciat Paulus: *Quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur?* Rom. 10, 15; a qua lege β ne Christus quidem fuit exceptus: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos,* Joan. 20, 21; *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te* Hebr. 5, 4 s. Et revera Christus, ut sibi fidem conciliaret, jugiter ad suam provocat missionem. Ceterum γ ut quis alterius nomine agere possit, missionem requiri ex rei

---

[1]) Hanc conditionem praeclare describit Gregorius naz. orat. in laudem Athanasii n. 8: »Neque enim qui per vim irrupit successor habendus est, sed qui vim perpessus est; nec qui leges violavit, sed qui legitime creatus est; nec qui contraria dogmata tenet, sed qui eadem fide praeditus est; nisi quis fortasse ita successorem dicat, quemadmodum morbum sanitati et tenebras luci et tempestatem tranquillitati et mentis alienationem prudentiae succedere dicimus.«

natura est evidens atque δ quotidiana hominum praxi confirmatur. Missionis necessitas sequitur ε etiam ex perennitate ministerii apostolici. Neque enim foret illud perpetuum, si ministri Ecclesiae non essent continuata serie successores apostolorum, et quidem ut horum legitimi heredes, in quos eorum missio et auctoritas transierit.

Haec vero missio **c.** non immediate a Deo citra humanum ministerium praecedentium quorundam ministrorum communicatur, sed ab apostolis visibili ritu in alios fuit derivanda, atque ab his ipsis iterum in alios, ne ipsis morte decedentibus ministerium ipsum deficeret.

Hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut ea, quae desunt, corrigas et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi, ad Tit. 1, 5. Hanc vero missionis communicationem et in alios derivationem fieri debere ab iis, qui ipsi legitime a decessoribus suis sunt missi, patet α ex praxi Christi et apostolorum universaeque antiquae Ecclesiae; postulat β ministerii ecclesiastici natura; eatenus enim quis ministrum Christi agere potest, quatenus ab eo missionem accipit. Atqui Christus immediate non amplius mittere solet. Ergo necesse est, ut qui modo pro Christo legatione fungitur, mediate per decessores particeps reddatur illius missionis, qua Christus misit primos dicens: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos,* Joan. 20, 21. Quod γ exigit ipsa etiam Ecclesiae visibilitas et ordo, ne quilibet pro lubitu sibi usurpet ministerium ecclesiasticum cum summo, quin imo certo, schismatis periculo.

Quare **d.** tota ministrorum per secula series revocatur quadam veluti genealogia spirituali ad apostolos ita, ut in his illos omnes Christus alloqui potuerit. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi,* Matth. 28, 20. Sicut ergo Deus in Adamo allocutus est universum genus humanum, quod in illo lege generationis praecontinebatur: ita potuit Christus omnes apostolorum successores in illis alloqui, cum vinculo generationis spiritualis per ordinis sacramentum et missionem ad illos revocentur. Atqui hisce continetur ministerii apostolicitas. Ergo Ecclesia etiam propter nunquam interruptam pastorum seriem apostolica censeri debet.

431. Idem evincitur **3.** ex patribus, qui **a.** canonis instar statuunt, illam doctrinam esse veram, quae doctrinae consonat ecclesiastici ministerii nunquam intercepti; eam vero falsam, quae ab illa discrepat. Quam **b.** successionem exhibent canalis instar, per quem ad nos decurrit Christi doctrina; canalis autem continuus sit oportet, non interruptus, ut fontis aqua imperturbata transmittatur; eandem **c.** exhibent tesserae instar, qua vera Ecclesia a falsa secernatur (cf. n. 170 ss.). Ideoque **d.** admodum solliciti fuere patres, ut texerent episcoporum catalogos sibi succedentium, saltem in praecipuis ecclesiis ab apostolorum aetate ad sua usque tempora. Quicunque vero **e.** non legitime successissent aut missi non fuissent, quasi usurpatores repellebantur.

Quare s. Cyprianus de Novatiano peremptorie decernit[1]: „Novatianus in Ecclesia non est, neque episcopus computari potest, qui apostolica traditione contempta nemini succedens a se ipso ordinatus est.“ Ita et Optatus donatistas provocat[2]: „Vestrae cathedrae vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare;“ eosque irridet, qui ut gloriari possent se frui communione cum cathedra romana, Victorem quendam suae factionis episcopum Romam miserant. „Missus est igitur Victor, inquit; erat ibi filius sine patre, tiro sine principe, discipulus sine magistro, sequens sine antecedente, inquilinus sine domo, hospes sine hospitio, pastor sine grege, episcopus sine populo ... Si Victori diceretur, ubi sederit? nec ante se aliquem illic fuisse monstraret, nec cathedram aliquam nisi pestilentiae ostenderet.“ Quare sicut rami extremi per intermedios et truncum nexu nunquam interrupto conjungi debent cum radicibus, ut succus vitalis transfundi fructusque ferre possint[3]; sicut membra omnia atque articuli extremi per venas nullibi intersectas cum corde copulati esse debent, ut sanguine irrigentur: ita Ecclesia singulorum seculorum nunquam interrupta pastorum serie conjungi debet cum apostolis, et per apostolos Christo ac per Christum Deo Patri[4].

Caput IV.

De notis Ecclesiae.

432. Ecclesia Christi secundum statum N. T. est multitudo collecta Christi nomen profitentium, incipiens a Jerusalem (Act. 1, 8), indeque per universum mundum dispersa, crescens per omnes gentes, semper illustris et manifesta, mixta bonis et malis, electis et reprobis, fide (virtutibus) et sacramentis sancta, origine et successione apostolica,

---

[1]) Ep. 76. ad Magnum n. 3.

[2]) L. 2. n. 3. 4. de schism. don.

[3]) Quare duplex distingui potest apostolicitas, altera immediata, cum aliqua Ecclesia nunquam interrupta pastorum suorum serie pertingit usque ad apostolos, ut ex. gr. romana; altera mediata, cum scil. Ecclesia aliqua particularis recentioris est originis atque adeo pastorum suorum serie non pertingit nisi ad sec. XVII vel XV. etc., quo primum est fundata, sed tamen ramus est exortus ex alia ecclesia vere apostolica: tunc enim mediante hac alia ecclesia (praesertim romana), quacum communione sociatur, jungitur apostolis fruiturque apostolicitate: sicut ramusculi non immediate junguntur radicibus sed mediantibus ramis et trunco.

[4]) Cf. hac de re egregie disserentem Tertullianum de praescript. n. 20. 28—32. opusc. t. IX. cum annot. subjectis et praef. n. 24.

connexione et ordine membrorum una, duratione perpetua[1]. Inquirendum jam restat, quomodo vera Christi Ecclesia agnosci dignoscique possit, et ubi eadem sit. Quamobrem investigandum est **1.** quae sint notae, quarum ope agnosci possit vera Ecclesia; **2.** cuinam ex tot coetibus, qui Christi nomine gloriantur, notae illae conveniant. Notarum autem nomine intelliguntur signa atque tesserae, quarum ope aliquid tuto agnosci et ab aliis secerni potest. Quare notae Ecclesiae sunt externi et permanentes characteres, per quos facile vera cognosci potest Ecclesia. Ad rationem autem notae haec, ut patet, requiruntur: **1.** ut in sensus incurrat; **2.** ut sit propria, non communis; **3.** ut sit subjecto, ad quod agnoscendum adhibetur, notior.

Rejici autem omnino debet opinio quorundam delirantium, nullas esse notas, quibus Ecclesia Christi vera certo innotescat et ab haereticorum coetibus tuto distingui possit. Hic enim error innititur falsis principiis, Ecclesiam esse invisibilem, vel saltem necessarium non esse illam ingredi ad consequendam salutem. Quae cum rejecta sint thes. XXXIX. et XLI, rejectum censeri debet ipsum quoque consectarium. Cum autem, ut alia praetermittamus, homines Ecclesiam ingredi, audire, ab eaque salutis media petere, nec non haereticos atque schismaticos vitare teneantur, omnes vero coetus haeretici atque schismatici se veram jactent Ecclesiam: vel hominibus impossibile aliquid praecipitur, vel admitti debent notae, quibus agnosci et ab haereticorum coetibus secerni possit.

433. **Thesis LXII.** ***Pura Evangelii praedicatio et legitima sacramentorum administratio haberi nequeunt tamquam notae sive solae sive praecipuae verae Ecclesiae.***

Demonstratio. Thesis adversus protestantes statuitur, qui quamvis contra socinianos aliosque notarum necessitatem admittant, in iis tamen determinandis a catholicis dissentiunt. Notas autem, quas thesis recenset et protestantes tuentur, legitimas non esse ita comprobatur: **1.** De ratione notae est, ut facile possit agnosci et ut aliis notis non indigeat, quibus cognoscatur. Atqui doctrinae veritas, cum omnes haeretici eam sibi vindicent, cognitu relative et absolute est difficilis, praesertim rudibus, notisque proinde eget aliis, ut possit cognosci. Ergo nequit esse nota. Absurdum **2.** est, illud pro verae Ecclesiae nota proponere, quod ab ipsa vera Christi Ecclesia nos discere oportet. Atqui ex universa N. T. oeconomia et constanti Ecclesiae praxi (cf. thes. XXIII) consequitur, veram Christi doctrinam discendam esse ab ea, *quae est columna et firmamentum veritatis*[2]: ad hoc enim est instituta. Innititur **3.** haec opinio confusione proprietatis et notae, ordinis ontologici et logici. Verum quidem est, Ecclesiae Christi proprium esse purum Evangelium et legitimam administrationem sacramentorum; sed inde non sequitur, ex hac proprietate eam posse agnosci; nam propria

---

[1]) Ita Ecclesiam Christi describit Stapleton l. c. controv. l. q. 5. a. 1, quem de notis bene disserentem cf. q. 4. a. 5.

[2]) 1. Tim. 3, 15. Huc spectat totus Augustini l. de utilitate credendi.

quoque est Ecclesiae infallibilitas, et tamen ex hac ipsa cognosci nequit: agnosci enim tantum potest ex proprietate, quae in oculos incurrat sitque quasi palpabilis.

434. Testimonia vero Joan. 10, 27: *Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas et sequuntur me;* Eph. 4, 5: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* hisque similia Matth. 28, 20; Joan. 15, 3 etc. a protestantibus ad suam tuendam sententiam prolata praepostere adhibentur. Vel enim ad rem non sunt, vel duas diversas quaestiones diligenter secernendas confundunt; quaestionem scil. ontologicam, quid sit de ratione verae Ecclesiae, cum logica, quomodo dignoscatur Ecclesia: illa enim, quae protestantes pro notis habent, reperiuntur sane in vera Ecclesia: sed ex illis, quia in oculos non incurrunt, ea non agnoscitur ut vera. Idem dicendum est de iis, quae ex patribus objiciunt, nimirum eos in controversia cum donatistis ubi sit vera Ecclesia, ad Scripturas potissimum provocasse. At **1.** cum patres ad Scripturas provocant, ad certa quaedam obvia indubiaque plane testimonia atque principia provocant, quorum ope demonstrent, veram Ecclesiam non aliam esse posse, quam quae unitate eademque conspicua et universali emineat[1]). **2.** Non provocant ad Scripturas, ut ex iis totius revelationis summam eruant, indeque quaestionem, quaenam sit vera Ecclesia, dirimant; sed ut inveniantur notae, quibus vera Ecclesia ab haereticis ac schismaticis coetibus distinguatur. Ideo vero **3.** provocant ad Scripturas, quod inter contendentes constaret, luculenta in iisdem de notis verae Ecclesiae testimonia haberi: et provocant **4.** in controversia cum donatistis ad Scripturas, ut quaestio de veritate doctrinae, speciatim de valore baptismi, posthaberetur quaestioni de veritate Ecclesiae, et illa ex hac eadem dirimeretur: adeoque non ex veritate doctrinae circa hanc controversiam inferretur, ubi sit vera Christi Ecclesia.

435. **Thesis LXIII.** ***Unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas, quae sunt proprietates Ecclesiae Christi, jure optimo ejusdem notae necessariae et sufficientes existimantur.***

Demonstratio p. I. Nota **a.** non est nisi proprietas visibilis. Atqui recensitae quatuor dotes sunt verae Ecclesiae proprietates summaque visibilitate splendent. Ergo ratio notae eis convenit. Quod et **b.** patres agnoverunt ipso facto; nam gnosticos aliosque haereticos ex nota apostolicitatis, qua carebant, donatistas vero ex nota catholicitatis passim refellunt (n. 424 ss.); Tertullianus falsitatis arguit haereticos sui temporis propter defectum unitatis sanctitatisque, quibus, tamquam notis, doctrinae catholicae veritatem confirmat[2]). Quare **c.** etiam dotes istae in symbolis recensentur, quod non solum sint proprietates, sed simul etiam Ecclesiae notae. Et sane **d.** si hae pro-

---

[1]) Cf. Augustinum passim de unitate Ecclesiae n. 8 ss. 25. 28. 51.

[2]) Cf. de praescript. n. 20 s.; 41 ss.; Optatum de schism. donatistarum l. 1. n. 26. opusc. t. X; Augustinum in l. de unitate Ecclesiae, opusc. t. XXVII; Pacianum ep. 3. ad Sympronianum n. 21. 26 s. opusc. t. XXXVII.

prietates ratione notae destituuntur, nullas reperies, quae notae esse possint.

436. **Demonstratio p. II.** Notas recensitas esse necessarias patet. Nulla enim **a.** earum dotum, cum sint proprietates, abesse potest a vera Ecclesia, et quaelibet est etiam visibilis. Ergo sunt notae necessariae; ideoque etiam **b.** patres vel ex unius defectu sectas haereticas erroris arguunt. Licet vero plures aliae Ecclesiae notae assignari cum theologis possint, e quibus Bozius in opere de signis Eccl. 100 recenset: tamen quatuor illae, quas indicavimus, sufficiunt; imo fere omnes aliae, quae a theologis assignari solent, ad has haud incommode revocantur. Cum autem dicimus eas sufficere, id de omnibus quatuor simul junctis statuimus, praetermissa quaestione, utrum singulae adaequate spectatae sufficiant, quod affirmandum videtur. Colligitur autem assertum nostrum **a.** ex symbolis, in quibus aliae non recensentur; tum **b.** ex patribus, qui plerumque unam ex iis tantum contra haereticos adhibent; tum **c.** ex eo, quod si hae notae simul junctae coetui sive haeretico sive schismatico convenire possent, jam deessent criteria, quibus vera Ecclesia a falsa secerni possit, cum alia, quae verisimilia sint, assignari nequeant. Denique **d.** id patet ex ipsa harum notarum natura. Nequeunt siquidem hae notae convenire coetui haeretico et schismatico, cui necessario deest (ex dictis) apostolicitas, ideoque unitas saltem juris; proinde vel ipsa catholicitas in dubium vocatur. Adversatur vero providentiae divinae, ut talis coetus vera fulgeat sanctitate. Quam ob rem notae, quas defendimus, ad veram Ecclesiam dignoscendam sufficiunt.

437. **Thesis LXIV.** ***Recensitae notae illi coetui solum competunt, qui communione cum romano pontifice sociatur: ideoque ille solus vera Christi Ecclesia censeri debet.***

Demonstratio p. I. Thesis duas complectitur partes[1]): affirmantem alteram, qua dicimus, recensitas notas convenire Ecclesiae romano catholicae; alteram excludentem, qua statuimus, ipsi soli easdem notas, nulli vero alteri coetui, proinde nec lutheranis, nec anglicanis,

---

[1]) Tota haec disputatio facillima est, si supponatur institutio divina primatus, qui primum collatus fuerit Petro. Qua supposita nimis evidens est, coetum romanum veram esse Ecclesiam, cum in eo maxime floreat primatus atque ipse possit ad Petrum usque ascendendo numerare pastores supremos, quod nulli alteri coetui convenit. Quare jure non nemo censet, disputationem de notis Ecclesiae, quo magis invicta et perspicua sit, opportunius postponi disputationi de primatu romani pontificis, ut ita longe facilius citra multas ambages invicte evinci possit veritas romanae Ecclesiae. Certe in disputatione cum haereticis tempus et operas compendii faceret, si a primatus institutione sumeretur initium.

nec graecis schismaticis etc. convenire. Priorem partem probamus **1.** indirecte: vel enim nulli coetui conveniunt hae notae, vel conveniunt romano. Illud affirmari nequit, alioquin periisset vera Christi Ecclesia. Ergo convenire debent alicui coetui. Atqui nullus assignari potest coetus, in quo major habeatur unitas symbolica cum principio pari ad eam efficiendam, conservandam, tuendam; in quo sit major unitas liturgica et socialis; qui sit amplior, quique ita possit ad successionem ministrorum ab apostolorum aetate ad nostra usque tempora nunquam interruptam provocare; qui majori jure sibi vindicet sanctitatem [1]), quam coetus romano-catholicus. Ergo si ne hic quidem coetus vera est Ecclesia, multo minus alii coetus, quibus hae notae non ita conveniunt, verae Ecclesiae praerogativa fruentur, ideoque nulla amplius foret vera Christi Ecclesia.

438. Probatur **2.** directe, praesertim si collatio fiat cum Ecclesia priorum quinque seculorum, quae certe fuit vera Ecclesia utpote tot martyribus, sanctis et doctoribus florens, cui quoad has notas perfecte respondet coetus romano-catholicus, adeo ut verissima ac genuina illius propago et continuatio haberi debeat. Eodem enim modo tenax est unitatis, impatiens haeresis et schismatis; idem habet unitatis centrum scil. romanum pontificem (cf. n. 419); martyribus, virginibus, innumeris cultoribus consiliorum evangelicorum gloriatur, charismatis s. Spiritus non destituitur, et qui ejus doctrinam adamussim sequitur, sanctus erit; nunquam interrupta pastorum serie fruitur; per orbem ratione analoga atque Ecclesia priorum seculorum (cf. n. 422) diffunditur etc. Ergo Ecclesia romana, quae prae ceteris coetibus ad illam accedit, illam aemulatur atque illius lineamenta refert, legitima est ejus heres seu vera Ecclesia.

439. Sane **3.** si Ecclesia romana non esset verae Ecclesiae legitima propago, sed ab eadem defecisset, possent assignari hujus defectionis auctor, tempus, locus, occasio et genesis, coetus, a quo defecerit, adversarii, qui eam deficientem primum impugnarint, solemnis damnatio etc., prout haec de omni defectione sive haeretica, sive schismatica alicujus momenti assignari possunt: eoque magis, quod coetus romanus omnes coetus, qui unquam defecerint, numero credentium et diffusione excedat. Atqui protestantes omni adhibito conatu horum nil unquam demonstrare potuerunt et innumerae sunt sententiae inter eosdem vel de articulo fidei, in quo de-

---

[1]) Cf. praeclarum libellum Rundschau, Kampf und Wachsthum der Kirche, Freiburg im Breisgau 1862.

fecerit, vel de solo tempore, quo defecerit Ecclesia catholica [1]). Nam secundum alios jam sec. I. defecit; secundum alios nonnisi sec. XIII. Ergo evidens est ex ipsa adversariorum impotentia assignandi haec omnia quoad defectionem ecclesiae romanae, eam nunquam defecisse a vera Ecclesia, sed esse ipsam veram Ecclesiam [2]).

Corollaria. Quod si Ecclesia romano-catholica vera est Ecclesia, sequitur **1.** eam omnibus potiri praerogativis, quas Ecclesiae suae Christus concessit, eamque **2.** solam esse veram Christi Ecclesiam, cum haec una tantum sit; ideoque **3.** a priori constare, ejus doctrinam esse veram, esse doctrinam Christi: nec audiendos **4.** esse, qui causantur more omnium haereticorum, se ob ejus doctrinam corruptam ab eadem defecisse: omnesque **5.** ab ea dissidentes ad veram Ecclesiam non pertinere, cum haec una et unica sit (cf. n. 394).

440. **Demonstratio p. II.** *Protestantes carent unitate.* Majoris tamen utilitatis gratia ostendemus, protestantium coetibus has notas deesse, ideoque verae Ecclesiae praerogativas eis non competere, simulque praecipua, quibus refelli possint, argumenta indicabimus. Relate ad notam unitatis statuimus: **1.** protestantes utpote schismatis reos hac nota carere, ut ostensum est n. 492, nec posse suam eos excusare defectionem suisque coetibus asserere dignitatem Ecclesiae Christi nisi eo defensionis genere, quo haeretici quovis tempore usi sint, quodque anathemate a patribus orthodoxis rejectum fuerit. Sane ut protestantes defendere possint, se veram constituere Ecclesiam, pro certo sumere debent: **a.** omnem praecedentem Ecclesiam errasse; **b.** Ecclesiam visibilem interiisse; **c.** opus fuisse, ut novi in lucem prodirent doctores, qui depulsis tenebris fidei veritatem restituerent. Atqui nihil horum est, quod non etiam supponerent cujusvis generis haeretici a patribus

---

[1]) Sane ut nonnullas afferamus opiniones, Braunbon censet Ecclesiam defecisse jam a. 86 post Christum natum; Sebast. Frank a. 101; Capito sec. ineunte secundo; ecclesia Transsilvaniae a. 200; Waterland et Beveridge a. 300 vel saltem a. 400; Melanchthon a. 420 sub Zosimo rom. pontifice; Beza sub Leone I. circa a. 450; Bramhall a. 500; Flamming circa a. 606; Hammond et Stillingfleet post concilium oecumenicum VI., proinde circa a. 700; Newton episc. circa a. 727; Henricus Retty a. 757; Fox circa a. 1300; alii candide fatentur epocham hanc accurate determinari non posse, ita Joan. Gerad de locis theolog. t. 2. pag. 234 ed. tübingensis. *Et convenientia testimonia non erant!* Marc. 14, 56. Cf. opus inscriptum Die Kirche und die Gegensätze zur selben etc. in Briefen, Regensburg 1853.

[2]) In schemate cit. paratus erat canon (13): „Si quis dixerit, veram Christi Ecclesiam, extra quam nemo salvus esse potest, aliam esse praeter unam, sanctam, catholicam et apostolicam romanam, A. S.“

refutati[1]). **2.** Illum coetum debita unitate in fide carere, in quo quamvis forte unitas facto adsit, desit tamen principium par ad hanc unitatem sive determinandam sive reparandam. Jam vero etsi forte concederemus, apud protestantes re ipsa vigere unitatem fidei, dare tamen nullo pacto possumus eosdem principio unitati efficiendae idoneo esse instructos[2]). **3.** Vel a priori statui posse, unitatem fidei in coetu illo penitus deesse, inter cujus doctores sive de Scripturarum canone, sive de criterio, quo articuli fidei necessarii a non necessariis discernantur, sive de auctoritate librorum symbolicorum nondum conveniat; et qui careat principio ad ejusmodi controversias et dubitationes authentice componendas. Atqui protestantes neque universim, neque singulorum quidem coetuum sectatores in hisce sufficienter conveniunt[3]), et abjecto magisterio Ecclesiae authentico carent medio, quod par sit discordiae componendae. Quare nunquam potientur ea fidei unitate, qua pollere debet vera Christi Ecclesia. Imo quo magis seu quo meliores sunt protestantes, eo magis inter se dissentient, sicut catholici, quo meliores sunt filii Ecclesiae, in eo majorem fidei caritatisque unitatem conspirabunt. Et revera **4.** nulla unitas fidei in coetibus protestantium viget, imo potius maxima vigent dissidia. Atqui coetus adeo in se discors verae Ecclesiae faciem prae se non fert. Haec splendide illustrantur candidis ipsorum protestantium testimoniis, quae ipsis vel invitis veritatis evidentia expressit[4]).

441. *Protestantium coetus carere nota sanctitatis* ita conficitur: **1.** Inductione constanti liquet, doctrinam evangelicam saluberrimos fructus vel in ferocissimis populis omnique sceleri deditis produxisse. Atqui historia teste constat, reformationem fructus tam salutares nullibi gentium protulisse[5]). Igitur manifestum est, protestantes ex fructibus notam sanctitatis suae ecclesiae vindicare non posse. **2.** Qui ex-

---

[1]) Cf. Tertullianum de praescript. c. 27 ss. 42; Passaglia de Ecclesia l. 3. c. 29 n. 301.

[2]) Cf. supra n. 164 ss.; Valentia analysis fidei punct. 3. 4. 5; Scheffmacher Lettre 2; Perrone praelect. theol. t. 1. p. 2. prop. 7.

[3]) Cf. Wiest institutionum theolog. § 23. 40 s.; Deby die eine wahre Kirche § 18 et supra thes. LVII.

[4]) Cf. protestantium testimonia passim apud Wiest l. c. §§ 16 ss. 26. 33 s. 40. 166 etc.; Döllinger Kirche und Kirchen 283 ss. 294 ss. 299. 310. 323. 415 ss. 422. 459 etc.; Perrone l. c. prop. 9; hist. polit. Blätter 77, 403 ss.; 79, 60 ss.; 81, 824 ss.

[5]) Cf. Erasmi testis non suspecti testimonium supra n. 119 annot.; dein confessiones praecipuorum reformatorum toto 1. vol. operis Döllinger die Reformation praesertim p. 13 ss. 26 ss. 36 ss. 164 ss. 216 ss. 285 ss. 305 ss. 385 ss. etc.; histor. polit. Blätter 78, 665 ss.; Katholik a. 1877. I, 528 ss.

pendit ea, quae primi reformatores de sola fide justificante, de servo arbitrio hominis lapsi, de bonis operibus ad salutem non necessariis[1]) etc. docuerunt, facile intelliget, nullum esse flagitium, quod reformatorum doctrina excusari non possit, licentiam vivendi nullam, quae illa efficaciter non promoveatur. Talis vero doctrina coelitus allata inepte affirmatur. **3.** Inductione pariter constat, viros illos, quibus Deus temporis successu sive ad fidem propagandam sive ad Ecclesiam docendam est usus, quosque ad Ecclesiae decorem restaurandum excitavit, sanctitate vitae animique constantia excelluisse; utrumque vero hoc elementum frustra quaeras in reformatoribus: quod non solum catholicorum Lutheri aequalium, sed vel protestantium testimoniis innixi affirmamus, qui passim Lutherum inconstantiae, contradictionis, arrogantiae, pertinaciae, immodestiae etc. accusant[2]). **4.** Sanctitas Ecclesiae charismatis etiam se prodit (n. 415). Atqui his adeo destituuntur protestantium coetus, ut nunquam serio illa sibi asseruerint vel ad illa provocaverint, ideoque tacite saltem illis renunciant. Quocirca Spiritus s. praesentia destitutos se profitentur.

442. *Catholicitate carere coetus protestantium,* tum ex facto con-

---

[1]) Wiest § 168; Möhler Symbolik § 4; Döllinger l. c. pag. 70 ss.; 86 ss. 94 ss. 116 ss. 248 ss. etc.; t. 3. pag. 24 ss. Ita Melanchthon in comment. in ep. ad Romanos (cf. Chemnitium loc. theolog. ed. Leyser p. 1. pag. 173) docuerat: »Deum ipsum omnia proprie agere, ut sicut fatentur, proprium opus Dei fuisse Pauli vocationem, ita fateantur, opera Dei propria esse et Davidis adulterium . . . constat enim Deum omnia proprie facere, ut sit ejus proprium opus Judae proditio, sicut Pauli vocatio.« Quae tamen verba utpote nimis impia expuncta fuere in posterioribus editionibus. Cum autem dicimus, protestantium doctrinam sanctam censeri non posse, eaque omne excusari flagitium, non propterea ipsis exprobramus ulla peccata, nec judices esse volumus vitae ipsorum. Quod enim plures ex ipsis honestam sane ducant vitam, peccata caveant, non doctrinae propriae adscribi debet, sed vel doctrinae verae, cujus partem saltem ab Ecclesia catholica recedentes adhuc retinuerint, vel quod sibi non constent, et plura doctrinae capita, quae Lutherus docuerat et inculcaverat, ipsi aut pudore aut sano rationis ipsius naturalis judicio ducti rejecerint. Cf. Stapleton l. c. controv. l. q. 5. a. 3. praesertim prob. 17.

[2]) Cf. horum et alia testimonia apud Döllinger l. c. t. 1. pag. 29. 37. 57 ss. 97 ss. 178 ss. 354 ss. 531 ss. 552 ss. etc.; Janssen Geschichte des deutschen Volkes t. 2. passim; Germanus Reformatorenbilder; opus inscriptum Beleuchtung der Vorurtheile wider die kath. Kirche, von einem protest. Laien Zürichs ed. 3. Lucernae 1843 t. 1. part. 1. pag. 93—122 de Luthero; 130—149 de Calvino; 164—200 de Zwinglio; Storchenau Philos. der Religion passim t. 7. diss. 6. praesertim p. 267 ss.; Jodocus Coccius recenset in thesauro catholico 80 exempla variationum et contradictionum in doctrina Lutheri. Cf. etiam Schoen Dr. M. Luther auf dem Standpunkte der Psychiatrie beurtheilt, Viennae 1874.

stat, tum inde sequitur, quod careant unitate (n. 440). Quod si vero ad rapidam suae doctrinae propagationem appellent[1]), advertimus, non quamlibet rapidam propagationem argumentum esse divinae originis doctrinae, ut ostendimus in apologia verae religionis n. 119. Ceterum quae nunc sunt eorum missiones, prorsus steriles sunt, quod pariter eos vita supernaturali destitutos esse arguit[2]).

443. *Apostolicitate* denique *carent coetus protestantium* **1.** quoad doctrinam. Fatentur enim suam doctrinam dissentire ab antiquitatis doctrina, saltem ab ea, quae praevaluit et communis fuit inter christianos fere omnes a sec. XII. usque ad XVI; carent ergo continuitate et consanguineitate doctrinae cum Ecclesia seculorum praecedentium, neque censeri possunt genuina propago verae Ecclesiae. Ad haec **2.** quamplurima doctrinae capita tenent protestantes, quae profitebantur antiqui haeretici; quibus recensitis sic concludit Bellarminus[3]): „Habemus hactenus 20 haeresiarcharum haereses, quae damnatae sunt ab Ecclesia, quae fuit primis 700 annis, quas haereses cum nos pro haeresibus, adversarii nostri pro articulis fidei habeant, sequitur, nostram doctrinam conspirare cum doctrina antiquae Ecclesiae; adversariorum autem cum haeresibus antiquis.“ Carent **3.** reformatores authentica missione: qui defectus admodum efficax praebet adversus protestantes, imo adversus haereticos omnes, argumentum; quare illud nonnihil fusius evolvendum esse censemus.

444. Cum s. Paulus tam serio graviterque pronunciet Gal. 1, 8: *Licet nos aut angelus de coelo evangelizet vobis praeter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut praediximus et nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit praeter id, quod accepistis, anathema sit;* imo cum Christus ipse solemniter affirmet Matth. 18, 17: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus:* merito fideles, quotiescunque aliquis aliam, quam ab Ecclesiae pastoribus acceperint, doctrinam annunciat, etiamsi ipse se divinitus missum, reformatorem, puri evangelii praeconem jactet, postulare possunt, ut authentice probet missionem suam. Neque enim ullus rex alterius regis legatum recipiet,

---

[1]) Ipse Bucerus rationes plane naturales, imo carnales hujus celeris propagationis assignat de regno Christi Basileae 1857 pag. 35. Cf. Döllinger l. c. t. 2. pag. 54.

[2]) Qua de re bene disserit Perrone t. 1. parte 2. prop. 10; Marschall, die christl. Missionen, ihre Sendboten, ihre Methode und Erfolge, et inde excerpta in fasc. lit. Katholik 1863. I. pag. 250 ss.

[3]) De conc. et Eccl. l. 4. c. 9. Cf. in hac cum protestantibus controversia aureum l. Edm. Campiani: Decem rationes, quibus fretus certamen anglicanae ecclesiae ministris obtulit in causa fidei, Romae 1582.

nisi legationi suae redditis literis fidem faciat (n. 430), neque ullus in societate civili potest reformare pro lubitu civitatem, nisi a rege sit missus. *Qui* enim *non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro*, inquit Christus[1]). Porro duplex distingui potest missio, ordinaria alia et alia extraordinaria. Ordinaria ille fruitur, qui ab Ecclesiae pastoribus ad opus apostolicum ut legatione pro Deo fungatur vi ordinationis, electionis, mandati destinatur. Atqui hac carent haeretici omnesque illi, qui se Ecclesiae reformatores novosque apostolos jactant, cum Ecclesia illos novam aliamque proponentes doctrinam reprobet, damnet, docendi munere et jure privet. Sed ubi deest missio ordinaria, extraordinaria esse potest: quae tamen extraordinariis quoque signis argumentisque comprobari debet, ne fingendi simulandique libidini lata aperiatur via. Neque sufficit solum ad Scripturas provocare et quidquid affirmatur centenis tueri Scripturae effatis, cum id sit commune omnibus haereticis a primo usque ad novissimum[2]). Ceterum ut vidimus, jus Scripturas authentice interpretandi Ecclesiae competit (n. 180). Nequit ergo novus ille apostolus hoc jus contra Ecclesiam sibi vindicare, priusquam suam missionem extraordinariam, de qua quaeritur, authentice comprobaverit. Quare notae quaedam prorsus singulares et divinae, ut sunt miracula aliaque charismata supernaturalia, requiruntur[3]). Nam ut praeclare inculcat

---

[1]) Jo. 10, 1; cf. Innocentius tit. 13. Mig. 216, 1211.

[2]) Hilarius ad Constant. l. 2. n. 9: „Memento, neminem haereticorum esse, qui se non secundum Scripturas praedicare ea, quibus blasphemat, mentiatur. Hinc enim Marcellus Verbum Dei cum legit, non intelligit. Hinc Photinus hominem J. Christum, cum loquitur, non intelligit. Hinc et Sabellius, dum quod *Ego et Pater unum sumus* Joan. 10, 30 non intelligit, sine Deo Patre et sine Deo Filio est. Hinc et Montanus per insanas feminas suas Paracletum alium defendit. Hinc et Manichaeus et Marcion legem odit, quia *litera occidit* 2. Cor. 3, 6 et mundi princeps diabolus est. Omnes Scripturas sine Scripturae sensu loquuntur, et fidem sine fide praetendunt. Scripturae enim non in legendo sunt, sed in intelligendo.“ Repeti hic possunt, quae praeclare disputant Tertullianus de praescr. cc. 14 ss. 37. 44 et Vincentius lirin. in primis legendus commonit. cc. 10. 25 ss., quibus ostendunt haereticos ad disputationes ex Scripturis non esse admittendos. Cf. Becanus Manuale controv. l. 1. c. 12.

[3]) Cum tamen aliunde certum sit, Ecclesiam non deficere, proinde nec errare posse, neque enim unquam Christus vel Spiritus s. eam deseret: hinc novus apostolus, qui aliam ab ecclesiastica doctrinam annunciat, semper respuendus atque anathemate percellendus foret secundum verba Pauli supra allata, et inter illos numerandus, quos venturos praedixit Christus: *Surgent pseudochristi et pseudoprophetae: et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. Ecce praedixi vobis* (Matth. 24, 24). Qua de re bene disserit s. Archelaus in disputatione cum Manete nn. 26. 27. 35. 36. (patrol.

Vincentius lir. c. 17: „Magna res profecto est et ad dicendum et ad recolendum necessaria . . . ut omnes vere catholici noverunt . . . se cum Ecclesia doctores recipere. non cum doctoribus Ecclesiae fidem deserere debere."

445. Quod etiam inductione quadam illustrari poterit. Missus fuit Moyses missione extraordinaria ad Pharaonem pro populi israelitici liberatione, qui non contentus verbis, factis i. e. miraculis eam comprobavit. Ita passim prophetae veteris Testamenti. Quid ipse Christus missus in hunc mundum? *Si opera non fecissem in eis,* inquit, *quae nemo alius fecit, peccatum non haberent* (Joan. 15, 24). Satis ei non erat, se Dei Filium affirmare, verbis suis miracula patrando fidem conciliavit. Ita et apostoli se gesserunt. ita tot viri apostolici, qui seculorum decursu populis barbaris et in umbra mortis sedentibus Evangelium annunciarunt. Merito autem ab iis, qui se novae doctrinae apostolos jactant, signa plane evidentia, insolita, supernaturalia postulari, quibus suam vocationem et missionem divinam comprobent, vel ipse Lutherus est confessus sibi pro more minime constans. Cum enim interrogatus fuisset, quid de Thoma Münzer, anabaptistarum coryphaeo, qui aliam novamque promulgabat doctrinam, esset tenendum, ita senatui muelhusino respondit[1]): „Recte facturum senatum, si roget ex illo, quis

---

gr. Mig. t. 10) ubi inter alia dicit: „Cum nullius prorsus accipiat (Manes) testimonium, paracletum se esse vult credi, cum etiam si signa et prodigia faceres falsum Christum et falsum prophetam te reputari oporteret secundum Scripturas." Aurea vero sunt verba Paciani contra Novatianum, unum ex protestantibus et reformatoribus sec. III., qui Ecclesiae doctrinam praximque de recipiendis lapsis utpote puri Evangelii vindex mutare ausus fuerat; quae verba de omnibus haereticis et jure optimo de reformatoribus sec. XVI. repetere licet. „Novatianus hoc praecepit, ita ille ep. 3. ad Sympronianum n. 1, immaculatus aliquis et purus, qui Novatum non audierit, qui nunquam Ecclesiam deseruerit, qui ab episcopis episcopus factus sit, qui jure ordinario consecratus, qui vacantem cathedram in Ecclesia consecutus? Quid ad te? inquies; Novatianus hoc docuit. At vel quando, frater, quibusve temporibus? Statim post Domini passionem? Post Decii principatum, id est, post trecentos prope annos (adversus protestantes dicere posset, post 15 secula) dominicae passionis. Quid ergo tunc? Prophetas secutus est ut cataphryges . . . an ipse tantum auctoritatis accepit? Linguis locutus est? prophetavit? suscitare mortuos potuit? Horum enim aliquid habere debuerat, ut evangelium novi juris induceret. Et si contra clamet apostolus: *licet nos aut angelus de coelo evangelizaverit praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit* (Gal. 1, 8): Novatianus sic intellexit, inquies; sed Christus hoc docuit. Ergo a Christi usque Decii principatum nullus intelligens? . . . Novatiano vindice justitia liberatur, auctore corrigitur quidquid erravit?" Eadem fere c. Faustum inculcat Augustinus l. 13. c. 5. Unde liquet, quantum fideles ab Ecclesiae ore pendere omnemque novitatem fugere oporteat; contra hanc vero nullum validius esse argumentum, quam dissensum a doctrina Ecclesiae, quae, utpote indefectibilis, jugiter missionem habet authenticam docendi omnes gentes.

[1]) Apud Sleidanum de statu relig. et Eccles. comment. l. 5. et op. Lutheri edit. Lips. t. 19. p. 235 et halens. t. 16. p. 5. Alia testimonia ejusdem Lutheri, quae ad rem faciunt, cf. in liter. fol. Studien und Kritiken 1862. p. 20; Deby

docendi munus ipsi commiserit, quis evocaverit? Et si Deum nominet auctorem, tum jubeat hanc suam vocationem aliquo evidenti signo comprobare, quod si repraesentare non possit, ut tum repudietur; hoc enim Deo esse proprium atque familiare; quotiescunque formulam consuetam et rationem velit immutari, ut tum voluntatem suam aliquo signo declaret.«

446. Jam vero protestantes ejusmodi signa extraordinaria, quibus suam missionem comprobarent, nunquam attulerunt, nunquam exhibuerunt. Nullo igitur modo sibi vindicare possunt missionem extraordinariam. Ideoque ne audiendi quidem sunt. Profecto nimis clara, nimis alta voce intonat Paulus: *Licet . . . angelus de coelo evangelizet vobis praeter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit;* nimis terrifica sunt verba Christi: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Quare pendeant fideles ab ore Ecclesiae romano-catholicae, quam veram Christi Ecclesiam esse comprobavimus; cum hac enim est Christus et Spiritus veritatis, extra hanc non est salus, haec fundata est supra petram, adversus quam portae inferi non praevalebunt. Absolvimus tenera exhortatione s. Augustini, qua donatistas omnesque ab Ecclesia romano-catholica dissidentes, ut ad illam redeant, invitat in psalmo contra partem Donati:

Venite, fratres, si vultis, ut inseramini in vite.
Dolor est, cum vos videmus praecisos ita jacere.
Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede,
Et in ordine illo patrum, quis cui successit, videte:
Ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae.
Omnes, qui gaudetis de pace, modo verum judicate.

PARS II.

DE ROMANO PONTIFICE.

447. *Quid de primatu sit tenendum.* — Mutuo collatis regulis[1]), quibus catholica credendi sentiendique de primatu romani pontificis ratio definitur, colligimus, universam doctrinam de primatu hisce ab-

---

§ 21; Hettinger p. 2. § 9. Quam invictum sit adversus protestantes hoc argumentum ex missionis defectu petitum vel inde liquet, quod Lutherus eo tortus inter 24 annos quaterdecies mutaverit opinionem suam de jure, quo polleret condendi novam sectam. Cf. Döllinger l. c. III, 202 ss.

[1]) Potiores regulae sunt: Formula Hormisdae episcopis Orientis, qui schismatis acaciani participes fuerant, praescripta (n. 563); Gelasii definitio in conc. romano a. 496; professiones fidei Mich. Palaeologi imp. in conc. lugdunensi II. oblata (n. 564), tridentina, Gregorii XIII. graecis praescripta, Urbani VIII. et Benedicti XIV. orientalibus proposita; definitiones conciliorum lateranensis IV. cap. 5; florentini in decreto unionis cum

solvi capitibus: **1.** voluisse Christum, ut praeter episcopos particularium ecclesiarum rectores ex eodem episcoporum ordine sit unus aliquis pastor, qui universi ovilis dominici gerat curam; **2.** primum ejusmodi pastorem fuisse Petrum apostolum; cui **3.** vita functo alii debuerint ad consummationem usque seculi succedere; atque hos successores esse antistites romanos; tandem **4.** Petri ejusque successorum primatum complecti plenitudinem potestatis. Licet autem consilium Christi evidenter colligatur ex ipsa primatus institutione, alia ratione illud illustrabimus, quae simul viam sternat animumque adversus primatum non praeoccupatum disponat ad ea promptius perspicienda et amplectenda, quae ex divinis literis traditionisque monumentis pro doctrina catholica afferemus. Demonstrabimus nimirum primatus convenientiam et necessitàtem ex analogia dogmatum, seu ostendemus omnia, quae de Ecclesia sive credimus sive scimus, logica consequentia exigere et postulare unum quendam supremum pastorem, ne sit manca, ne imperfecta, neve collabatur Ecclesia. Unde merito inferre licebit, Christum, qui ut sapiens architectus Ecclesiam certo non mancam aedificavit, non labilem, non ruinosam, voluisse, ut unus primatis instar illi semper praesit.

Caput I.

De primatu in universam Ecclesiam ex fidei analogia.

448. **Thesis LXV.** ***Ipsa catholica unitas, quà Ecclesia semper insignis esse debet, postulat, ut institutum censeatur a Christo medium externum, quo eidem jugiter prospiciatur.***

Demonstratio. Quamvis demonstratione, quam modo proponemus, usi jam simus disserentes de magisterio ecclesiastico deque judice controversiarum (n. 361), tamen quia ea admodum est efficax ibique adumbrata tantum fuit, diligentius videtur exponenda. Supponimus igitur, Ecclesiam ex voluntate Christi excellere debere unitate, et unitate non quacunque, sed **a.** extensionem si spectes, catholica et universali, quae proinde complectatur gentes moribus, indole et cultu quam maxime diversas; si vero durationem consideres **b.** perpetua, quae ad consummationem usque seculi perduret; **c.** unitate interna, quae totum afficiat et pervadat hominem, intellectum per eandem fidem, in quam omnes conspirent, adeo ut sint perfecti in eodem sensu et

---

graecis (n. 565), lateranensis V. et vaticani sess. 4; damnationes propositionum editae a Joanne XXII., Martino V. et conc. constantiensi contra Wicleffum et Huss; a Leone X. contra Lutherum, et Pio VI. contra synodum pistoriensem etc., quas reperies ap. Denzinger Enchiridion symbolorum et definitionum.

in eadem sententia[1]; voluntatem per obedientiam, et cor per eundem cultum: unitate **d.** visibili et sociali, vi cujus omnes unum constituant corpus, vivum utique atque harmonicum, adeo perfecta, ut ea credibilitatis possit esse motivum[2]). Atqui talis unitas constare sibi nequit in praesenti rerum ordine sine externo authentico medio, quo jugiter efficiatur, servetur et defendatur; neque enim exspectanda sunt nescio quae miracula, quibus Deus invisibiliter, secluso quovis medio externo ac velut connaturali, tantam operetur inter fideles unitatem.

449. Et sane **a.** si homines, teste Paulo[3]), ne ad fidem quidem ordinario adducuntur citra externum aliquod medium, ministerium scil. hominum authenticum idque visibile; multo minus tot hominum myriades in unitate fidei conservabuntur citra idem vel simile medium. Ad haec **b.** considerata scil. hominum fragilitate expensisque praedictionibus Christi constat, oritura esse subinde inter Ecclesiae membra dissidia, quae certe componenda sunt, ne Ecclesia in fragmenta dissipetur, sed semper unitate sua agnosci dignoscique possit. Atqui Deus ea non componit modo invisibili, qui gratis asseritur, nec hominum naturae est accommodatus. Modo ergo visibili Christus unitati suae Ecclesiae consulet, proinde et medio visibili, externo, authentico. Quae illatio confirmatur **c.** uberrime protestantismi historia: nam licet is doceat sufficientissimum unitatis ecclesiasticae principium ipsum esse Spiritum s., nulla tamen alia fruuntur protestantes unitate nisi negativa; quod si majori gaudent, id debent vel suis consistoriis vel praecipue principum auctoritati, i. e. medio alicui externo. Ceterum **d.** haec assertio evidenter omnibus iis comprobatur, quae diximus sive de organo divinitus instituto ad propagandam Christi doctrinam, sive de institutione atque necessitate ministerii ecclesiastici.

450. **Thesis LXVI.** ***Ejusmodi vero authenticum externum medium ad conservandam catholicam visibilemque Ecclesiae unitatem neque est 1. s. Scriptura; neque 2. auctoritas principum politicorum; neque 3. ipse fidelium coetus; neque 4. quivis episcopus; neque denique 5. aristocraticus pastorum coetus.***

Demonstratio p. I. p. II. Scripturam non esse medium divinitus selectum ad conservandam catholicam unitatem adeo est evidens ex dictis n. 164 et 361, ut ne verbulum quidem addere oporteat. Quare jam alterum thesis membrum evincemus. Sane unitas ecclesiastica conservari nequit eo medio, quod destitutum est jure interpretandi Scripturas, condendi symbola, haereses et schismata authentice damnandi, potestate excommunicandi. Atqui haec jura principibus neque jure naturae, neque jure positivo divino, neque jure ecclesiastico competunt.

---

[1]) 1. Cor. 1, 10; cf. th. LVI. [2]) Joan. 17, 21.
[3]) Rom. 10, 11 ss.; cf. th. XXIII. XLVIII. XLIX.

Quod luculentissime confirmant patres suffragio suo. „Quando audisti, scribit Ambrosius ad Valentinianum juniorem[1]), clementissime imperator, in causa fidei laicos de episcopis judicasse? Ita ergo quadam adulatione curvamur, ut sacerdotalis juris simus immemores, et quod Deus donavit mihi, aliis putem esse cedendum? Si docendus est episcopus a laico, quid sequetur? Laicus ergo disputet et episcopus audiat; episcopus discat a laico! At certe si vel divinarum Scripturarum seriem vel vetera tempora retractemus, quis est qui abnuat in causa fidei, in causa, inquam, fidei episcopos solere de imperatoribus christianis, non imperatores de episcopis judicare?« Non minori libertate apostolica Hosius Constantio imperatori declarat[2]): „Ne te rebus misceas ecclesiasticis, nec nobis praecepta mandes, sed haec potius a nobis ediscas. Tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit: ac quemadmodum qui tibi imperium surripit, Dei ordinationi repugnat: ita metue, ne si ad te ecclesiastica negotia pertrahas, magni criminis reus fias.« S. Joannes Damascenus[3]): „Penes imperatores potestas non est, ut Ecclesiae leges sanciant. Attende quid dicat Apostolus[4]): *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum apostolos, secundo prophetas, tertio pastores et doctores ad perfectionem Ecclesiae;* non adjecit *imperatores.* Et rursum[5]): *Obedite praepositis vestris et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri:* idemque rursus: *Mementote praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei* etc. Verbum locuti non sunt vobis reges, sed apostoli et prophetae pastoresque et doctores. Ad imperatores spectat recta rei publicae administratio, Ecclesiae regimen ad pastores et doctores. Ejusmodi invasio latrocinium est, fratres... Tibi parebimus, o imperator, in his, quae ad hujus seculi negotia pertinent... verum ad res Ecclesiae statuendas pastores habemus, qui nobis verbum loquuntur, atque ecclesiastica instituta tradiderunt. Non transferimus terminos antiquos, quos posuerunt patres nostri« (Prov. 22, 28) etc.

451. Ceterum id fassi sunt vel ipsi imperatores prudentiores, ut jam ipse Constantinus[6]), Honorius in sua sacra ad Arcadium de s. Joan.

---

[1]) Ep. 20 n. 4; cf. etiam n. 15. In ep. vero 20 ad sororem suam n. 19 refert se Valentiniano dixisse: »Noli te gravare, imperator, ut putes te in ea, quae divina sunt, aliquod imperiale jus habere. Publicorum tibi moenium jus est commissum, non sacrorum.« In serm. c. Auxentium n. 36 pronunciat: »Imperator intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est.« Consone plane s. Martinus Maximo imp. dixit (apud Sulp. Severum hist. sacrae l. 2. n. 50): „Novum esse inauditum nefas, ut causam Ecclesiae judex seculi judicaret.« Nam, ut inculcat s. Gregorius naz. or. 16 n. 8: „Vos quoque (principes et praefectos) imperio meo et throno lex Christi subjicit. Imperium enim nos quoque gerimus; addo, etiam praestantius ac perfectius: nisi vero aequum sit, spiritum carni et coelestia terrenis cedere.«

[2]) Apud Athanasium in hist. arianorum n. 44.

[3]) Or. 2. de imag. n. 12. [4]) 1. Cor. 12, 28. [5]) Hebr. 13, 17. 7.

[6]) In ep. ad episc. post conc. arelatense (Mig. 8, 488), e qua nonnulla delibat Optatus de schism. donat. l. 1. n. 23. 25. opusc. t. X. Et ut legimus apud Rufinum H. E. I, 2. in conc. nicaeno protestatus est: „Deus vos (episcopos) constituit sacerdotes et potestatem vobis dedit, de nobis quoque judicandi et

Chrysostomo: „Si quid de causa religionis inter antistites ageretur, episcopale oportuerit esse judicium; ad illos enim divinarum rerum interpretatio, ad nos religionis spectat obsequium.“ Theodosius junior in ep. ad synodum ephesinam testatur, se Candidianum comitem ad concilium misisse, sed ea lege, „ut cum quaestionibus et controversiis, quae circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat: nefas est enim qui sanctissimorum episcoporum catalogo adscriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis et consultationibus immisceri[1]).“ Ratio autem, quare unitatis custodia non sit concredita principibus, perspicua est. Horum enim potestas circumscribitur limitibus ditionis suae. Atqui potestate ita circumscripta contineri nequit ratio sufficiens catholicae unitatis, imo ea continetur potius semen jugis schismatis, fonsque est exitialis illius axiomatis: cujus regio, illius et religio. Hac praeterea hypothesi admissa Ecclesia caruisset diu principio unitatis, quando scil. principes erant saevissimi ipsius persecutores; careret toties quoties princeps est infidelis, haereticus, schismaticus, apostata, hostis, quod haud raro contingit. Quare merito conc. oecumenicum IV. act. 4. solemniter statuit[2]) e sententia Cecropii ep. Sebastopolis, „ut sine contradictione cessent ea pragmatica (decreta imperatorum), quae in detrimentum canonum a quibusdam facta sunt, in omni provincia: canones autem per omnia teneant. Sic enim et fides custoditur et unaquaeque ecclesia tutum statum habebit.“

452. **Demonstratio p. III.** *Neque hoc medium est universalis fidelium coetus;* nam ut aliunde certo constat, Ecclesiae coetus est inaequalis (th. XLVIII), in quo alii praesunt, alii subsunt, alii sunt pastores, alii oves; posuit enim Deus non ipsam fidelium turbam, quae regeret, sed episcopos, qui regerent Ecclesiam Dei[3]); ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, donec occuramus omnes in unitatem fidei (Eph. 4, 11). Deinde propter ipsam fidelium multitudinem requiritur medium, quod illam ad unitatem revocet; ergo ipsa multitudo tot hominum ad discordiam propter innatam fragilitatem prona concordiae efficiendae nequit esse medium.

453. Frustra vero provocant nonnulli ad Matth. 18, 15 ss., ubi ipsa Ecclesia exhibetur tribunal componendorum inter fratres dissidiorum. Nam licet **a.** Ecclesiae nomen proprie designet fidelium coetum, tamen designare (saltem per synecdochen) etiam potest pastorum primatumque coetum; neque enim infrequens est societati tribuere, quod illius praecipui, praesides, caput agunt. Hic autem **b.** nomine Ecclesiae designari revera pastorum coetum evincit contextus, qui ostendit Ecclesiam, de qua est sermo, constare iis, quibus concredita est potestas ligandi atque solvendi; haec vero

---

ideo nos a vobis recte judicamur.“ Cf. plura apud Facundum hermian. l. 12. pro defens. trium capit.; Bellarminum de verbo Dei l. 3. c. 7. 8; l. 1. c. 7. de rom. pontif.; Thomassinum diss. 12. de conc. n. 43 ss.

[1]) Apud Hardouin 1, 1346. [2]) Ib. 2, 443. [3]) Act. 20, 28.

collata fuit non indiscriminatim omnibus fidelibus, sed speciatim apostolis eorumque successoribus. Quod confirmatur **c.** ex practica interpretatione Ecclesiae, ex cujus historia novimus, non fidelium coetum, sed pastores exercuisse judicia. Nec **d.** aliunde id Ecclesia didicit, quam ex apostolorum praxi, qui auctoritate divinitus sibi collata judicia exercuerunt[1]). Merito proinde Chrysostomus locum hunc ita explicat: „*Dic Ecclesiae* h. e. praepositis.“

454. **Demonstratio p. IV.** *Neque unitatis tutela concredita est singulis episcopis,* tum quia ipsi inter se quam facillime possunt dissidere, ergo jam superiori quodam medio indigent, quo efficiatur unitas episcopalis, a qua Ecclesiae unitas quam maxime pendet; tum quia principium unitatis efficiens polleat necesse est auctoritate in Ecclesiam universam, qua singulares episcopi carent, ut **a.** demonstrat Ecclesiae historia, quae episcopos nonnisi particularibus praefuisse ecclesiis ostendit; **b.** legislatio perpetua ecclesiastica severe episcopis prohibens, ne quid extra suam agant dioecesim; **c.** pernicies, quae necessario exinde redundaret in Ecclesiam. Licet ergo episcopi apostolorum sint successores, singuli tamen seorsim spectati non ex asse et in solidum heredes sunt apostolicae auctoritatis, nec jurisdictionis in Ecclesiam universam, sed eis succedunt vel quatenus apostoli rexerunt particularem aliquam Ecclesiam, vel ut membra coetus episcopalis, qui successit collegio apostolico, cui universum Christi ovile regendum pascendumque fuit commissum.

455. **Demonstratio p. V.** *Neque unitatis custodia aristocratico pastorum coetui commissa censeri potest.* Quod in primis tenendum est contra eos, qui episcopales dicuntur, secundum quos Christus ecclesiarum particularium unitati consuluit episcoporum, qui singuli singulis praeessent, institutione: universalis vero Ecclesiae unitati non providit instituto pastore supremo, sed coetu pastorum illi satis esse consultum censent. Verum adversus anglicanos illud **a.** haud incongrue animadvertitur, si tantum fuit penes Christum unitatis pretium atque momentum, ut voluerit illius tutelam vel in particularibus ecclesiis commissam praepositis singularibus, quamquam impossibile non sit, unitatem ecclesiae particularis per presbyterorum coetum conservare; quanto magis existimandum erit, eum decrevisse, ut catholica unitas, quae magis adhuc ei cordi est, universali crederetur antistiti. Praesertim **b.** cum unitas catholica jugis esse debeat atque perpetua; jugi proinde atque perpetuo instructa sit necesse est medio quodque semper in promptu sit. Atqui ex historia liquet nunquam fuisse permanentes synodos uni-

---

[1]) Cf. Act. 5, 2 ss.; 8, 20; 1. Cor. 5, 3 s.; 1. Tim. 1, 20; 5. 20; 2. Tim. 4, 2; Tit. 2, 15. Cf. Schrader de unit. rom. t. 1. n. 218 ss.

versales, atque ex rerum naturis patet, eas permanentes esse non posse; nec facile posse vel easdem congregari vel saltem in controversiis consuli coetum episcoporum per orbem dispersum. Quid, si **c.** episcopi inter se dissentiant, quod historia teste facile contingere potest? Carebit tunc Ecclesia unitatis principio, quando quam maxime illo eget. Denique **d.** ipse pastorum coetus, ut sit unus ac proinde ad unitatem efficiendam par, eget unitatis centro et radice. Aliquis enim esse debet, qui jure et auctoritate illum convocare possit et convocet, praesertim cum de hoc nihil a Christo fuerit praescriptum, qui illi praesideat, qui negotia dirimenda proponat, decretorum exsecutionem urgeat[1]) etc.

456. **Thesis LXVII.** ***Reliquum igitur est, ut jus officiumque servandae tuendaeque catholicae unitatis factum divinitus credatur singulari cuidam pastori, cui ceteri omnes obnoxii sint.***

Demonstratio. Hoc sponte sua per modum corollarii consequitur ex hucusque dictis: confirmari insuper potest pluribus conjecturis et rationibus haud spernendis. **1.** Synagoga Ecclesiae typus, licet codice pleniore uteretur, novis in dies revelationibus edoceretur, regeretur divinitus, uno regno constaret unoque populo, Deo volente uno summoque visibili pontifice non caruit. Conjicere ergo licet, neque Ecclesiam summo hierarcha destitui. **2.** Christus Ecclesiam suam passim confert ovili, corpori, domui, regno, quibus symbolis adumbratur in primis societas, quae ad unum revocatur praepositum visibilem. Ad haec **3.** illud Ecclesiae regimen Christum praetulisse haud injuria censetur, quod prae ceteris magis opportunum atque efficax est ad unitatem, quae tantum ei cordi fuit, efficiendam conservandamque. Attenta autem hominum conditione et indole prae ceteris formis aptum est atque efficax regimen monarchicum.

457. Sane **a.** hoc non solum patres, sed et veteres philosophi docent; hoc **b.** confirmatur auctoritate divina, cum illud Deus elegerit pro familia, pro synagoga et quatenus erat societas religiosa et quatenus erat societas politica; illud selegit etiam in ordine mundano; quod mirum videri non debet, cum haec regiminis forma expressius adumbret regnum divinum. Hoc colligitur **c.** ex inductione, cum respublicae sint rarae, monarchia vero fere ubique viguerit vigeatque; quod factum saltem suadet, hanc regiminis formam naturae humanae magis esse consonam. Hoc **d.** evincere videtur ipsa rei natura. Quo enim unitatis principium magis est unum magisque a scissione remo-

---

[1]) Cf. Thomas supplem. q. 40 a. 6; Passaglia de praerogativis b. Petri l. 1. c. 25. n. 330 ss.; c. 27. n. 395 s.; l. 2. c. 1. n. 17 ss.; c. 17. n. 242 s.

tum[1]), eo facilius unitatis formam multitudini imprimere poterit. Quo latius patet regnum, eo potentius esse debet unitatis centrum magisque in promptu ad laesam unitatem mox resarciendam. Quo magis autem ad unum revocatur potestas minusque per plures diffunditur ac velut scinditur, eo efficacior eadem est et magis in promptu. Idcirco etiam romani tempore periculi ad unum revocabant omnem potestatem unumque constituere solebant dictatorem. Hoc denique e. luculentissime probant facta. Unde enim in Ecclesia romana tanta unitas, qua ipsa non obstante tam lata diffusione omnes longe praecellit coetus religiosos? Inde quod ejus regimen per consertos gradus ad singularem tandem supremumque pastorem revocetur; ideo enim unum est corpus, unum regnum, unum ovile sub uno pastore, ideo quam proxime accedit ad illam unitatis ideam, quam in sua Ecclesia Christus expressam voluit. Unde vero protestantium coetus quam remotissime absunt ab hac unitatis idea, et in dies semper magis in fragmenta dissipantur innumera[2])? Quia rejecto pastore universali carent omni medio, quod par sit efficiendae unitati. Quare ipsa historia religionis christianae evincit, medium tutandae ecclesiasticae unitatis divinitus selectum esse regimen monarchicum[3]): ubi enim hoc deest, regnat dissipatio, imo et confusio; ubi vero adest et quo perfectius adest, illa viget unitas, qua excellere debet.

458. Quare admodum efficax est s. Thomae disputatio[4]): „Nulli dubium esse debet, quin Ecclesiae regimen sit optime ordinatum, utpote per eum dispositum, per quem *reges regnant et legum conditores justa decernunt*[5]). Optimum autem regimen multitudinis est, ut regatur per unum, quod patet

---

[1]) S. Thomas 1. p. q. 103. a. 3: „Manifestum est enim, quod plures multa unire et concordare non possunt, nisi ipsi aliquo modo uniantur. Illud autem, quod est per se unum, potest esse causa unitatis convenientius, quam multi uniti. Unde multitudo melius gubernatur per unum, quam per plures.“

[2]) Hanc protestantium in plures sectas dissolutionem in dies crescentem pluribus describunt Bossuet, Histoire des variations; Jörg, Gesch. des Protestant. etc.; Döllinger Kirche und Kirchen passim; eam graphice describunt Schenkel et Hengstenberg in fol. liter. Katholik 1870 p. 1. p. 324; in historisch.-polit. Blätter 1873 t. 72. p. 191 recensentur octoginta tres sectae, in quas jam dissolutus est protestantismus in sola Anglia; imo a. 1874 jam 173 numerabantur, quibus usque ad a. 1878 aliae 11 accessere; in America vero septentrionali numerabantur a. 1843 tantum 288 sectae. Cf. Laacher Stimmen 1876. I. pag. 472.

[3]) Cum loquimur de regimine monarchico, praescindimus modo, utrum illud sit absolutum an temperatum quadam aristocratia vel etiam democratia; intelligimus enim eo formam illam regiminis, quae tandem revocatur ad unum, qui ceteris jurisdictionis potestate praesit.

[4]) Contra gentes IV, 76. [5]) Prov. 8, 15.

ex fine regiminis, qui est pax: pax enim et unitas subditorum finis est regentis: unitatis autem congruentior causa est unus, quam multi[1]). Manifestum est igitur regimen Ecclesiae sic esse dispositum, ut unus toti Ecclesiae praesit... Si quis autem dicat, quod unum caput et unus pastor est Christus, qui est unus unius Ecclesiae sponsus, non sufficienter respondet. Manifestum est enim, quod ecclesiastica sacramenta ipse Christus perficit; ipse enim est, qui baptizat, ipse est, qui peccata remittit, ipse est verus sacerdos, qui se obtulit in ara crucis et cujus virtute corpus ejus in altari quotidie consecratur: et tamen quia corporaliter non cum omnibus fidelibus praesentialiter erat futurus, elegit ministros, per quos praedicta fidelibus dispensaret, ut supra (c. 74) dictum est. Eadem igitur ratione, quia praesentiam corporalem erat Ecclesiae subtracturus, oportuit, ut alicui committeret, qui loco sui universalis Ecclesiae gereret curam. Hinc est quod Petro dixit ante ascensionem: *Pasce oves meas*[2]) etc.«

Haec illatio confirmatur luculento suffragio patrum, qui passim docent cum Hieronymo, propterea inter duodecim (apostolos) unum fuisse electum, ut capite constituto schismatis tolleretur occasio[3]). Nam ut dialogo adversus luciferianos advertit (n. 9), »Ecclesiae salus in summi sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quaedam et ab omnibus eminens tribuatur potestas, tot in ecclesiis efficientur schismata quot sacerdotes.« Quam autem hoc consilium rerum naturis sit congruum, exemplorum inductione ostendit in epistola ad Rusticum monachum. »Etiam muta animalia, ita ille n. 15, et ferarum greges ductores sequuntur suos. In apibus principes sunt: grues unam sequuntur ordine literato[4]). Imperator unus, judex unus provinciae. Roma ut condita est, duos fratres simul habere reges non potuit, et parricidio dedicatur. In Rebeccae utero Esau et Jacob bella gesserunt (Gen. 25, 22). Singuli ecclesiarum episcopi, singuli archipresbyteri, singuli archidiaconi, et omnis ordo ecclesiasticus suis rectoribus nititur. In navi unus gubernator, in domo unus dominus, in quamvis grandi exercitu unum signum exspectatur.« Hieronymi doctrinam approbat Gelasius I: »Quare igitur ad Petrum, inquit[5]), tam frequens Domini sermo dirigitur? Num-

---

[1]) Ad rem Gregorius de Valentia (in 2. 2. t. 1. q. 1. punct. 7. q. 5. § 33) advertit: »Quod potest accomodatius esse quasi principium et causa unitatis quam unitas? Etenim contra videmus omnia dissidia et quascunque controversias in communitatibus nonnisi ex aliqua tandem diversitate proficisci vel opinionum vel voluntatum.« Cf. Bellarminum de rom. pont. l. 1. c. 2.

[2]) Jo. 21, 17. [3]) L. 2. c. Jovin. n. 26.

[4]) Grues eo ordine dispositae volant, ut literam Y repraesentent. Idcirco Hieronymus eorum ordinem vocat *literatum*.

[5]) Epist. 14. Approbat eam vel Hugo Grotius, cum in Voto pro pace ad art. 7. haec scribit: »Gradus praepositorum in Ecclesia esse debere et per illos gradus compaginari Ecclesiam docuit nos Paulus Eph. 4, 11. Ordo sive in partibus, sive in toto continetur principatu quodam sive praepositi unitate. Et hoc est quod in Petro nos Christus docuit. Hoc a Christo didicit Cyprianus; idem cum Cypriano dicit Hieronymus adversus Jovinianum . . . Tale caput est inter presbyteros episcopus, inter episcopos metropolitanus aut alio quis modo electus, ut ceteris praesit. Tale inter omnes episcopos romanus.« A quibus sejungi non debent, quae verissime ad rem nostram advertit (animadv. Riveti ad Art. 7):

quidnam reliqui sancti et beati apostoli non erant simili virtute succincti? Quis hoc audeat affirmare? Sed ut capite constituto schismatis tolleretur occasio, et una monstraretur compago corporis Christi, quae ad unum caput gloriosissima dilectionis societate concurreret, et una esset Ecclesia, cui fideliter crederetur, unaque domus unius Domini et unius redemptoris, in qua de uno pane et de uno calice nutriremur (1. Cor. 10, 16 s.).« Quibus praeiverunt s. Cyprianus in aureo libello de unitate Eccl. n. 4. et Optatus milevitanus ita Parmenianum donatistam alloquens II, 2: »Igitur negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri apostoli singulas sibi quisque defenderent: ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret.« Absolvimus verbis s. Anselmi in Matth. 16, 19: »Ideo enim eum (Petrum) principem apostolorum instituit (Christus), ut Ecclesia quasi unum principalem Christi vicarium haberet, ad quem diversa Ecclesiae membra recurrerent, si forte inter se dissentirent: quoniam si diversa essent capita in Ecclesia, unitatis vinculum rumperetur per diversa schismata.«

459. Quare dubitari nequit quendam in Ecclesia exsistere primatem, cui unitatis cura et custodia sit commissa. Quem instituti primatus finem et scopum expressit quoque concilium vaticanum in exordio sess. 4. docens: „Ut vero episcopatus ipse unus et individuus esset et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, b. Petrum ceteris apostolis praeponens (Christus), in ipso instituit perpetuum unitatis principium ac visibile fundamentum, super cujus fortitudinem aeternum exstrueretur templum, et Ecclesiae coelo inferenda sublimitas in hujus fidei firmitate consurgeret (s. Leo M. serm. 4. c. 2).“

460. **Corollarium.** Quod si Christus Dominus voluit unum suae Ecclesiae praeesse pastorem, supra omne dubium est, primum fuisse inter apostolos Petrum, et hujus dein successores romanos episcopos; nam praeter hos nullus unquam episcoporum, ne constantinopolitanus quidem ausus est sibi primatum in universam asserere Ecclesiam; adeo est evidens vel nullum in Ecclesia primatui esse locum vel eum deberi romano antistiti. Verum expendatur ipsum factum primatus romani episcopi, nam illius consideratio luculentum fidei catholicae est argumentum.

„Sicut exercitus, sicut navis regi non potest nisi per gradus praefectorum, qui gradus in unum desinant: ita nec Ecclesia. Etsi omnes, qui sunt in Ecclesia essent dilectione summa praediti, tamen tali ordine esset opus. Deus non amat facere semper miracula, sed ad res optimas etiam optimas monstrat vias, qualis est ad unitatem certus ordo.« Cf. Leibnitius syst. theol. Lutetiae Parisiorum 1845 p. 128 et alia testim. in op. Beleuchtung der Vorurth. etc. t. 1. p. 1. 33. 38 s. 49 s., 59 ss.; t. 2. p. 2. pag. 114.

461. **Thesis LXVIII.** ***Ipsum splendidissimum factum conservati tamdiu atque adhuc florentis in sede romana primatus, probat divinam ejus institutionem.***

Demonstratio. Sane illud factum jure censetur supernaturale et divinum, cujus ratio sufficiens non est causa naturalis, sed repetenda est ex specialissimo Dei interventu. Atqui factum conservati tamdiu atque adhuc florentis unius pastoris primatus in sede romana ejusmodi est, ut Dei ipsius exposcat specialem interventum. Sane consideretur **1.** ejusdem chronologica tot jam seculorum duratio absque interruptione, quae eo magis miranda est, quod primates non nascantur, sed eligantur: ubi autem electio ibi longe facilius occasio praebetur turbis, factionibus, imo et ruinae. Consideretur **2.** chorographica amplitudo certo quodam sensu oecumenica, dum nullius alterius primatis jurisdictio ultra regni, in quo moratur, limites se porrigat. Consideretur **3.** character biographicus et historicus eorum, qui primatus praerogativa fuere insignes. Quot enim refulserunt omnis virtutis splendore, martyrio, scientia eximia, animarum zelo et studio propagandae religionis christianae, animi magnitudine? tanto fuerunt numero, quanto in nulla alia sede, ecclesia, regno. Ad annum enim 530. omnes (55), si excipias Liberium, inter sanctos numerantur. Consideretur **4.** character biographicus et historicus illorum, in quos sui primatus jura et munera exercuerunt ac porro exercent. Non enim praefuerunt rudibus tantum, sed et nationibus cultissimis, viris doctissimis, sanctissimis, propriorum jurium tenacissimis, quique erant antiquitatis et traditionis jurisque divini gnari quam qui maxime, potentissimis quoque hujus seculi. Expendatur **5.** objectum tam theoreticum quam practicum, ad quod hujus primatus jura referuntur; exigit enim obsequium non tantum corporis, sed et mentis et cordis circa objecta haud facilia. Recenseantur **6.** hostes interni externique in primatus perniciem conjurati eorumque odium infernale, conatus nefandi adversus illum: omnes enim, qui impugnarunt Ecclesiam (n. 120 s.), in primis adnisi sunt ejusdem subvertere fundamentum i. e. sedis romanae primatum [1]). Sed vicissim quoque amor filialis et strenuus catholicorum

---

[1]) Ad rem sunt Thomae Mori, inclyti martyris, verba in responso ad Lutherum c. 10: „Cui sedi ut obedienter obtemperem, cum illa movent omnia, quae docti sanctique in eam rem collegerunt, tum illud profecto non movet minime, quod toties sumus experti, non modo neminem inimicum fuisse christianae fidei, qui non illi sedi bellum indixerit, sed etiam neminem unquam exstitisse, qui se professus sit ejus sedis inimicum, quin idem paulo post se declaraverit insigniter Christi et religionis nostrae capitaliter hostem et proditorem esse.“ Et Bellarminus in praef. de summo pont. ostendit in hoc tract. agi

erga romanos episcopos, qualis maxime nostra aetate elucet. In memoriam **7.** revocentur triumphi de hostibus omnis generis ab eo relati atque incrementa omnigena, quae institutum mirifice fecundum vitaque plenum patefaciunt.

462. *Ratio primatus R. P. non sunt causae naturales.* — Eoque magis recurrendum est pro explicando primatu romani pontificis ad specialem Dei interventum, quod rationes omnes naturales, quas adversarii primatus excogitarunt[1]), tanto phaenomeno explicando non sint pares. Solent enim **1.** primatum illum hinc quidem tribuere ipsorum pontificum astutiae fraudibusque, inde vero ignorantiae et barbariei medii aevi etc. Verum haec explicatio pugnat **a.** cum noto charactere plerorumque pontificum, qui vitae sanctitate virtutumque splendore excelluerunt. Pugnat **b.** cum facto, quod primatus tum maxime splenduerit, cum floreret theologia christiana[2]). Aperiantur **c.** hae fraudes, quibus romani episcopi suum debent primatum, sed caveantur mendacia et calumniae. Unde vero **d.** factum est, quod solus romanus episcopus consilium ceperit asserendi sibi primatum in universam Ecclesiam, nullosque habuerit aemulos, si astutia et fraus adeo opportuna media erant illum assequendi? Quare **e.** huic uni pro votis omnia successerunt tam felici exitu, quod usurpatoribus constanti saltem fortuna contingere non solet? Quare **f.** episcopus constantinopolitanus, qui non in universam Ecclesiam, sed tantum in Oriente principatum meditatus est, licet imperatorum juvaretur potentia suffragioque plurimorum antistitum aulicorum, illum ad tempus tantum consecutus est redactum nunc ad primatus umbram[3])?

463. *Neque* **2.** *adscribatur primatus romani antistitis splendori urbis;* tunc enim maxime primatus effulsit, cum Urbis splendor obscurari coepit, imperii sede Constantinopolim translata, cumque saepius a barbaris capta, spoliata atque vastata fuit. Imo potius dicendum est ex primatu novum majoremque splendorem redundasse in Urbem. Hinc s. Columbanus

---

de summa rei christianae. „Id enim quaeritur, inquit, debeatne Ecclesia diutius consistere, an vero dissolvi et concidere. Quid enim aliud est quaerere, an oporteat ab aedificio fundamentum removere, a grege pastorem, ab exercitu imperatorem, solem ab astris, caput a corpore, quam an oporteat aedificium ruere, gregem dissipari, exercitum fundi, sidera obscurari, corpus jacere? Porro adversarii i. e. haeretici, cum in aliis fere dogmatibus non minus inter se quam a nobis dissentiant, in hoc tamen omnes conveniunt, ut totis viribus summaque animi contentione rom. pontificis sedem oppugnent. Nulli fuerunt unquam hostes Christi atque Ecclesiae, qui simul cum hac sede bellum non gesserint.“

[1]) Cf. quorundam opiniones et figmenta in Katholik 1887. 1, 40 ss.

[2]) Cf. opus insigne inscriptum Petra Romana (auctoris pseudonymi P. P. Rudis, recte Andries) p. 2. diagnos. 6. n. 4, ubi ostenditur, iis praesertim locis et temporibus floruisse theologiam catholicam, in quibus maxime quoque splenduit primatus, et vicissim praecipuos theologos sec. IV. V. XII. XIII. XVI. et XVII., quae eminent in historia scientiae theologiae, insignes quoque fuisse assertores primatus.

[3]) Cf. Döllinger Kirche und Kirchen p. 156 ss.

Bonifacio IV. testatur: „Nos enim, ut ante dixi, devincti sumus cathedrae Petri: licet enim Roma magna est et vulgata, per istam cathedram tantum apud nos est magna et clara[1]).“ Patres vero, concilia et ipsi pontifices non ad urbis majestatem provocant pro asserendo ipsius episcopi primatu, sed ad Christi verba: *Tu es Petrus* etc. Urbis splendor et majestas ratio esse potuit, cur s. Petrus seu verius Christus per suum vicarium hic potius voluerit quam alibi sedem primatus figere, sed nunquam ratio erat et fons ipsius primatus[2]).

464. *Neque* **3.** *adscribatur primatus dotibus personalibus romanorum praesulum.* In primis enim quaerimus ab adversariis, unde factum sit, ut in hac ipsa sede sederint tot episcopi (ex adversariorum sententia usurpatores) adeo praeclaris dotibus insignes? Neque antiquitas christiana hanc rationem reddidit primatus romani episcopi, sed supernaturalem ex voluntate Christi petitam, ut infra videbimus. Deinde plures ante suam electionem erant

---

[1]) Ep. 5. n. 10. Cf. quae ss. Leo et Prosper animadvertunt opusc. XIV; 34 et Innocentius I. ep. 24 n. 1. opusc. XVII, 21; Wieser, Die Unfehlbarkeit des Papstes und die Münchener Erwägungen p. 44.

[2]) Cf. Leo M. serm. 82 c. 3. et Maximus taurin. hom. 72 (opusc. XIV, 36 et 41 annot.). Huc referri debent praeclara s. Gelasii papae verba in epist. 26. ad episc. Dardaniae n. 10: »Risimus autem, quod praerogativam volunt Acacio comparari, quia episcopus fuerit regiae civitatis (Constantinopolis). Numquid apud Mediolanum, apud Ravennam, apud Sirmium, apud Treviros multis temporibus non constitit imperator? Numquidnam harum urbium sacerdotes ultra mensuram sibimet antiquitus deputatam quidpiam suis dignitatibus usurparunt? . . . . Nam quod dicitis regiae civitatis, alia potestas est regni secularis, alia ecclesiasticarum distributio dignitatum. Sicut enim quamvis parva civitas praerogativam praesentis regni non minuit, sic imperialis praesentia mensuram dispensationis religiosae non mutat. Sit clara vel urbs illa potestate praesentis imperii, religio sub eodem tunc firma, tunc libera, tunc provecta consistit, si potius hoc praesente propriam teneat sine ulla perturbatione mensuram. Postremo si sibi de imperatoris praesentia blandiuntur et inde putant CP. civitatis episcopi potiorem fieri posse personam, audiant Marcianum ejusdem principem civitatis, posteaquam pro augmento urbis ipsius sacerdotis intercessor accedens (inter ep. Leonis 100 opusc. XXV, ep. 24) contra regulas obtinere nihil potuit, sanctae memoriae papam Leonem summis laudibus prosecutum, quod canonum regulas violari nulla fuerit ratione perpessus (ep. 110). Audiant Anatolium (ep. 132 c. 4. opusc. XXVI. ep. 42) ejusdem sedis antistitem clerum potius constantinopolitanum quam se tentasse talia confitentem atque in apostolici praesulis totum dicentem positum potestate; ipsum b. papam Leonem sedis apostolicae praesulem, cujus synodus chalcedonensis auctoritate firmata est, quidquid ultra, quam ab eodem pro fide et communione catholica atque apostolica illic agendum constaret esse delegatum, per occasionem congregationis illius praeter nicaenos canones nova videretur actione tentatum, competenti refutatione vacuasse (ep. 106 opusc. XXVI. ep. 30) etc. Atque ideo non ad civitatis cujuslibet respiciant qualitatem, sed modum dispensationis ecclesiasticae paterna traditione firmatum convenienter observent.“ Cf. etiam s. Leonis ep. 104 opusc. XXV. ep. 28 c. 3.

orbi christiano ignoti: ergo dotes personales pariter ignotae ratio ipsorum auctoritatis dici nequeunt. Quid quod Deo permittente contigerit, ut aliqui maculis haud caruerint? Scil. sicut Deus noluit, ut apostoli eminerent dotibus naturalibus, scientia, eloquentia, divitiis etc., ne conversio mundi his potius adscriberetur quam ipsius virtuti: sed *quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia* etc., *ut non glorietur omnis caro in conspectu Dei* (1. Cor. 1, 27 s.); ita sapientissimo Dei consilio permissum est, ut subinde minus digni, imo et indigni sederent in cathedra Petri, ne episcoporum prudentiae, sapientiae aliisque naturalibus vel etiam supernaturalibus praerogativis tribueretur primatus. Quare tantum abest, quominus scandalo afficiamur propter quorundam pontificum maculas, ut potius in hoc admiremur laudemusque Dei sapientiam et providentiam atque fateamur: *Digitus Dei est hic* (Ex. 8, 9).

465. **Corollarium I.** *Primatus finis exigit jurisdictionis potestatem.* — Si autem Christus voluit, ut ad unitatis catholicae custodiam et tutelam unus Ecclesiae praesit pastor, non meram illi unitatis repraesentandae facultatem, sed ejus formandae et continendae vim plane coactivam, jurisdictionis scil. propriam, contulit. Quod videtur plane manifestum, cum sola unitatis repraesentatione atque figura schismata tolli nequeant, ac tanta hominum multitudo in tam consertam unitatem compingi non possit, nisi adsit praecipiendi, obligandi, puniendi potestas. Quo enim magis diffusum corpus sociale, eo potentior debet esse virtus attractionis centro attributa, ut illud in unitate contineat: quam tamen illationem, quae est adeo uber et copiosa, ut omnia romani pontificis jura inde eruere, illustrare et confirmare liceat[1]), fusius nunc non evolvimus. Inde vero consequitur, neminem censeri posse Ecclesiae membrum seu catholicum, qui non vinculo ejusdem fidei et communionis cum romano pontifice, unitatis centro, sociatur, nam ‚ubi Petrus, ibi Ecclesia' [2]), inquit Ambrosius.

---

[1]) Fuse hanc illationem evolvunt atque confirmant fratres Ballerini in egregio opere de vi ac ratione primatus rom. pontificum c. 8.

[2]) In Ps. 50. n. 30. Cf. supra n. 419 et opusc. VI, 37 ss.; X, 16 ss. Audiatur mira confessio, quam extorsit rei evidentia Luthero post suam defectionem, cum in l. Unterricht auf etliche Artikel, 1519, ita scribat: „dass die ? Kirche für allen anderen geehrt sei, ist kein Zweifel, denn daselbst St. Peter und Paul, 46 Päpste und viel hunderttausend Martyrer ihr Blut vergossen, die Hölle und Welt überwunden, dass man wohl begreifen mag, wie gar einen besonderen Augenblick Gott auf diese Kirche hat. Ob es nun leider zu Rom also steht, das wohl besser taugt, so ist doch diese und keine Ursach so gross noch werden mag, dass man sich von derselben Kirche reissen oder scheiden soll. Ja, je übler es dort zugeht, je mehr man zulaufen und anhangen soll, denn durch Abreissen und Verachten es nicht besser wird. Ja um gar keinerlei Sünd oder Uebel, die man gedenken oder nennen mag, soll man die Lieb trennen und die geistlich Einigkeit theilen.

466. **Corollarium II.** *Primatus finis exigit infallibilitatis praerogativam.* — Coronidis loco statuimus, cum romani pontificis praerogativa, quae universae Ecclesiae est unitatis centrum et origo, intime cohaerere ejus in fidei decretis, cum universam Ecclesiam authentice docet, infallibilitatem. Sane **1.** unitas Ecclesiae maxime exigit unitatem fidei, cum fides sit Ecclesiae fundamentum: nam Ecclesia est schola Christi, quae fide regitur; regnum est veritatis, quam interim credendo tenemus, donec digni reperiamur ad illam contuendam in coelo; quocirca haeresis seu dissensus ab Ecclesiae fide ab eadem quoque excludit. Proinde **2.** primatus auctoritas instituta ad conservandam Ecclesiae unitatem debet esse per se sufficiens ad unitatem maxime in fide efficiendam. Quare **3.** vim habere debet obligandi ad consensum in eandem fidem; ubi enim nulla obligatio, ibi permissus est dissensus; ubi dissensus vel saltem dissentiendi jus, nulla consonantia seu fidei unitas esse potest. Porro primatus auctoritas vim habere debet non tantum in singulos seorsim et distributive, sed in omnes collective sumptos, cum virtute sua non solum singulos, sed totam collectionem in unitate conservare debeat, sicut fundamentum non singulos lapides, sed et totam collectionem i. e. aedificium sustentat. Cum vero **4.** primatus per se vi suae institutionis sit principium unitatis, non dependenter ab Ecclesia, quam ad unitatem revocare debet, habebit vim obligandi ad consensum in eandem fidem independenter ab Ecclesiae assensu. „Ad hanc Ecclesiam (ab apostolis Romae fundatam), inquit s. Irenaeus, propter potiorem principalitatem (quae profecto huic ecclesiae inest ratione primatus) necesse est omnem convenire Ecclesiam h. e. eos qui undique sunt fideles[1].“ Atqui **5.** fidei unitati non satisfit mera exteriori observantia et obsequio oris, sed ea omnino exigit mentis assensum atque obsequium; professioni enim fidei ore prolatae profecto respondere debet fides cordis. Ergo romano pontifici vi primatus, ut idoneum sit principium unitatis in fide, tribuenda est potestas, qua possit obligare ad assensum et obsequium mentis. Cum vero **6.** fidei assensus esse debeat firmissimus excludens omne

---

Der Einigkeit sollen wir Acht nehmen, und bei Leib nicht widerstreben päpstlichen Geboten. Siehe, nun hoff' ich, es sei offenbar, dass ich der römischen Kirche nichts nehmen will, wie mich meine lieben Freund schelten. Dem heiligen römischen Stuhl soll man in allen Dingen folgen.«

[1]) L. 3. c. haer. c. 3., in quae verba cf. Palmieri l. c. th. XXIV p. 540 ss.; Schrader de unit. rom. l. 1. n. 10 ss. et prae ceteris Schneemann in diss., quae prostat t. 4. coll. lacensis conciliorum. Verbis Irenaei consona sunt illa Optati milevit. de schismate donat. l. 2. n. 2: „In qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur.« Cf. etiam verba s. Ambrosii n. 419.

dubium deliberatum, auctoritas exigens assensum fidei posita sit necesse est supra omne dubium. Quam primum enim dubitare licet de veritate doctrinae seu definitionis, non possumus prudenter illi assentire assensu, qui excludat omne dubium. Ergo ut possit aliqua auctoritas exigere assensum excludentem omne dubium, ipsa supra omne dubium elevata esse debet. Atqui **7.** sola auctoritas infallibilis est supra omne dubium posita; quoties enim aliqua auctoritas errare potest, toties, saltem si graves rationes sint in contrarium vel difficultates haud spernendae, vel viri magnae eruditionis auctoritatisque contradicant, de ejus sententia dubitare licet, ideoque assensum supra omne dubium positum exigere nequit. Quare tunc tantum par est ad exigendum assensum, qui non obstante quavis ratione vel difficultate in contrarium excludat omne dubium, si ipsa nulli sit errori obnoxia, proinde infallibilis. Inferimus igitur ex ipso fine instituti primatus ejusdem infallibilitatem[1]): quae illatio mirum in modum confirmatur, si primatus spectetur sub ratione fundamenti, sub qua illum Christus exhibet Matth. 16, 18. Verum de hoc argumento infra loquemur.

Caput II.

De Primatu Petri Apostoli.

467. *Primatus notio.* — Ut status quaestionis rite intelligatur, quaedam sunt praemittenda. Quadruplex primatus distingui potest: **1.** Primatus honoris seu ordinis, qui praeeminentia continetur quoad actus honorificos v. gr. ut quis primum occupet locum sive in sedendo sive in incedendo etc. **2.** Primatus auctoritatis, qui est praeeminentia in negotiorum directione, sed potestate tantum directiva, non praeceptiva, cujusmodi primatum habent in aliqua communitate viri seniores, prudentiores. **3.** Primatus excellentiae, illius proprius, qui in certo ordine ceteros aliqua dote praecellit, quo sensu Demosthenes v. gr. princeps dicitur oratorum. **4.** Primatus jurisdictionis, qui potestate regendi subditos non solum directiva, sed et praeceptiva continetur. Complectitur proinde hic primatus potestatem legiferam, judiciariam et coactivam. Jam vero protestantes libenter concedunt b. Petro primum et si vis alterum etiam primatum, quem vel ob aetatem provectiorem vel ob alacriorem fervorem ei Christum concessisse haud infitiantur. Ita ex. gr. Forbesius scribit[2]): „Necesse est primatum quendam in apostolos

---

[1]) Hunc nexum necessarium inter primatum institutum ad efficiendam Ecclesiae unitatem et infallibilitatem agnoverunt hostes alioquin acerrimi hujus dogmatis, ut ex. gr. Hartmann in op. Die Selbstzersetzung des Christenthums und die Religion der Zukunft p. 32 s., Berlin 1874, ex quo praeclaram confessionem exhibent fasc. lit. Katholik 1874. II, 429 ss.

[2]) Instit. historico-theol. l. 15. c. 1; Fried. Spanheim Miscellan. l. 3 diss. 1. § 41 ut patrum effata de Petro honorifica eludat, novem primatus spe-

agnoscamus esse Petro apostolo concessum, primatum, inquam, ordinis, qui in omni societate est necessarius, et cujusdam praesidentiae atque aetatis et reverentiae.“ Petri primatum ad quandam tantum honoris praerogativam redegerunt haud pauci etiam e catholicis a sec. XVI. et deinceps nimium aulis principum adulantes.

468. *Dogma catholicum de primatu.* — Contra primatus adversarios docet et declarat conc. vaticanum sess. 4. cap. 1, „juxta Evangelii testimonia primatum jurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe b. Petro apostolo promissum atque collatum fuisse;“ et ib. statuit: „Si quis igitur dixerit b. Petrum ap. non esse a Christo Domino constitutum apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput, vel eundem honoris tantum, non autem verae propriaeque jurisdictionis primatum ab eodem D. N. J. Christo directe et immediate accepisse, A. S.“ Quare collatis opportune Scripturarum testimoniis ex ordine ostendemus, Christum Petrum ceteris praetulisse apostolis, primatum ei promisisse promissumque contulisse, atque Petrum inde ab ipsis Ecclesiae originibus primatum, quantum id exposcerent temporum adjuncta, etiam exercuisse.

469. **Thesis LXIX.** ***Ex singulari Christi Domini in Petrum oeconomia et ex evangelistarum loquendi de Petro ratione merito infertur, Christum ceteris apostolis praetulisse Petrum.***

Demonstratio p. I. In thesi nondum vindicabimus Petro jurisdictionis primatum, sed probationi ex locis classicis viam sternemus; id enim solum modo intendimus, ostendere, Christum saepius ceteris apostolis anteposuisse Petrum, adeo ut inter eos emineret. Mirum proinde non videbitur, si eum etiam primatem instituit. Expendantur enim **1.** quae leguntur de nominis Cephae promissione [1]): *Et adducit* (Andreas) *eum* (Simonem) *ad Jesum. Intuitus autem eum Jesus dixit: Tu es Simon, filius Jona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Quod nomen ei revera imposuit [2]): *Et imposuit Simoni nomen Petrus;* vimque interpretatus est [3]): *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.*

---

cies Petro benigne concedit, quarum tamen nulla complectitur aliquam jurisdictionem. Cf. Roskovány de primatu rom. pont. § 44 ss. Figmentum, quod recentissime tuetur Friedrich Zur ältesten Geschichte des Primates in der Kirche, Bonae 1879 de primatu collato non Petro, sed Jacobo Justo, fratri Domini et primo episcopo hierosolymitano, considerationem non meret. Solide illud refellit Brüll in fasc. trimestr. tubing. a. 1880 pag. 454—69 ostendens, inania prorsus esse argumenta nulliusque ponderis testimonia, quibus innititur.

[1]) Joan. 1, 42. [2]) Marc. 3, 16. [3]) Matth. 16, 18.

Jam vero advertatur **a.** Christum res magni momenti antea promittere vel praedicere[1]; **b.** nomen Cephas i. e. petra designare praerogativam Christi propriam[2]; tantam **c.** esse Christi bonitatem et gratiam, ut nomina sua discipulis communicaverit, ut animadvertit s. Ambrosius l. 6. in Luc. n. 97; **d.** Dei esse proprium non nuda et vacua imponere nomina, sed simul quod nomine significatur elargiri, quod egregie illustratur iis, quae legimus de mutatione nominis Abram in Abraham, Sarai in Sara[3]. Quare **e.** cum Christus uni Petro hoc imposuerit nomen, praerogativam quoque eo expressam prae ceteris illi tribuisse inferendum est, ut manifesto colligitur ex Matth. 16, 18. „Quid est quod ait, inquit ad rem Hieronymus h. in l., *et ego dico tibi?* Non sermone casso et nullum habente opus, sed dico tibi, quia meum dixisse fecisse est; *quia tu es Petrus* etc. Sicut ipse lumen apostolis donavit, ut lumen mundi appellarentur, ceteraque ex Domino sortiti sunt vocabula: ita et Simoni, qui credebat in Petram Christum, Petri largitus est nomèn.“

470. Dixit **2.** Christus ad Petrum: *Vade ad mare et mitte hamum, et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle et aperto ore ejus invenies staterem; illum sumens, da eis pro me et te.* Prosequitur autem evangelista: *In illa hora accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Quis, putas, major est in regno coelorum*[4]? Ex quibus habemus **a.** Christum in solvendo tributo Petrum sibi conjunxisse; tantam **b.** visam esse reliquis apostolis hanc praerogativam, ut suspicati sint sibi praeficiendum esse Petrum; hinc **c.** ortam esse controversiam, quis eorum videretur esse major; Christum vero **d.** non solum non negasse aliquem ex ipsis eorundem fore praepositum, verum id quantum satis est significasse, atque tantum **e.** fastum ac pompam ab eodem voluisse ex-

---

[1]) Cf. Matth. 16, 21; Joan. 6, 52 ss.; 16, 4 etc.

[2]) Is. 28, 19; Ps. 117, 22; Matth. 21, 42; Act. 4, 11 etc.

[3]) Gen. 17, 5. 15. Ceterum de parallelismo, qui intercedit inter Petrum et Abrahamum cf. Passaglia l. 1. c. 3. De eo praeclare jam disseruit auctor haud contemnendus ep. 19 Hieronymo quondam adscriptae n. 17 (Migne 30, 204): „Augustum caput Petrus extulit, novi signifer testamenti et in creatione ejus primitivus; alius, quod sine dubitatione loquor, Abraham, nescio an major: certe quod sentio non secundus. Illi generatio larga promittitur, huic generatio pascenda committitur. Ab illo justificanda procedunt: in hoc justificata fundantur; ita quod ille sperat, hic accipit. Illi dicitur: *Faciam te in gentem magnam* (Gen. 12, 2); huic dicitur: *Faciam te in piscatorem hominum* (Matth 4, 19). Illi dicitur: *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (Gen. 12, 3); huic dicitur: Judicabis duodecim tribus Israel (Matth. 19, 28). Illi dicitur: Ut stellae erit semen tuum (Gen. 22, 17); huic dicitur: *Tibi dabo claves regni coelorum* (Matth. 16, 19). Ac per hoc ille fecunditate seminis benedicti impletur: hic ante semen ipsum evangelizaturus adsciscitur. Abrahae pro filiis claritas monstratur astrorum, sed Petro traduntur regna coelorum; videlicet ut in ea sine Petro nec filii Abrahae possint intrare.“ Cf. etiam Gen. 32, 28; Num. 13, 17; Matth. 1, 21; 1. Paral. 22, 9.

[4]) Ib. 17, 26; 18, 1.

clusam, ait enim[1]): *Qui major* (ὁ μείζων) *est in vobis, fiat sicut minor; et qui praecessor* (ὁ ἡγούμενος) *est, sicut ministrator.* Supponit ergo satis clare Christus aliquem fore eorum praepositum. Cum vero Petrum quavis occasione ceteris praetulerit, ut mox iterum videbimus, suadetur, hunc praepositum non alium fore a Petro[2]).

471. **3.** Ex aliis Scripturae effatis[3]) consequitur **a.** Petrum semper adesse, quando Christus eximium aliquid operatur, ut in transfiguratione, in resuscitatione filiae Jairi, in horto olivarum ante passionem etc.; ipsum **b.** inter praesentes primum nominari, prae ceteris a Christo compellari, pro reliquis loqui, specialem de eo geri curam, ejus reprehensiones in primis referri, verbo praecipuam inter apostolos gerere personam. Nequit ergo negari Christum reliquis apostolis praetulisse Petrum et quidem ita, ut inter eos omnino emineret. Quibus **c.** adde, Christum ex ejus navi docuisse turbas; ipsi promisisse eum futurum fore piscatorem hominum miramque parasse piscium capturam[4]); ipsum jussisse venire ad se super aquas[5]), misisse cum Joanne ad parandum pascha[6]); ejus primum lavisse pedes[7]); voluisse ut ei in primis nunciaretur sua a mortuis resurrectio[8]) eique etiam primo ex apostolis post suam resurrectionem apparuisse[9]); speciatim praedixisse lapsum[10]) atque martyrium[11]), qua praedictione finitur s. Joannis Evangelium.

472. **Demonstratio p. II.** Ad cognoscendam propriam evangelistarum de uno Petro loquendi formam advertatur **1.** eos Petrum no-

---

[1]) Luc. 22, 26. col. Matth. 20, 25. ss.

[2]) Cf. Origenes tom. 13. in Matth. n. 14; Hieronymus et Beda in h. l.; Chrysostomus in Matth. hom. 58 al. 59 n. 1. 2, qui advertit: »Vidisti honoris excellentiam? Vide et Petri philosophiam. Nam Marcus, qui hujus discipulus erat, hoc gestum non scripsit, quia hinc illi honor ingens accedebat: sed negationem ejus scripsit, quae vero conspicuum illum reddebant, tacuit, et fortasse vetante magistro, ne magna de illo diceret.« Auctor qq. in V. et N. T. q. 75: „Dicunt ergo exactores didrachmae ad Petrum apostolum: *Magister vester non solvit didrachmam?* etc. Quo dicto, magistrum ut pro omnibus discipulis solveret, convenerunt. Salvator autem cum pro se et Petro dari jubet, pro omnibus exsolvisse videtur, quia sicut in Salvatore erant omnes causa magisterii, ita et post Salvatorem in Petro omnes continentur. Ipsum enim constituit esse caput eorum, ut pastor esset gregis dominici. Nam inter cetera dicit discipulis: *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem* (Matth. 26, 41). Et Petro dicit: *Ecce satanas expostulavit, ut vos ventilet sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (Luc. 22, 31, 32). Quid ambigitur? Pro Petro rogabat, et pro Jacobo et Joanne non rogabat, ut ceteros taceam? Manifestum est in Petro omnes contineri; rogans enim pro Petro, pro omnibus rogasse dignoscitur. Semper enim in praeposito populus aut corripitur, aut laudatur.«

[3]) Matth. 16, 22 s.; 17, 1 ss.; 26, 33 ss.; 52; Marc. 5, 37.

[4]) Luc. 5, 3 ss. [5]) Matth. 14, 29. [6]) Luc. 22, 8.

[7]) Joan. 13, 6. [8]) Marc. 16, 7. [9]) Luc. 24, 34; 1. Cor. 15, 5.

[10]) Matth. 26, 34. [11]) Jo. 21, 18.

minatim compellari, quum alii nonnisi generatim, appendicis instar memorantur, ex. gr. *Simon et qui cum illo erant*[1]; *Dicite discipulis ejus* (Christi) *et Petro*[2]; *Petrus cum undecim*[3]; *Dixerunt ad Petrum et ad reliquos apostolos*[4]; scil. eadem saepe est loquendi forma, qua vel evangelistae utuntur, cum de Christo ejusque apostolis loquuntur: illum nominatim, hos globatim significant hunc in modum: Multi publicani et peccatores venientes discumbebant *cum Jesu et discipulis ejus*[5]; vel qua Scriptura et generatim humana consuetudo utitur, cum sermo est de principe ejusque comitibus. Hujus vero modi loquendi ratio sufficiens reddi nequit, nisi admittatur Petrum capitis instar auctoritate potiori inter apostolos praecelluisse.

473. Consulantur **2.** apostolorum catalogi[6]; atqui constanter Petrus primo recensetur loco, cum tamen reliquorum apostolorum ordo non sit constans; imo diserte apud Matthaeum primus dicitur. Praeterea alias quoque nominatur primo loco[7]; neque ullius apostolorum post Christum tam frequenter occurrit mentio in Evangeliis, imo in universo N. T., ac Petri[8]. Haec vero loquendi ratio non satis explicatur ex vocationis vel aetatis primatu, ut opinantur adversarii. Hic enim gratis affirmatur, neuter vero satis probatur. »Prior secutus est, inquit Ambrosiaster, Andreas Salvatorem, et tamen primatum non accepit Andreas, sed Petrus[9].«

474. **Thesis LXX.** ***Verbis Christi Domini Matth. 16, 18 promittitur Petro jurisdictionis primatus in universam Ecclesiam.***

Demonstratio p. I. Promisso Simoni impositoque novo nomine Petri (n. 469), Christus jam rationem reddit impositi novi nominis, quod scil. designatus sit in fundamentum et supremum praepositum Ecclesiae: quem in finem eum deinde certum reddit de sua efficaci assistentia; demum eum sui vicarium et universi ovilis dominici pa-

---

[1]) Marc. 1, 36 coll. Luc. 8, 45; 9, 32.

[2]) Marc. 16, 7. [3]) Act. 2, 14 col. 1. Cor. 9, 5; 15, 5.

[4]) Act. 2, 37; 5, 29. [5]) Matth. 9, 10 etc.

[6]) Matth. 10, 2 ss.; Marc. 3, 16; Luc. 6, 14; Act. 1, 13.

[7]) Cf. Matth. 17, 1; Marc. 5, 37; 13, 3; 14, 33; Luc. 8, 51; 22, 8; Joan. 21, 2. Excipiendum videtur Gal. 2, 9, ubi nomen Cephae medium ponitur inter Jacobum et Joannem. Sed **1.** lectio non est adeo certa; **2.** unus locus non infringit regulam; **3.** non deest sufficiens ratio ad hanc anomaliam explicandam. Potest enim dici, Paulum hic recensere apostolos vel pro eorum testandi auctoritate, qua pollebant apud christianos judaizantes, penes quos Jacobus utpote frater Domini (1, 19) primusque Hierosolymorum episcopus magna erat in veneratione; vel ordine chronologico, quo eos viderat. Cf. Passaglia l. 1. c. 11 ss.; Bellarminum l. 1. c. 17 ss,

[8]) Petri nomen occurrit circiter centies octogies; Pauli centies quinquagies octies; Joannis tricies octies.

[9]) In 2. Cor. 12, 11; cf. Becanus de republ. chr. l. 2. c. 2.

storem revera instituit [1]). Cui triplici testimonio dignitas loci classici est asserenda. Primum ita habet. Interrogaverat Christus discipulos suos: *Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, Filius Dei vivi.* Qua edita confessione meruit a Christo audire: *Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam* [2]). Jam vero primo probandum est, haec Christi verba ad unum referri Petrum, quod quidem plures etiam e protestantibus veritatis evidentia coacti concessere [3]). Sane sicut **1.** omnibus respondentibus omnes alloquitur Christus, ita uno respondente Petro hunc unum alloquitur: quare responsionis verba ad unum Petrum pertinent. Idem **2.** censeri debet subjectum v. 18, quod v. 17 et 19: *Et tibi dabo claves regni coelorum;* intime enim cohaerent singula incisa, unamque efficiunt responsionem ad eundem directam, alioquin sermo esse salebrosus minimeque cohaerens, si saepius fieret subjecti mutatio, quin id significetur. Evidens autem est neminem praeter Petrum v. 17 et 19 esse subjectum. Ad haec **3.** verba Christi tum interpretationem continent novi nominis Petri, tum remunerationem pro insigni fidei confessione: quod praesertim innuitur illo κἀγὼ, et ego scil. vicissim dico tibi etc. Atqui unus Simon dictus fuit Petrus, unusque Petrus confessus est Christum Dei Filium. Igitur sicut Deus Abrahamo, postquam dixit: *Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham,* mutati nominis addit rationem: *Quia patrem multarum gentium constitui te* [4]): ita et hic ratio appellationis Petri redditur inciso sequenti: *Et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Quare haec verba ad Simonem Petrum referri debent. Eoque magis **4.** quod Christus non dixerit: Tu *vocaris* Petrus, sed tu *es* Petrus; unde ipsi non asserit solum nomen, sed praerogativam in ordine objectivo hoc nomine expressam, quam mox inciso sequenti explicat. In sententia adversariorum verba Christi ironiam quandam prae se ferrent. Is enim tandem aliquando esset sensus: *Vocaris* quidem petra, sed *non es* petra; te uti non possum. Ceterum **5.** omne vel minimum dubium excluditur, si ratio habeatur ejus linguae, qua usus est Christus. Locutus nimirum est Christus syriace, ideo dixisse putandus est: Tu es Cepha et super hunc Cepha, seu tu es saxum et super hoc

---

[1]) Luc. 22, 31 s.; Joan. 21, 15 ss., de quorum nexu cf. Wieser Die Unfehlbarkeit des Papstes und die Münchener Erwägungen p. 7 s.; Heinrich § 26.

[2]) Matth. 16, 15 ss. [3]) Cf. Roskovány § 3; Passaglia l. 2. c. 6.

[4]) Gen. 17, 5; cf. etiam Matth. 1, 21.

saxum aedificabo Ecclesiam meam[1]). Quod si in utroque inciso idem est nomen, praesertim si in altero inciso repetitur cum pronomine demonstrativo *hoc,* illud ad idem referri debet subjectum. Verba ergo *et super hanc petram* referri debent ad Petrum.

475. Quare **6.** exacte omnino hujus loci sensum exposuit s. Leo: »Ideo beatus es, quia te Pater meus docuit, nec terrena opinio te fefellit, sed inspiratio coelestis instruxit, et non caro et sanguis; sed ille me tibi, cujus sum unigenitus Filius, indicavit. *Et ego,* inquit, *dico tibi* h. e. sicut Pater meus tibi manifestavit divinitatem meam, ita et ego tibi notam facio excellentiam tuam, *quia tu es Petrus* i. e. cum ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum; ego funtamentum, praeter quod nemo potest aliud ponere: tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quae mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. *Et super hanc petram* etc. Super hanc, inquit, fortitudinem aeternum exstruam templum et Ecclesiae meae coelo inferenda sublimitas in hujus fidei firmitate consurget[2]).« Ideo etiam Petrus ab Oriente et Occidente salutatur Ecclesiae fundamentum, basis, crepido. Ita Hilarius pictav. in h. l.: »Et dignum plane confessio Petri praemium consecuta est, quia Dei Filium in homine vidisset ... O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiae fundamentum dignaque aedificatione illius, petra, quae infernas leges et tartari portas et omnia mortis claustra dissolveret. O beatus coeli janitor, cujus arbitrio claves aeterni aditus traduntur, cujus terrestre judicium praejudicata auctoritas sit in coelo: ut quae in terris aut ligata sint et soluta, statuta ejusdem conditionem obtineant in coelo.« Cf. thesim seq. Verum quidem est, Christum Petro, cum nimis humano affectu eum a passione dehortari niteretur, dixisse v. 23: *Vade post me, satana; scandalum es mihi, quia non sapis ea, quae Dei sunt, sed ea quae hominum.* Si jam quis quaerat, »quae sit tam repentina conversio, ut post tanta praemia, satanas appelletur?« sufficiat responsio s. Hieronymi h. in l.: »Sed si consideret, qui hoc quaerit, Petro illam benedictionem et beatitudinem, ac potestatem, et aedificationem super eum Ecclesiae *in futuro promissam,* non in praesenti datam intelliget. *Aedificabo,* inquit, ... omnia de futuro. Quae si statim dedisset ei, nunquam (notetur haec illatio) in eo pravae opinionis error invenisset locum.«

---

[1]) Syri enim nullam habent agnominationem, unde Christus in utroque inciso ponere debuit Cephas. Graece porro promiscue dicitur πέτρος et πέτρα: hinc interpres Matthaei masculinum genus πέτρος personae Petri, foemininum vero rei, quae significabatur, accommodavit. Latinus interpres secutus est graecum. Reliquae vero versiones habent utrobique idem nomen; ita versio armena, aethiopica, coptica, persica, chaldaica, syriaca, arabica, slavica, evangelium hebraeum, quod pro originali s. Matthaei venditavit Sebastianus Münster.

[2]) Serm. 3. in annivers. assumpt. suae n. 2. Cf. Valentia in 2. 2. disp. 1. q. 1. puncto 7. q. 5. § 28, qui ad rem advertit: »Si Christus dixisset: Tu *non es* petra, super te *non aedificabo* Ecclesiam meam, omnes clamarent *negari* diserte Petri primatum. Cum ergo loco propositionum negantium legantur propositiones affirmantes, concludendum est, affirmari Petri primatum.«

476. **Demonstratio p. II.** Jam demonstrandum est, hisce verbis promitti Petro primatum, et quidem jurisdictionis, in universam Ecclesiam[1]). Sane hic sermo est de Ecclesia universa, ut patet ex verbis Christi *Ecclesiam meam,* quae amplissime patent: eaque refertur ad Petrum sicut aedificium ad fundamentum. Atqui fundamentum pars **1.** maxime necessaria est aedificio; pars est **2.** ex qua illud suam mutuat firmitatem; ideo enim non corruit sapientis architecti domus irruentibus in eam pluviis, fluminibus ventisque, quia *fundata erat super petram*[2]); pars est **3.** extra quam nequit esse aedificium, et ex qua **4.** illud suam habet unitatem. Ergo et Petrus in Ecclesia pars maxime est necessaria, ex qua Ecclesia suam mutuat firmitatem adversus acerrimos ejusdem hostes, et unitatem, adeo ut sejuncta a Petro esse nequeat. Horum vero nihil est, quod non perspexerint, quod non significaverint patres. „Quis nesciat, scribit ad Eulogium Gregorius M., s. Ecclesiam in apostolorum principis soliditate firmatam[3])?“ „Ubi ergo Petrus, infert Ambrosius, ibi Ecclesia; ubi Ecclesia, ibi nulla mors, sed vita aeterna. Et ideo addidit (Christus) *et portae inferi* etc. Beatus Petrus, cui non inferorum porta praevaluit, non coeli porta se clausit, sed e contrario destruxit inferni vestibula, patefecit coelestia. In terris itaque positus coelum aperuit, inferos clausit[4]);“ et Bruno astensis[5]): „Ubicunque est Ecclesia, ibi est domus Petri.“ Quapropter Petri cathedra a Cypriano passim radix et matrix unitatis ecclesiasticae exhibetur. „Petro primum Dominus, scribit ep. ad Jubajanum n. 7, super quem aedificavit Ecclesiam, et unde unitatis originem instituit et ostendit, potestatem istam dedit, ut id solveretur in coelis, quod ille solvisset in terra.“ Atqui haec quadruplex praerogativa Petri

---

[1]) Demonstrationis vis non minuitur eo, quod locutio Christi sit metaphorica. Nam locutio metaphorica non minus ac propria par est aperiendae declarandaeque dicentis sententiae certumque fundit sensum, dummodo et translationis fundamentum sit exploratum, et imago adhibita sit in se et pro usu loquendi definita atque circumscripta. Atqui horum nihil deest verbis Christi. Quare etsi verba metaphoram contineant, non propterea minus firmum est argumentum.

[2]) Matth. 7, 25 coll. Ps. 26, 6; 39, 3; 60, 3 etc.

[3]) L. 6. ep. 37; et Chrysostomus hom. 54 al. 54 in Matth. n. 2: „Quae uni Deo sunt propria, nempe peccata solvere, Ecclesiam in tanto fluctuum concursu immotam reddere hominemque piscatorem toto impugnante orbe petra firmiorem reddere, haec se illi daturum pollicetur: ut Pater Jeremiam alloquens dicebat, se posuisse illum sicut columnam aeream et sicut murum, sed illum uni genti, hunc autem in universo terrarum orbe.“ Hom. 7. n. 5. (Mig. 63, 499) Petrum vocat τὴν κρηπῖδα τῆς πίστεως.

[4]) In Ps. 40. n. 30. [5]) In Matth. p. 2. n. 26.

prae Ecclesia includit verissimum potestatis primatum: id enim quod in aliqua societate, qualis est Ecclesia, maxime est necessarium et a quo ea unitatem suam et stabilitatem adversus fortissimos hostes mutuat, cuique omnes adhaerere debent, est ipsa auctoritas, neque quaelibet, sed suprema; et etiam ad Ecclesiam in unitate conservandam, continendam et contra portas inferi firmandam non sufficit umbratilis aetatis, vocationis, honoris etc. primatus, quem somniant adversarii. Ergo b. Petro jurisdictionis primatus promissus dici debet in universam Ecclesiam.

477. **Thesis LXXI.** ***Quamvis verissimum sit, patres Matth. 16, 18. de Christo etiam vel de fide in ipsum vel de hujus fidei confessione interpretari: tenenendum tamen est 1. commentarium, quem vindicavimus thesi praecedenti, solemnem esse magis et authenticum; 2. reliquos tres commentarios non solum cum illo non pugnare, sed amice cum eodem conspirare, adeo ut 3. simul juncti plenum verborum Christi exhibeant sensum.***

Demonstratio p. I. Cum illustria nimis sint verba Christi ad comprobandum jurisdictionis primatum Petro promissum, corraserunt ad eorum splendorem obscurandum theologi romano pontifici plus minusve infensi, praeeunte in primis Launojo[1]), quotquot reperiri poterant patrum testimonia, in quibus verba: *Et super hanc petram* etc. explicantur vel de Christo, vel de fide in Christi divinitatem, vel quod in idem fere recidit, de professione solemni a Petro edita, vel etiam de omnibus apostolis, inferentes propter hanc interpretationum varietatem certi nihil ex Christi verbis, vel saltem non tam splendidas primatus praerogativas erui posse, siquidem nec patres de illorum sensu conspirent. Verum inanis fuit eorum labor, plurimos licet allegent, qui haec verba non ad Petrum retulisse videantur. Certum enim est **1.** commentarium, qui haec verba refert ad Petrum, etiam si solos audiamus patres scriptoresque Ecclesiae, esse omnino authenticum et praeferendum, et **2.** alios commentarios eo non excludi, sed amice inter se conspirare seque mutuo perficere et complere.

478. Commentarius a nobis defensus est magis authenticus, nam **1.** reliquos excellit antiquitate, solus enim occurrit apud patres[2]) seculi III; alii commentarii sec. IV. non sunt antiquiores.

---

[1]) L. 5. epist. 7. ad Voëllum. In lib. ‚Quaestio' tempore conc. vaticani vulgato numerantur pro interpretatione, quae verba Christi: *Et super hanc petram* etc. intelligit de omnibus apostolis octo patres; quadraginta quatuor, qui ea explicant de fide, quam confessus est Petrus; sexdecim, qui ea de Christo accipiunt; aliqui, qui nomine petrae intelligunt ipsos fideles, et nonnisi septemdecim, qui nostrum commentarium amplectuntur. Cf. Haeringer Launoy's ep. 7. und die verschiedenen Erklärungen von petra nach Matth. 16, 18 und nach kirchlichen Zeugnissen.

[2]) Cf. Tertullianum de praesc. c. 22; de monogamia n. 8; Origenem t. 5. in Joan.: »Petrus, cui tamquam fundamento superstructa est Ecclesia Christi

Excellit 2. universalitate et perennitate, nam usque ad sec. III. communis fuit, et quamvis deinceps alii occurrant commentarii, noster nunquam fuit exclusus, semper a patribus summae auctoritatis adhibitus; dein iterum ita invaluit et praevaluit, ut recentiori aetate vix sit exegeta catholicus, qui aliam defendat interpretationem tamquam magis literalem et ad hermeneuticae regulas magis expressam. Excellit 3. usu, receptus siquidem fuit commentarius, qui verba Christi de Petro intelligit, non solum in scripta patrum dogmatica, sed et in formulas fidei, ut in formulam ab Hormisda orientis episcopis, qui schismatis acaciani participes fuerant, praescriptam (n. 563); in institutiones catecheticas [1]), ut ab Augustino in psalmum contra partem Donati (n. 446); in hymnos ecclesiasticos, ita enim scribit s. Augustinus: „Dixi quodam loco de apostolo Petro, quod in illo tamquam in petra fundata est Ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus bb. Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo ait:

Hoc ipso petra Ecclesiae
Canente culpam diluit[2]).“

Receptus fuit in documenta maxime solemnia et authentica, ut a legatis sedis apostolicae in sententiam adversus Dioscorum in concilio chalcedonensi prolatam, ubi recensitis ejus sceleribus ita pronun-

---

etc.,“ hom. 5. in Ex.; in Matth. 17; l. 5. in ep. ad Rom.; tr. 12 quidem in Matth. 16. n. 10. 11. haec verba applicat cuilibet Christi discipulo, sed evidenter nonnisi per quandam accommodationem et derivationem. Occurrit praeterea in hom. Pseudo-Clementis 17. c. 18; apud Firmilianum ep. ad Cyprianum n. 17; apud Cyprianum et quidem saepissime. Cf. de unit. Eccl. n. 4; ep. 55. n. 7; 69. n. 8; 70. n. 3; 73. n. 7, 11; de bono patientiae n. 9. (opusc. IV, 84); de exhort. martyr. n. 11; in concilio carthaginiensi V. a. 255; apud Hippolytum in serm. (dubio) in Theophania, ubi haec legimus: „Per hunc Spiritum Petrus beatam illam vocem effatus est: *Tu es Christus* etc. Per hunc Spiritum firmata petra est.“

[1]) Cf. Arator de actibus apost. l. 1. v. 1013 ss. col. 1033. 1042. 1055 s.; Juvencus hist. evang. 3, 278 ss.

[2]) Retr. l. 1. c. 21. Habentur hi versus in hymno, qui in dominicis ad laudes post Epiph. recitatur. Quod si Augustinus cum aliis eam praefert interpretationem, quae haec verba de Christo intelligit: haud immerito dici potest, eodem eos sensu loqui, quo passim inculcant, non Petrum, non Joannem, non hominem esse, qui baptizet, sed Christum. Qua loquendi ratione profecto non excludunt hominem Christi vicarium, sed sacramentorum independentiam a ministrorum probitate significant. Quare et hac interpretandi ratione non excludunt Petrum petram vicariam, sed Ecclesiae independentiam a qualitate morali cujusvis ministri quamvis summi inculcant. Ceterum nostrum commentarium amplectitur serm. 52. n. 1. in bibl. nova PP. ed. Mai t. 1. Cf. Cercià de Ecclesia s. 1. lect. 8.

ciant: „Unde ss. et bb. archiepiscopus magnae et senioris Romae Leo per praesentem sanctam synodum una cum ter beatissimo et omni laude digno b. Petro apostolo, qui est petra et crepido catholicae Ecclesiae et rectae fidei fundamentum, nudavit eum tam episcopatus dignitate, quam etiam et ab omni sacerdotali alienavit ministerio [1]).“

479. Consecratus fuit **4.** noster commentarius usu liturgico; receptus siquidem fuit in libros liturgicos[2]) Orientis et Occidentis etiam earum sectarum, quae se jam sec. V. ab Ecclesia separarunt[3]). In ordine poenitentiae ecclesiae copticae legimus orationem[4]): „Domine Deus omnipotens , . . qui dixisti patri nostro Petro ex ore unigeniti Filii tui Domini et Dei N. J. Christi: *Tu es Petra* et *super hanc petram* aedificabo Ecclesiam meam etc.“ Atqui in tali contextu manifesto nomine petrae in secundo inciso illa eadem intelligitur, cujus mentio occurrit in praecedenti. Ergo ex ecclesiae copticae fide Petrus est illa petra, supra quam Christus suam se dicit aedificaturum esse Ecclesiam.

480. **Demonstratio p. II. et III.** Quare traditionis inspecto suffragio praeferendus est noster commentarius, eoque magis quod reliquae interpretationes eum non excludant, sed amice potius cum eo conspirent, adeo ut iidem patres nunc hoc utantur, nunc altero, imo quandoque duos conjungant simul eodem in contextu. Et sane eatenus tantum Petrus petra esse potest Ecclesiae, quatenus hanc praerogativam ei largitur Christus princeps petra. Eo ipso ergo quod Christus Petrum constituit Ecclesiae petram, se ipsum significavit esse Ecclesiae petram principem. Merito igitur Leo IX. ad Michaelem Caerularium scribens ait c. 7: „Sancta Ecclesia super petram i. e. Christum et super Petrum aedificata est;“ et auctor hom. de poenitentia s. Basilio adscriptae n. 4: „Quamquam autem petra est (Petrus), non ut Chri-

---

[1]) Hard 2, 346. Cf. Orientales in suis precibus ad Justinum im. in hujus ep. 129 ad Hormisdam n. 5. ed. Thiel p. 944.

[2]) Cf. Sacramentarium Gregorii M. praef. in festo cath. s. Petri; Breviarum gothicum Mig. 86, 113 (cf. opusc. XXX, 224).

[3]) Eximia plane testimonia e nestorianorum et jacobitarum libris cf. in Tüb. Qtlschr. 1850 p. 355—74; aliaque abunde suppeditat Joseph David in op. Antiquae Ecclesiae syro-chaldaicae traditio circa Petri ap. ejusque successorum rom. pontificum divinum primatum, Romae 1870, e quo florilegium exhibet cl. Bickell Katholik 1871. I, 18 ss. Ecclesiae armenae suffragium exhibet Azarian in l. traditio de rom. pontificis primatu jurisdictionis et inerrabili magisterio, Romae 1870; Roskovány IV, 3 ss.; ecclesiae graecae Nilles Kalendarium manuale pag. 72. 193. et Roskovány VI, 194; russiacae Rudis, Petra romana p. 128 s.; 135 s. Cf. Zeitschr. für kath. Theol. I, 622—65 Innsbruck 1877; VI, 578.

[4]) Cf. Denzinger ritus orient. 1, 437.

stus petra, sed ut Petrus petra; Christus enim essentialiter petra inconcussa, Petrus vero propter petram. Largitur enim Christus suas dignitates et non evacuatur, sed quae tribuit, retinuit. Lux est: *vos estis lux mundi;* sacerdos est, sacerdotes facit; petra est, petram facit." S. Hieronymus: „Sicut ipse lumen apostolis donavit, ut lumen mundi appellarentur . . . ita et Simoni, qui credebat in petram Christum, Petri largitus est nomen; ac secundum metaphoram petrae recte dicitur: Aedificabo Ecclesiam meam *super te* [1]." Cum autem Petrus non sit Ecclesiae fundamentum secundum corpus seu secundum carnem et ossa, sed ratione fidei, nimirum tum propter insignem fidei professionem (causa meritoria), tum quatenus fide instructus firma atque indefectibili fidem quoque in Ecclesia universali docere, conservare tuerique pro munere debet (causa formalis), super fidem, non abstracte spectatam, sed quatenus Petrum informat, in eo concreta redditur et ceteris est norma credendi, Ecclesia dici poterit aedificata, eo scil. loquendi genere, quo nomen qualitatis sive bonae sive malae usurpatur pro persona, in qua singulari ratione reperitur, et abstractum pro concreto, et quo dici solet, in alicujus viri prudentia fundari societatis salutem (cf. 1. Joan. 5, 4). Quare sicut qui dicunt [2]), super aquas Petri corpus non ambulasse, sed fidem: non negant Petrum vere aquis inambulasse, sed tantum significant, virtuti fidei miraculum tribuendum esse; ita quoque patres dum Ecclesiam super Petri fidem vel confessionem fundatam praedicant, super Petrum fundatam non negant. Ad rem Basilius [3]): „Illico per hanc vocem Petrum intelligimus Jonae filium . . . qui quoniam fide praestabat, Ecclesiae aedificationem in se recepit." Falsum ergo est, patres inter se dissentire, nihil-

---

[1]) In Matth. l. 3. c. 16; cf. supra verba s. Leonis M. n. 475. S. Maximus taur. hom. 1. in natali ss. Petri et Pauli: „Hic est Petrus, cui Christus Dominus communionem sui nominis libenter indulsit. Ut enim, sicut ap. Paulus edocuit, petra erat Christus (1. Cor. 10, 4): ita per Christum Petrus factus est petra, dicente ei Domino: *Tu es Petrus*" etc. Rupertus tuitiensis l. 2. in Joan. 1, 42 (Mig. 169, 268) citatis verbis Matth. 16, 18 ita prosequitur: „Claret ergo, quia Christus super seipsum, videlicet firmam petram, suam aedificaturus Ecclesiam, ubi vidit, imo intuitus est, ut ait evangelista (Joan. 1, 42), id est diligenter respexit illum, quem primum post se volebat ejusdem esse fundamentum Ecclesiae. Hac de causa Petrum a seipso petra prima denominavit, utpote in quo post seipsum tota constituta erat fabrica spiritualis aedificii." Quod si quaeritur, quomodo alii commentarii hisce verbis a Christo significentur, respondemus, eos mediate significari et realiter et verbaliter, non quidem verbaliter explicite, sed implicite.

[2]) Hieronymus c. Jovin. n. 35; Ambrosius de interpellat. Job. l. 1. c. 5. n. 15. et Pseudo-Ambrosius de Trinit. c. 29 (Mig. 17, 541).

[3]) L. 2. c. Eunomium n. 4. Cf. s. Thomas in Matth. 16, 18.

que certi ex illis posse erui. Neque enim dissentire dici possunt, qui non semper plenum et adaequatum sensum alicujus textus exhibent, sed pro rerum adjunctis et scopo sensu partiali vel derivato utuntur.

481. **Scholion.** *Protestantium quorundam commentarius.* — Falsa est opinio eorum protestantium, qui veritatis evidentia coacti fatentur quidem verba Matth. 16, 18 ad Simonem esse referenda[1]), sed hunc illis supponunt sensum: Tu es primus et princeps, cujus legatione ac ministerio ego in mea ex judaeis simul ac gentibus aedificanda Ecclesia utar; proindeque non alium Simoni tribuendum censent primatum nisi annunciandi promulgandique Evangelii. Sane ejus falsitas ostenditur **1.** significatione petrae ecclesiastico aedificio suppositae, quae longe distat a significatione concionatoris etsi clamosi ac principis. Ad haec **2.** petrae seu fundamenti munus quandam adsignificat perpetuitatem; haec vero non convenit Petro propter temporale praedicationis munus, quo primus atque princeps Ecclesiam ex gentibus et judaeis collegit. Insuper **3.** ex hujus petrae firmitate repetitur Ecclesiae indefectibilitas: quae sane non pendet ex illo Petri facto licet honorifico. Quam ob rem **4.** patres praerogativam Petro hic promissam longe potiorem censuerunt praedicationis primatu, qui potius Paulo esset vindicandus[2]). Non tamen negamus decuisse, ut Petrus utpote Ecclesiae primas judaeos et gentiles primus reciperet in Ecclesiam. Quare Maximus taurinensis: „Petra dicitur (Petrus), eo quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit et (proinde ratio illa non est exclusiva) tamquam saxum immobile totius operis christiani compagem molemque contineat[3]).“

482. **Thesis LXII.** ***Verbis Christi Matth. 16, 19: Et tibi dabo claves regni coelorum, quae ad unum Simonem Petrum referri debent, designatur ipse futurus sub Christo rege supremus regni dominici praepositus.***

---

[1]) Non desunt ex protestantibus, qui concedunt hisce verbis collatum fuisse primatum. Ita ex. gr. scribit Schelling, Philos. der Offenb. II, 301: „Diese Worte Christi sind ewig entscheidend für den Primat des h. Petrus unter den Aposteln: es gehörte die ganze Verblendung des Parteigeistes dazu, das Beweisende dieser Worte zu verkennen oder den Worten einen andern als diesen Sinn unterzulegen.“ Meyer kritisch-exeg. Commentar in h. l.: „Ohne Zweifel wird übrigens hier dem Petrus der Primat unter den Aposteln zuerkannt . . . damit stimmt auch die Voranstellung in den Apostelverzeichnissen und die thatsächliche Ueberlegenheit, in welcher wir den Jünger durchweg im Apostelkreise finden (Vgl. Apg. 15, 7; 2, 41; Gal. 1, 18; 2. 7. s.). Dieser Primat ist unparteiisch zuzugeben, aber ohne die römischen Consequenzen, da Jesus weder Nachfolger im Auge hatte, noch die Päpste solche Nachfolger sind.“ Cf. insigne testimonium Brunonis Bauer apud Seep das Leben Christi l. 6. c. 35. Cf. Passaglia l. 2. c. 6.

[2]) Cf. Act. 9, 15; Rom. 15, 19 s.

[3]) Hom. 57; hom. 70. ad Petri primatum explicandum addit: „Quanti igitur meriti apud Deum suum Petrus erat, ut ei post naviculae parvae remigium totius Ecclesiae gubernacula dederentur?“

Demonstratio p. I. Thesis statuitur non solum contra protestantes verum etiam contra Richerium, Febronium eorumque asseclas, necnon (saltem ex parte) contra pistoriensem synodum, cujus prop. 2. et 3. a Pio VI. fuit damnata (cf. n. 351); partim etiam contra quosdam doctores parisienses sec. XV., qui, ut facilius tristissimum componeretur schisma occidentale, excogitarunt sententiam, supremam potestatem ecclesiasticam clavium symbolo expressam convenire ipsi Ecclesiae tamquam subjecto proprio, ex quo deinde in Ecclesiae ministros derivetur. Juxta horum opinionem Petrus, qua apostolorum deputatus, omnium nomine insignem illam confessionem edidit: *Tu es Christus, Filius Dei vivi,* ideoque omnium nomine promissionem potestatis clavium accepit. Qui error iterum damnatus fuit in concilio vaticano sess. 4. cap. 1, in quo citatis Christi verbis Matth. 16, 18 s. et Joan. 21, 15 ss. declaratur: „Huic tam manifestae ss. Scripturarum doctrinae, ut ab Ecclesia catholica semper intellecta est, aperte opponuntur pravae eorum sententiae, qui constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes negant, solum Petrum prae ceteris apostolis sive seorsum singulis sive omnibus simul vero proprioque jurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum; aut qui affirmant, eundem primatum non immediate directeque ipsi b. Petro, sed Ecclesiae et per hanc illi ut ipsius Ecclesiae ministro delatum fuisse.«

483. Sane promissionem Christi Matth. 16, 19 ad unum Petrum referri, probatur **1.** iis fere omnibus, quae diximus n. 474, eoque magis quod **2.** promissionis subjectum clare designetur pronomine *tibi,* quod certe ad unum spectat Petrum. Sicut ergo **3.** Christus supremus architectus unum Petrum facit v. 18 Ecclesiae petram, ita hic qua summus rex Petrum ceu servum fidelem et prudentem constituit super familiam suam. Quare sicut illud ad unum spectat Petrum, ita et hoc alterum. Ceterum **4.** falsa est adversariorum opinio, Petrum aliorum nomine et quasi ex eorum delegatione illam edidisse professionem: *Tu es Christus, Filius Dei vivi.* Hoc enim **a.** est praeter Scripturam, in qua de hac delegatione nil prorsus legitur; est **b.** contra Scripturam, cum enim Christus primum interrogavit discipulos suos dicens: *Quem dicunt homines esse Filium hominis,* non respondit Petrus ceterorum nomine, sed quilibet pro scientia sua; ergo neque cum secundo interrogavit Christus: *Vos autem quem me esse dicitis,* respondit Petrus aliorum nomine. Quod si omnium nomine loquitur, Christus respondens alloquitur omnes [1]). Hic vero ad ipsum solum sermonem dirigit solumque laudat, cum secundum adversariorum opinionem omnes meruissent laudem. Imo Christus diserte testatur eum hoc responsum non a carne et sanguine edoctum vel fervore abreptum, ut nonnulli somniant, sed Patris coelestis revelatione illustratum protulisse. „Ecce ceteris non agnoscentibus, ita Optatus VII, 3, Filium Dei solus

[1]) Matth. 19, 27 s.; Joan. 6, 69 s.

Petrus agnovit;" et Hilarius in Matth. 14, 17: „Et hoc in Petro considerandum est, fide eum ceteros anteisse: nam ignorantibus ceteris primus respondit: *Tu es Filius Dei.*"

484. Denique **5.** assertio nostra confirmatur luculento patrum suffragio, qui diserte affirmant, haec verba ad Petrum pertinere, imo ad eum pertinere principaliter, praecipue, singulariter. Ita Optatus: „Praeferri (Petrus) apostolis omnibus meruit et claves regni coelorum communicandas ceteris solus accepit." Cujus bellam reddit rationem: „Stant tot innocentes et peccator accipit claves, ut unitatis negotium formaretur. Provisum est, ut peccator aperiret innocentibus, ne innocentes clauderent contra peccatores et quae necessaria est unitas esse non posset[1]." Et ven. Beda: „Omni igitur electorum Ecclesiae juxta modum culparum vel poenitentiae ligandi datur auctoritas. Sed ideo b. Petrus, qui Christum vera fide confessus, vero est amore secutus, specialiter claves regni coelorum et principatum judiciariae potestatis accepit, ut omnes per orbem credentes intelligant, quia quicunque ab unitate fidei vel societatis illius quolibet modo semetipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolvi, nec januam possint regni coelestis ingredi[2]."

485. **Demonstratio p. II.** Formula *dare claves regni* symbolice adhibita ex usu loquendi profano et sacro[3]) auctoritatem significat, et quidem plenam in eam rem, cujus claves dantur: victoribus enim traduntur claves urbis captae in subjectionis signum; et si pater fami-

---

[1]) L. c. et l. 1. n. 10. Cf. aliorum effata opusc. X, 247 in annot., quibus addantur Eusebius caes. q. 1. circa Evang. n. 5; Gregorius M. hom. 21. in Ev. n. 4; Alcuinus ep. 36; Smaragdus in Evang. Paschatis (Mig. 102, 227); Candidus de pass. Domini cap. 7. (ib. 106, 73). Cf. Schrader de unitate rom. t. 1. n. 159 ss.

[2]) L. 2. hom. 16. Quibus similia habet Petrus Damianus serm. 26, cum scribit: „Judicat Petrus et Petri judicia confirmat Omnipotens, et est in manu Petri manus Altissimi: solusque ille efficitur familiaris Christi, qui Petri familiaritatem habuerit; »Paulus diac. hom. in illud: *Venit Jesus in partes Caesareae;* Rabanus M. in h. l.; Druthmarus expos. in Matth. c. 35.

[3]) Annon potestatis et non tantum honoris translatio significatur, cum Deus Sobnae templi vel regii palatii praeposito dicit: *Expellam te de statione tua, et de ministerio tuo deponam te. Et erit in die illa: Vocabo servum meum Eliacim filium Helciae, et induam illum tunica tua, et cingulo tuo confortabo eum et potestatem tuam dabo in manu ejus: et erit quasi pater habitantibus Jerusalem et domui Juda. Et dabo clavem domus David super humerum ejus: et aperiet et non erit qui claudat: et claudet et non erit qui aperiat.* Is. 22. 19 ss. Cf. Apoc. 1, 18; 3, 7. De significatione phrasis *ligare* et *solvere* ex usu loquendi profano cf. Passaglia l. 2. c. 8. et Palmieri th. I., qui ex. gr. provocant ad Josephum Flavium de bello judaico l. 1. c. 5, ubi refert de regina Alexandra: „Alexandrae se in potestatis societatem adjungunt pharisaei . . . Illi autem in feminae simplicis consuetudinem paulatim se insinuantes statim res omnes gubernant, ita ut quosvis pro voluntate in exsilium pellant ab eoque revocent, solvant ligentque λύειν τε καὶ δεῖν."

lias famulo solemniter traderet domus claves, nemo dubitaret eum constitui domus custodem vel rei domesticae dispensatorem. Petro ergo **1.** promittitur potestas in Ecclesiam. Verum **2.** non qualiscunque, sed plena potestas jurisdictionis. Nam ille **a.** promittit potestatem clavium symbolo significatam, cui data est omnis potestas in coelo et in terra (Matth. 28, 18), qui caput est Ecclesiae princeps; promittit claves **b.** *regni coelorum,* quo nomine hic designatur Ecclesia Christi militans in terris qua late patet (cf. v. 18), quod proinde complectitur universos regni dominici cives, ideoque promittit potestatem regiam (quia in regnum) plane universalem; quod **c.** confirmatur plurali *claves* et verbis sequentibus: *Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis: et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis*, quibus verbis significatur potestas plane suprema et independens a quacunque potestate politica et humana, quaeque **d.** sit non solum ratione subjecti, sed etiam objecti prorsus universalis et illimitata (*quodcunque* etc.). Porro homines triplici vinculo ligari et ab eo solvi possunt: vinculo legis, peccati, poenae. Quare plena potestas promittitur legifera (obligandi), judiciaria (circa peccata) et coactiva (obligandi ad poenam), seu potestas jurisdictionis. Ea vero **3.** ita promittitur, ut per eam Petrus emineat inter apostolos, nam **a.** ita spectat ad ipsum haec promissio, sicut illud encomium: *beatus es Simon* etc. per modum scil. retributionis et praemii, ideoque singulariter. Quod confirmatur **b.** ex ipsa promissionis solemnitate, qua haec verba soli Petro, seorsim ab aliis, ipsis tamen praesentibus, dicuntur: Christus autem non amat caeremonias inanes et inutiles. Accedit **c.** verborum universalitas: promittit enim Christus claves regni coelorum, ad quod profecto ipsi etiam apostoli spectant. Sicut ergo apostoli utpote columnae Ecclesiae super Petrum aedificandae, superaedificati quoque sunt supra Petrum: ita in eos quoque, cum sint cives regni coelorum, se extendet potestas clavium Petro promissa. Quare hisce verbis etiam promissus fuit Petro primatus Unde Gregorius M. ad Mauritium imp. scribit[1]: „Cunctis Evangelium scientibus liquet, quod voce dominica sancto et omnium apostolorum principi Petro apostolo totius Ecclesiae cura commissa est . . . Ipsi dicitur: *Tu es Petrus . . . Et tibi dabo claves regni coelorum* etc. Ecce claves regni coelestis accipit, potestas ei ligandi ac solvendi tribuitur, cura ei totius Ecclesiae et principatus committitur.“

486. **Scholion I.** *Quomodo Petrus repraesentaverit Ecclesiam.* — Provocant adversarii pro sua sententia ad quaedam Augustini testimonia, qui ex.

---

[1]) L. 5. ep. 20. cf. n. 484. 487.

gr. ita scribit[1]; „Quaedam dicuntur, quae ad apostolum Petrum proprie pertinere videantur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figura gestasse personam, propter primatum, quem in discipulis habuit, sicuti est: *Tibi dabo claves regni coelorum.*« Unde inferunt, Ecclesiam esse hujus potestatis subjectum, ideoque eam Petro ejusque in primatu successoribus nonnisi ex Ecclesiae delegatione convenire. Verum facile haec difficultas solvitur, modo **1.** advertatur duplex potestatis distingui subjectum, subjectum nimirum utilitatis et subjectum inhaesionis. Libenter concedimus, Ecclesiam esse subjectum, in cujus utilitatem concessa fuerit clavium potestas, sed omnino negamus, eam universim spectatam esse etiam inhaesionis subjectum. Hoc enim non solum repugnat universae antiquitati, verum etiam iis omnibus refellitur, quibus thesim demonstravimus. Triplex vero **2.** est repraesentandi modus: **a.** parabolicus, qui in parabolis obtinet, in quibus factum narratur non verum, sed fictum ad aliud significandum; **b.** typicus, qui quidem multiplex est; in re vero nostra ille praecipue mentione est dignus, qui competit exemplari, paradigmati, quod aliquo modo repraesentat omnia ea, quae ad illud sunt expressa; **c.** juridicus, qui duplex est: potest enim quis alterum repraesentare vel ex hujus delegatione, vel ratione sui muneris, characteris, dignitatis, independenter ab alterius delegatione, ex jure sive naturali sive positivo, eoque vel divino vel humano. Ita paterfamilias repraesentat familiam. Quibus **3.** praemissis negamus **a.** Petrum repraesentasse parabolice Ecclesiam Matth. 16, 19: neque enim ibi parabola narratur, sed verum factum. Concedimus **b.** Petrum typice quoque repraesentasse Ecclesiam seu accuratius Ecclesiae pastores; est enim Petrus omnium clavigerorum in Ecclesia, praesertim suorum successorum, paradigma et exemplar. Contendimus **c.** Petrum repraesentasse Ecclesiam juridice, non ex hujus delegatione, quam supra rejecimus, sed tamquam ejus primatem et praepositum ex voluntate Christi principis pastoris et Ecclesiae auctoris ad hoc munus jam divinitus designatum, non dissimili ratione atque Abraham, pater omnium credentium, ex Dei munere omnes repraesentavit credentes, cum factae sunt ei promissiones Gal. 3, 6 ss. Hanc **4.** Augustini esse doctrinam patet ex disertis ejus testimoniis, ut ex ipso testimonio supra allato et ex ultimo tractatu in Joan. n. 5: „Ecclesiae Petrus apostolus propter apostolatus sui primatum gerebet figurata generalitate personam[2].« Quapropter **5.** patres passim docent, ex Petro in Ecclesiam derivari hanc potestatem. Ita Tertullianus[3]: „Memento, claves Dominum Petro, et per Petrum Ecclesiae reliquisse;« Fulgentius[4]: „Poenitentia peccatori tunc prodest, si eam in Ecclesia catholica gerat, cui Deus in persona b. Petri ligandi solvendique tribuit potestatem.«

487. **Scholion II.** *Praerogativae b. Petri apostolis non communes.* — Ne quis provocet ad Eph. 2, 20: *Superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Jesu,* ut inde

---

[1]) In Ps. 108 n. 1; cf. etiam tr. 50 in Jo. n. 12; tr. 118 et 124 n. 5; serm. 149 n. 7; contra advers. legis c. 17; Beda in Joan. 21, 33. etc.

[2]) Cf. serm. 160 n. 4 et 54 n. 1. 3. in nova PP. bibl. card. Mai t. 1.

[3]) Scorp. c. 10. [4]) De fide c. 10.

inferat etiam in praerogativa fundamenti apostolos Petro fuisse aequales. Nam quilibet **1.** videt magnum esse discrimen inter solemnem Christi promissionem et verba Pauli, qui obiter tantum apostolorum facit mentionem. Ad haec **2.** mentio fit *fundamenti apostolorum,* sed fundamentum apostolorum non videtur esse idem ac fundamentum, quod sunt apostoli. Nam et si Petrus centies dicatur fundamentum Ecclesiae, non tamen solet Ecclesia dici superaedificata super fundamentum Petri. Sed etiamsi **3.** a Paulo apostoli dicantur fundamentum Ecclesiae, fundamentum appellantur una cum prophetis, qui profecto fundamentum Ecclesiae sunt nonnisi ratione doctrinae divinitus acceptae, quam annunciarunt, non vero ratione jurisdictionis et potestatis, quam in Ecclesia exercuerint. Petro autem ita tribuitur fundamenti munus, ut hoc plenam includat jurisdictionis potestatem. Non negamus quidem apostolos dici etiam posse fundamentum Ecclesiae ratione fundationis, doctrinae (cf. Apoc. 21, 14) et ratione potestatis, quam in eam acceperint: sed hoc ex textu, qui objicitur, erui non poterit; quod si ita appellantur, ea notentur, quae de aequalitate et inaequalitate apostolorum infra (n. 500 s.) opportunius dicemus. Revera **4.** discrimen esse inter modum, quo Petrus est Ecclesiae petra, et modum, quo reliqui apostoli Ecclesiae sunt fundamentum, patet etiam ex universa antiquitate, quae neque apostolos universim, neque apostolos singillatim, ne Paulum quidem, tanta emphasi et tanta constantia salutat Ecclesiae fundamentum, petram, crepidinem, ut salutat Petrum. Quare antiquitas christiana non vidit hunc parallelismum, sed potius hac praerogativa Petrum a ceteris discrevit apostolis. Ita Asterius amasenus episcopus hom. 8. in ss. Petrum et Paulum, postquam Petrum laudavit, quia a Christo Ecclesiae fundamentum est dictus: infert Dominum »nullum e discipulis suis perinde ac Petrum muneribus locupletasse, quin supernis sublimem effectum donis, universis eum praetulisse.« Quod si Paulus 1. Cor. 3, 11. affirmat: *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus:* loquitur de fundamento sive doctrinae sive vitae christianae, quod ipse posuit. Ceterum etsi Christus sit fundamentum princeps et summus angularis lapis, non propterea excluditur fundamentum secundarium, vicarium, ministeriale, praesertim respectu Ecclesiae, quatenus est societas visibilis: sicut cum dicitur unus magister noster, non excluduntur doctores ejus vices gerentes.

487[a]. Gravior difficultas contra b. Petri primatum oritur ex collatione Matth. 18, 18; quae enim Christus Matth. 16, 19 uni promittit Petro, mox ibidem omnibus pollicetur apostolis dicens: *Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.* Nihil ergo unius Petri proprium verbis Matth. 16, 19 enunciari videtur, adeoque illius primatus inde probari nequit. Verum advertimus **1.** non omnino eadem verba ad reliquos dici apostolos, sed nonnisi ex parte: neque enim illis dicitur: *Super hanc petram* etc.; *tibi dabo claves regni coelorum:* quare non sequitur nihil proprii hoc in l. promitti b. Petro, cui, ut inquit Bonifatius I. »arx sacerdotii dominica voce concessa est (ep. 3. n. 1).« Ad haec **2.** verba Matth. 16, 19 praemii habent rationem, quam amitterent, si nihil proprii iis promitteretur Petro. Deinde **3.** eorundem verborum potestas augetur atque intenditur vel remittitur pro varia dignitate subjecti; atqui jam vidimus Petrum petrae fundamentique dignitate prae reliquis fuisse insignitum apostolis; ergo non eodem pror-

sus modo eadem verba ad eum reliquosque apostolos spectant. Insuper **4.** quo solemnius haec verba ad unum directa sunt Petrum, eo pleniori significatione ad eum pertinere censenda sunt. Traditione enim clavium, quae soli Petro concreditae leguntur, antequam illa alia verba a Christo reliquis dicta fuerint apostolis, satis aperte significatur, potestatem ligandi solvendique in Petro esse originalem, independentem, supremam ac veluti in fonte, quod verbis ad apostolos dictis non ita exprimitur. Quod **5.** non fugit patres, ut supra vidimus (n. 484), atque iterum inculcat s. Leo: „Cui Petro cum prae ceteris solvendi et ligandi tradita sit potestas, pascendarum tamen ovium cura specialius mandata est (Joan. 21, 15): cui quisquis principatum aestimet denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem, sed inflatus spiritu superbiae suae semetipsum in inferna demergit[1].« Hinc etiam **6.** in antiquissimis artis christianae monumentis solus Petrus cum clavibus repraesentatur. Ergo illarum promissione aliquid singulare aliis non commune fuit significatum. Luculentum traditionis argumentum!

488. **Thesis LXXIII.** ***Primatus praerogativa Petro promissa ulterius confirmatur verbis Salvatoris Luc. 22, 31 ss.***

Demonstratio. Christus Petrum Luc. 22, 31 s. ita alloquitur: *Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos;* quae ad unum pertinere Simonem Petrum ex ipsa oraculi lectione manifestum est. Iis autem **1.** clare promittitur Petro fides indefectibilis: quae illatio illustratur opportuna collatione cum Matth. 16, 18. Sicut enim **a.** ibi exhibentur portae inferi pugnaturae contra Ecclesiam, ita et hic satanas cribraturus apostolos tentatione gravissima. Sicut ibi **b.** Petri soliditatem adumbrat Christus petrae symbolo, ita hic diserte promittit non defecturam Petri fidem. Sicut ibi **c.** Ecclesiae impugnandae consulit eam aedificando supra petram, quae illam sustentet: ita hic fratribus tentandis consulit injungendo Petro, cujus fidem reddidit indefectibilem, munus confirmandi fratres in fide. Praeterea **2.** significatur Petri fides rationem habere authentici archetypi quoad fidem fratrum. Nam de ratione archetypi est, ut in se sit rectum, et prae aliis norma recti. Atqui ex dictis Petri fides utpote indefectibilis in se semper est recta, ideoque potest esse etiam norma recti; quin imo revera est norma, quam alii

---

[1]) Ep. 10. ad ep. prov. vien. c. 2. Et ep. 14. ad Anastasium c. 11: „Connexio totius corporis unam sanitatem, unam pulchritudinem facit; at haec connexio totius quidem corporis unanimitatem requirit, sed praecipue exigit comcordiam sacerdotum. Quibus cum dignitas (potestas ordinis, character episcopalis) sit communis, non est tamen ordo generalis (ordo in hierarchia jurisdictionis communis); quoniam et inter bb. apostolos in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis, et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut ceteris praeemineret.« Cf. Palmieri th. I,

sequi tenentur, ob injunctum ministerium alios confirmandi, quod sine fratrum officio Petro confirmanti obtemperandi nequit intelligi. Quare **3.** sponte sua consequitur insignis Petri praerogativa, qua primatu fidei et magisterii inter fratres eminet.

489. Qui primatus **4.** illustrior etiam est, quod *fratrum* nomine vel ipsi intelligi debeant apostoli. Nam **a.** si qui fratres Petri vocari possunt, profecto ii sunt, qui ei fuerunt omnium proximi, collegae scil. in munere apostolico. Deinde **b.** eos confirmandos suscepit Petrus, quos satanas cribrandos expetierat; hi autem in primis erant apostoli: *Sanatas expetivit vos.* Quae omnia confirmantur praeclaro patrum suffragio, inter quos prae ceteris genuinum hujus loci sensum exponit Leo M. hunc in modum: „Commune erat omnibus apostolis periculum de tentatione formidinis et divinae protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere: et tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur, et pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, et divinae gratiae ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quae per Christum Petro tribuitur, per Petrum apostolis conferatur [1]."

490. **Thesis LXXIV.** ***Ex verbis Joan. 21, 15 ss. colligimus Christum Dominum Simoni Petro contulisse jurisdictionis primatum, quo instructus sub ipso pastorum principe universam regeret ac moderaretur Ecclesiam.***

Demonstratio. Narrat Joannes evangelista tertio jam manifestatum esse Jesum apostolis suis, cum resurrexisset a mortuis. *Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos,* βόσκε τὰ ἀρνία μου. *Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? Ait illi: Etiam, Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos,* ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. *Dicit ei tertio: Simon Joannis,*

---

[1]) Serm. 4. in die anniv. assumpt. suae n. 3. Cf. Schrader l. 2. n. 193 ss. Katholik 1868. I, 414 ss. Verba auctoris qq. in V. et N. T. cf. supra n. 470 annot. Ceterum in oraculo dominico verba: *Et tu aliquando conversus* non necessario debent intelligi de conversione a lapsu, sed **a.** optime possunt ita explicari: Et tu vicissim, scil. ego sollicitus sum pro te, ideoque ego rogavi pro te: et tu vicissim, ex tua parte confirma fratres tuos; vel tu te convertens sollicitudine ad fratres tuos eos confirma. Sed **b.** non solum possunt ita vel simili ratione explicari, verum haec explicatio videtur praeferenda: tum quia nulla mentio praecessit lapsus Petri; vix ergo probabile, Christum mentionem fecisse conversionis a lapsu, antequam hujus fieret mentio; tum quia illud ποτε aliquando refertur ad tempus nonnihil distans: poenitentia vero Petri erat proxime instans.

amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, amas me? et dixit ei: Domine, tu omnia nosti: tu scis, quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas, βόσκε τὰ πρόβατά (al. προβάτιά oviculas) μου (21, 15 ss.). Quae verba **1.** ad unum Simonem sensu literali et immediato pertinere per se patet. Christus enim Petrum alloquitur, eum proprio nomine, quo nempe a singulis distinguebatur, compellando, ipsamque ejusdem personam addito carnalis patris nomine indigitando ac denique expresse eundem a ceteris omnibus separando *(diligis me plus his).*

491. Hisce vero verbis **2.** non continentur [1]) mera exhortatio et admonitio, sed vera ministerii potestatisque collatio. Sane pascere idem est ac officium pastorale exercere; munus autem pastorale tria complectitur: **a.** praebere pabulum et ad pascua ducere; **b.** oves in unitatem redigere atque in unitate conservare; unde illud [2]): *Dispersae sunt oves meae, eo quod non esset pastor;* et illud Christi [3]): *Et fiet unum ovile et unus pastor;* **c.** oves tueri ab incursantibus lupis, quod munus egregie describit Christus Joan. 10, 9 ss. Quod si sermo est de ovibus rationalibus, complectitur potestatem verae jurisdictionis: ideoque ex usu loquendi biblico [4]) (atque etiam profano) pascere idem est ac praeesse, authentice docere, regere, gubernare. Ita Ps. 2, 9: *Reges eos in virga ferrea,* ποιμανεῖς αὐτούς; Matth. 2, 6: *Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel,* ἐκ σοῦ γὰρ ἐξελεύσεται ἡγούμενος, ὅστις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου τὸν Ἰσραήλ; et Christus, qui profecto summa pollet potestate necnon suprema auctoritate docendi, saepe pastoris nomine ejusque auctoritatis pascendi potestate designatur. Quare cum tanta fuerit Christi bonitas, ut quae essent sibi propria, abiturus in coelum suis communicaret discipulis, pascendi autem verbo vera designetur auctoritas atque potestas: inferendum est, eum Petrum post se Ecclesiae pastorem constituisse et amoris sui veluti reliquisse vicarium, ut loquitur Ambrosius [5]),

---

[1]) Neque quis putet hisce verbis Petro apostolatum trina negatione amissum a Christo fuisse restitutum. Nam licet ex sententia patrum idcirco Petrum Christus ter de amore interrogaverit, ut trina confessione trinam repararet negationem: tamen probari nequit **1.** Petrum trina negatione amisisse apostolatum; hujus enim amissionis nullum exstat vestigium in divinis literis. Deinde **2.** dato etiam quod Petrus illum amiserit, eum jam iterum receperat in prima apparitione apostolis congregatis facta, cum illis Christus dixit: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum* etc. Joan. 20, 21.

[2]) Ez. 34, 5; Zach. 13, 7. [3]) Jo. 10, 16.

[4]) Cf. Is. 44, 28; 2 Reg. 5, 2; 7, 7; Ez. 37, 24 etc.

[5]) L. 10. in Luc. c. 24; ita Basilius constitut. monastic. c. 22. n. 5. vel expressius adhuc Asterius amas. hom. 8. in ss. Petrum et Paulum: „Fere sui

amoris scil. illius, quo et nunc ovium prospicit saluti. Verbo igitur *pasce* omnis illa significatur potestas, quam Christus contulit in bonum fidelium, docendi, sanctificandi, regendi etc. „Quid ergo incongruum, inquit Augustinus, si Petrus post hoc peccatum (negationis) factus est pastor Ecclesiae, sicut Moyses post percussum aegyptium factus est rector illius synagogae [1]) ?"

492. Contulit autem **3.** Christus Petro potestatem amplissimam **a.** extensive, ut colligitur tum ex verbis *agnos meos, oves meas* [2]), quae infinite patent, ut nulla sit proinde ovis Christi, quae subtracta censeri possit Petri pastoris sollicitudini; tum ex collatione cum Matth. 16, 18; sicut enim ibi universa, qua late patet, Ecclesia *(Ecclesiam meam)* ab eodem sustentanda praedicitur, ita hic universum ovile ejus curae concreditur. Contulit etiam **b.** potestatem intensive plenissimam, ut patet tum α. ex ipsa amplitudine extensiva gregis dominici: quo enim hic latius patet, eo validior esse debet potestas ad eum continendum; tum β. ex insita significandi vi verbi *pascere:* tum γ. ex fonte et auctore, e quo ea auctoritas in Petrum tam singulariter et solemniter redundat.

493. Imo **4.** contulit Christus Petro jurisdictionis potestatem ita plenam, ut saltem in hoc praecelleret reliquorum apostolorum potestatem, quod ea se ad ipsos extenderit apostolos, horum vero nulla in Petrum fuerit auctoritas. Unde sponte sua sequitur Petri primatus in universam Ecclesiam. Et sane **a.** Christus ter jam promisit Petro primatum. Ergo etiam primatum ei contulit. Atqui nullus alius locus assignari potest, qui aptius intelligi possit de primatus collatione quam iste [3]). Ergo omnia exigunt, ut de eo intelligatur. Eo ipso **b.** quod

---

loco dedit Dominus fidelissimum discipulum in patrem pastoremque et magistrum iis, qui essent accessuri ad fidem."

[1]) L. 22. c. Faustum c. 7. Cum Moyse confert Petrum etiam Macarius aeg. († a. 390 vel 391) hom. spirit. 26. c. 23: „Moysen secutus est Petrus, cui nova Christi Ecclesia et verum sacerdotium commissum est." Hinc etiam in antiquissimis christianae artis monumentis Petrus in persona Moysis repraesentatur.

[2]) Quamvis hisce verbis evidenter significetur, omnes Christi fideles Petro esse subjectos, id tamen magis belle significatur lectione quadam graeca, quae subinde apud veteres recurrit, qua distinguuntur ἀρνία, πρόβατα προβάτια et qua apte significatur, nullam esse ovem, sive magnam sive parvam, neque oves illas, quae simul sunt aliarum parentes i. e. episcopi, curae Petri subtractas. Cf. Passaglia l. 1. c. 10; l. 2. c. 15 ss.; Tarquini juris eccles. publici instit. l. 2. n. 13. et Andries Alph. Salmeronis doctrina de jurisdictionis episcopalis origine et ratione, Moguntiae 1871 pag. 73. 93 ss.

[3]) Ad rem inculcat card. Franzelin th. X. parallelismum inter hunc et priores locos: „Ubique eadem est persona testificans et instituens, Christus fun-

Christus post collatas in communi praerogativas Joan. 20, 21 Petrum seorsim ab aliis, singulariter[1]) et solemniter post trinam amoris professionem alloquitur, eique per modum praemii munus injungit pascendi: significat, se ei praerogativam seorsim ab aliis, praeter alios, qua inter eos emineret, conferre: sicut quondam post specialem fidei professionem singularem praerogativam promisit. Accedit **c.** amplitudo verborum *oves meas:* atqui etiam apostoli sunt oves Christi, sicut sunt partes illius Ecclesiae, quae superaedificatur Petro Matth. 16, 18. Ergo et ipsi concrediti sunt Petro. Quod **d.** confirmat collatio cum Luc. 22, 31 s. Si enim *fratrum* nomine, quos confirmandos suscepit Petrus, etiam intelligi debent apostoli, *ovium* quoque numero iidem comprehenduntur: pastoris enim maxime proprium est confirmare oves. Praeclare hujus loci vim enarrat s. Bernardus ad Eugenium III. scribens[2]): „Tu es, cui claves traditae, cui oves creditae sunt. Sunt quidem et alii coeli janitores et gregum pastores; sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius utrumque prae ceteris nomen hereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium pastor. Unde id probem quaeris? ex verbo Domini; cui non dico episcoporum, sed et apostolorum sic absolute et indiscrete totae commissae sunt oves? *si me amas, Petre, pasce oves meas.* Quas?

---

dator Ecclesiae; eadem persona, ad quam unam prae aliis omnibus testimonium et institutio refertur, Simon Petrus; idem terminus personarum, prae quibus et super quas Petrus constituitur, nempe collegium apostolorum et universa Ecclesia sub aliis et aliis nominibus, *Ecclesia mea, regnum coelorum, fratres tui, oves meae* et *agni mei;* idem objectum reale, potestas scil. eadem promissa et instituta sub diversa licet metaphora petrae Ecclesiae, clavium regni, firmamenti fidei, pastoratus ovilis Christi; idem postremo ubique finis in promissione et institutione; finis, inquam, est propria forma, indeficiens securitas, visibilis unitas Ecclesiae.«

[1]) Si patres quandoque haec verba ad reliquos apostolos pastoresque extendunt, inferri propterea nequit, ea pertinere ad illos sensu immediato et literali, vel eadem sensus plenitudine: spectant siquidem ad alios pastores, sed ea tantum ratione, quam supra innuimus (n. 486), quatenus scil. Petrus typus et repraesentans est omnium pastorum, qui in partem ejus sollicitudinis vocantur: idcirco enim etiam illis aliquatenus eadem applicare licet. Neque etiam inferri potest, eandem omnino esse Petri ceterorumque apostolorum vel pastorum potestatem: sed tantum illos plus minusve participare de illa potestate, cujus plenitudo concessa est Petro, „quem constituit Dominus, ut scribit s. Bernardus ep. 238 ad Eugenium III. n. 4, dominum domus suae et principem omnis possesionis suae.«

[2]) De consid. l. 2. n. 15; praecedunt vero: „Quis es? Sacerdos magnus, summus pontifex. Tu princeps episcoporum, tu heres apostolorum; tu primatu Abel, gubernatu Noë, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus.«

illius vel illius populos civitatis aut regionis aut certi regni? *oves meas,* inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil." Ergo Christus princeps pastorum jam ascensurus in coelum Petrum hic instituit suum vicarium, qui primatus praerogativa excelleret in universam Ecclesiam. Quod significanter expressum legimus in catologo liberiano (sec. IV. medii si non anni 234): „Imperante Tiberio Caesare passus est D. N. J. Christus duobus Geminis coss. VIII. Kal. Apr. et post ascensum ejus bb. Petrus episcopatum suscepit."

494. **Thesis LXXV.** ***Ipsa agendi ratio Petri post Domini in coelum ascensionem, quantum satis est ostendit, haud aliter ipsum se gessisse ac illum semet gerere oportuit, qui auctore Christo omnibus praelatus omnes regendos pascendosque suscepit.***

Demonstratio. Immerito postulant protestantes, ut ex factis atque historia nascentis Ecclesiae s. Petri primatus comprobetur. Etiamsi enim nihil prorsus de hujus praerogativae exercitio legeretur, sufficerent tot splendidissima Christi effata, quibus Petrum primatu fuisse auctum ostendimus. Neque etiam defectus exercitii juris argumentum est, aliquem eo carere [1]). At non desunt facta, quae sin minus seorsim, conjunctim tamen spectata, quantum satis est, evincunt, Petrum jurisdictionis primatum in Ecclesia exercuisse, et quorum sufficiens ratio reddi nequit, nisi ejus primatus supponatur. Sane in Ecclesiae originibus considerari possunt prima ejus propagatio ejusdemque administratio. Quod propagationem Ecclesiae attinet, iterum considerare licet **1.** verbi praedicationem; **2.** ejusdem authenticam comprobationem; **3.** receptionem eorum, qui Ecclesiam ingredi petunt, et **4.** electionem atque institutionem ministrorum. Atqui horum nullum est, in quo b. Petrus primas non habuerit partes, in quo non excelluerit primatis instar, si adjuncta bene expendantur.

495. Sane **1.** quod praedicationem attinet [2]), liquet **a.** Petrum primum annunciasse verbum salutis; **b.** illius conciones, sicut in Evangeliis Christi sermones, a s. Luca diligenter referri, dum **c.** aliorum apostolorum vix occurrat mentio; aliisque **d.** tacentibus ipsum solum loqui, utpote ‚omnium os', ut advertit Chrysostomus [3]). Quoad miracula **2.** advertatur **a.** Petri in primis miracula, quibus Christi doctrinam comprobavit, referri; illum **b.** prae ceteris miraculorum charismate fuisse insignem; adeo **c.** ut mira quaedam analogia exsistat

---

[1]) Qua de re egregie disserit Phillips, Kirchenrecht t. 5. § 202.

[2]) Cf. Act. 2, 14 ss.; 3, 12 ss.; 4, 8 ss.; 10, 1 ss.

[3]) Hom. 4. in Act. n. 3.

inter Christum, *qui pertransiit benefaciendo* [1]), et Petrum, qui transeundo umbra sua infirmos sanabat; hinc **d.** sicut ad Christum in terris degentem infirmi undique concurrebant; ita undique et ad Petrum aegri deferebantur. **3.** Unus Petrus speciali a Deo edocetur ratione de gentium vocatione, ut ipse alios quoque hac de re edoceret; ipse primus judaeos, primus et gentes in Ecclesiam recipit. Unde rationem reddens quare gentes admiserit: ‚Quoniam, inquit, ab antiquis diebus Deus in nobis elegit *per os meum* audire gentes verbum Evangelii et credere [2]).‘ **4.** Petrus primus loquitur atque necessitatem eligendi alium in Judae locum proponit et comprobat, eligendi quoque dotes definit, reliquos vero omnes in Petri abeunt sententiam [3]). „Quid an non licebat ipsi Petro eligere? Licebat et quidem maxime; verum id non fecit, ne cui videretur gratificare.“ Ita Chrysostomus [4]).

496. In administranda vero Ecclesia considerare **1.** licet supremae potestatis exercitium. Atqui in quaestione de legalibus, quae fuit dirempta in concilio apostolorum, primae partes Petro deferuntur, cujus judicium omnes sunt secuti [5]): quocirca Hieronymus dicit [6]) Petrum „principem hujus decreti (auctorem) esse, legem post Evangelium non esse servandam.“ Unus etiam est Petrus, qui Ananiam et Saphiram judicat ejusque judicium Deus miraculo confirmat [7]), primus

---

[1]) Act. 10, 38. Cf. Luc. 4, 40: *Cum autem sol occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus ducebant illos ad eum* (Christum). *At ille singulis manus imponens curabat eos.* Act. 5, 14 s.: *Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum: ita ut in plateas ejicerent infirmos et ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis. Concurrebat autem et multitudo vicinarum civitatum Jerusalem, afferentes aegros et vexatos a spiritibus immundis, qui curabantur omnes.* Cf. Leo IX. ep. 100 ad Mich. Caerularium n. 16 ss. Cf. Passaglia l. 1. c. 15 ss.

[2]) Act. 15, 7 col. 2, 41; 10, 9 ss.; 11, 4 ss. [3]) Act. 1, 15 ss.

[4]) Hom. 3. in act. n. 3. [5]) Act. 15, 7 ss. [6]) Ep. 112 n. 8.

[7]) Act. 5, 1 ss. Qua occasione praetermittere non possumus s. Epiphanii animadversionem Ancor. n. 9: „Petro igitur germanum suum Filium Pater indicat (Matth. 16, 18), et beatus idcirco dicitur. At ille ipse rursum Spiritum s. patefecit (rationem scil. reddens gravitatis peccati, quod mentiendo commiserat Ananias): sic enim ei, qui inter apostolos primus esset, consentaneum erat, solidae, inquam, illi petrae, supra quam est Ecclesia Dei fundata, et portae inferi non praevalebunt illi. Quarum portarum nomine haereses et haereseon conditores intelliguntur. Omnibus quippe modis in eo stabilita est fides, qui coeli claves accepit et in terra solvit et ligat in coelo. In eo siquidem subtiliores quaelibet fidei quaestiones reperiuntur . . . Hic (Joannes) quam a Filio hauserat ac didicerat (Joan. 13, 23) scientiae vim postea patefecit; at ille (Petrus) istud ipsum a Patre consecutus est, ut fidei firmitatem fundaret ac fulciret.«

fuit qui haereticum damnat [1]). Considerare **2.** licet sollicitudinem de bono communi. Atqui videmus **a.** Petrum sollicitum de ipso collegio apostolico, tum ut ejus tueretur famam, tum ut illud compleret [2]). „Nam, ut inquit Chrysostomus [3]), primus auctoritatem habet in negotio, ut cui omnes commissi fuissent. Huic enim Christus dixerat: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* [4]).“ Sollicitum videmus **b.** de Ecclesia universa pertransiens universos [5]): „quasi enim dux circumibat ordines considerans, quae pars esset coadunata, quae ornata, quae sua praesentia egeret [6]).“ Ipse **c.** promulgat libertatem Ecclesiae [7]): *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Hinc **d.** quia Petrus inter apostolos adeo eminebat, Herodes ut placeret judaeis, *apposuit, ut apprehenderet et Petrum,* eoque **e.** comprehenso conjectoque in carcerem *oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo* [8]). Quae omnia paucis [9]) ita complectitur Chrysostomus l. c.: „Vide illum ubique circumcursantem et primum inventum; ubi eligendus erat apostolus, hic primus fuit; cum dicendum erat judaeis, non esse ebrios apostolos; cum claudus sanandus fuit; quando erat concionandum, hic ante alios erat; quando agendum cum praefectis, quando cum Anania, et cum umbra sanationes fierent. Ubi periculum eminet, hic adest, et ubi quaedam dispensanda sunt. Ubi vero tranquillae res sunt, in commune omnes: hic majorem non appetit honorem. Rursum cum miracula edere oportebat, ille prosiliebat.“ Ex quibus haud obscure liquet, Petrum primatum exercuisse, nec ejus agendi ratio satis explicari potest nisi supposito ejus primatu.

497. **Scholion.** *Exceptionibus satisfit.* — Plura contra Petri primatum excipiunt protestantes, atque initio quidem verba Pauli: *Et ipse* (Christus) *dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores: ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei* [10]). Atqui, subsumunt, nullam hic facit apostolus mentionem primatus. Hujus ergo institutionem non videtur cognovisse. Verum **1.** haec exceptio tunc solum foret alicujus momenti, si constaret, Paulum voluisse gradus hierarchicos et quidem omnes recensere. Atqui neutrum constat; non illud, probabilius enim est, eum voluisse, saltem 1. Cor. 12, 28, recensere charismata varia, quae Deus in utilitatem fidelium Ecclesiae concessit, hinc recenset etiam *virtutes, gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum;* non alterum, quia

---

[1]) Act. 8, 20. [2]) Act. 1, 15 ss.; 2, 14 ss. [3]) H. 3. in Act. n. 3.
[4]) Luc. 22, 32. [5]) Act. 9, 32. [6]) Ita Chrysostomus in act. h. 21 n. 2.
[7]) Act. 5, 29. [8]) Act. 12, 3. 5.
[9]) Hoc argumentum exsequitur Innocentius III. tit. 3. de primatu (Mig. 216, 1187 ss.).
[10]) Eph. 4, 11. Similia habet 1. Cor. 12, 28.

omittit *presbyteros* et *diaconos*. Quod si **2.** concedatur, Paulum recensere voluisse gradus hierarchicos, nondum profecto consequitur, omnes apostolos inter se aequales fuisse sub omni respectu: sicut cum concilium tridentinum sess. 23. can. 6. recensens hierarchiae ecclesiasticae ordines, primo loco ponit episcopos, certe propterea non affirmat omnium episcoporum cum episcopo romano absolutam aequalitatem. Loquitur enim Paulus de variis gradibus ministrorum non secundum eorum relationem et subordinationem ad invicem, sed ad fidelium coetum, deque ministerii ecclesiastici fine. Eoque minus **3.** dici potest Paulus excludere vices gerentem Christi capitis, quo saepius inculcat Ecclesiam esse unum corpus: aliunde vero sciret, Christum discedentem e terris suas praerogativas communicasse apostolis, ut pro ipso legatione fungerentur, et Ecclesiam citra ministerium visibile conservari non posse in unitate[1]). Neque **4.** urgeant protestantes, Ecclesiam dicendam esse Petri corpus (quod inauditum), si Petrus ejus caput appelletur. Negamus enim consequentiam: siquidem et rex vocatur caput regni, societatis politicae, nec tamen ullus regnum appellat ejus corpus. Nam tunc tantum aliqua societas capitis sui corpus dici potest, si caput societatem non tantum moderetur exterius, sed si in ejus membra vim vitalem atque virtutem inspiret et si societatis membra ipsius sint vere propria. Atqui haec quoad Ecclesiam de uno Christo affirmanda sunt[2]).

498. *Reprehensio Cephae per Paulum.* — Altera exceptio, qua maxime protestantes post gnosticos et marcionitas, post Porphyrium et Julianum apostatam gloriantur, petitur ex Gal. 2, 11, ubi Paulus de se narrat: *Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat... Cum vidissem, quod non recte ambularent* (Cephas et Barnabas) *ad veritatem Evangelii, dixi Cephae coram omnibus: Si tu, cum judaeus sis, gentiliter vivis, et non judaice, quomodo gentes cogis judaizare?* Verum advertimus **1.** hanc Petri reprehensionem non adversari ejusdem primatui, cum et inferior quandoque possit debita cum reverentia superiorem corrigere, correctione quidem fraterna non judiciali; praesertim **2.** cum tam ex Gal. 1, 18, quam ex hoc ipso qui objicitur loco, Petri primatus haud obscure possit colligi. Ex Gal. 1, 18 quidem, quia secundum patres idcirco Paulus prae ceteris invisit Petrum, quod primatis instar reliquos praecelleret. Hinc Hieronymus ad Augustinum scribit[3]): „Tantae auctoritatis fuit (Petrus), ut Paulus in ep. sua scripserit: *Deinde post annos tres veni Jerosolymam videre Petrum et mansi apud eum diebus quindecim*[4]); rursumque in consequentibus: *Post annos quatuordecim ascendi iterum Jerosolymam cum Barnaba assumpto et Tito. Ascendi autem secundum revelationem, et exposui cum eis Evangelium, quod praedico in gentibus,* ostendens se non habuisse securitatem praedicandi Evangelii, nisi Petri et ceterorum apostolorum,

---

[1]) Cf. th. LXV. praesertim n. 458.

[2]) Cf. Bellarminum l. 1. c. 9; Passaglia l. 1. c. 25. 26. Illud etiam advertere licet, Christum proprie esse vi muneris et dignitatis Ecclesiae caput, Petrum vero esse tantum caput Christi vicarium, invisibilis Christi capitis vicem gerens; quare si Ecclesia qua corpus ad caput refertur, inepte refertur ad caput vicarium et ministeriale, et non unice ad caput principale et proprium.

[3]) Ep. 112. n. 8. [4]) Gal. 1, 18.

qui cum eo erant, fuisset sententia roboratus.« Et Chrysostomus[1]): »Dicit ei (Petro Jesus): Pasce oves meas. Et cur aliis praetermissis de his hunc alloquitur? Eximius erat inter apostolos, os discipulorum et coetus illius caput, ideo Paulus prae aliis hunc visurus venit.« Theodoretus: »Apostolorum principi convenientem tribuit honorem[2]).« Ex ipso vero loco objecto primatus praerogativa colligitur; neque enim ratio sufficiens reddi potest praeter potiorem Petri auctoritatem, quare praevaluerit ejus exemplum in re alioquin difficili prae exemplo Pauli, adeo ut ipsum quoque Barnabam individuum Pauli comitem ad observationem legalium induceret et gentes (non solum judaeos) exemplo solo *cogeret* judaizare.

499. Adeo **3.** veteribus fuit Petri primatus certus, ut alii cum Clemente alex. propter hanc difficultatem contra omnem veri speciem et sat constantem traditionem negarent, Cepham a Paulo reprehensum fuisse Petrum; alii vero cum Hieronymo et Chrysostomo, praeeunte Origene, putarent, Pauli reprehensionem fuisse non nisi simulatam et quasi ex condicto, ut pia oeconomia gentes efficacius a persuasione de legalium necessitate deterrerentur. Sed alii cum Augustino admittunt, Petrum vere a Paulo fuisse reprehensum, simul tamen extollunt Petri humilitatem[3]); »nam nec Petrus, inquit Cyprianus, quem primum Dominus elegit et super quem aedificavit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter sibi assumpsit, ut diceret se primatum tenere et obtemperari a novellis et posteris sibi potius oportere[4]).« Quae laudat s. Augustinus l. 2. de bapt. n. 2: »Ecce ubi commemorat Cyprianus, quod etiam nos in Scripturis sanctis didicimus, apostolum Petrum, in quo primatus apostolorum tam excellenti gratia praeeminet, aliter quam veritas postulabat de circumcisione agere solitum, a posteriore apostolo Paulo esse correctum etc.« Praeclarissime vero Petri humilitatem extollit[5]) Gregorius M.: »Se etiam minori fratri ad consen-

---

[1]) Hom. 88 in Joan. n. 1.

[2]) In h. l.; et ep. 113 ad Leonem (Mig. patrol. gr. 83, 1312): »Si Paulus praeco veritatis ad magnum Petrum se contulit, ut iis, qui Antiochiae de legali conversatione ambigebant, explicationem ab illo referret: multo magis nos humiles et pusilli ad apostolicam sedem vestram accurrimus, ut ecclesiarum ulceribus remedium a vobis accipiamus.« Marius Victorinus in h. l. (Mig. 8, 1155): »Etenim si in Petro fundamentum Ecclesiae positum est, ut in Evangelio dictum; cui revelata erant omnia, Paulus scivit videre se debere Petrum, quasi eum, cui tanta auctoritas a Christo data esset, non ut ab eo aliquid disceret.« Quam praeclare dictum! Cf. Ambrosiaster in Gal. 2, 8.

[3]) Cf. de hac controversia Chr. Pesch Zeitschr. für kath. Theol. Innsbruck 1883 p. 456—90.

[4]) Ep. 71 ad Quintum. Petrum autem primum utique dignitate et auctoritate elegit Christus, non tempore: nam Petrus electione non videtur primus secundum s. Joan. 1, 37 ss. Quo vero sensu Cyprianus vocet Petrum primum, patet ex adjecta veluti explicatione, »super quem aedificavit Ecclesiam suam.« In eundem sensum scribunt Beda in 2. Petr. 3, 15; Augustinus in h. l. et ep. 82 n. 22; Rabanus Maurus l. 15. in Ezech.; Facundus hermianensis l. 10. pro defens. trium capit. c. 2; Herveus h. in l.

[5]) L. 2. hom. 6. in Ez. n. 9; l. 9. ep. 39.

sum dedit, atque in eadem re factus est sectator minoris sui, ut etiam in hoc praeiret, quatenus qui primus erat in apostolatus culmine, esset primus et in humilitate.« Ceterum **4.** haec reprehensio non videtur fuisse adeo vehemens, ut fingunt adversarii: nam mox Paulus v. 14. factum repetens utitur tantum verbis: *Dixi Cephae coram omnibus: Si tu* etc., ideoque forte eam Lucas utpote levioris momenti profectam ex transeunte animi commotione in actibus ap., in quibus alioquin hanc controversiam tangit, praeterit silentio.

500. *De aequalitate apostolorum.* Tertia difficultas petitur ex haud paucis patrum effatis, quibus affirmant apostolos fuisse aequales; si vero fuerunt aequales, nullus est primatui locus. Non negamus **1.** plures patres affirmare apostolos fuisse aequales. Verum **2.** longe plures sunt, qui id negent, et id quidem vel aequivalenter, quoties scil. Petrum vocant apostolorum primum, principem, coryphaeum, caput etc., vel etiam diserte[1]). Speciminis gratia audiatur Isidorus hispalensis[2]): „Quod vero de parilitate agitur apostolorum, Petrus praeeminet ceteris, quia a Domino audire meruit: *Tu vocaberis Cephas, tu es Petrus* etc., et non ab alio aliquo, sed ab ipso Dei et Virginis Filio honorem pontificatus in Christi Ecclesia primus suscepit. Cui etiam post resurrectionem Filii Dei ab eodem dictum est: *Pasce agnos meos,* agnorum nomine ecclesiarum praelatos notans. Cujus potestatis dignitas, etsi ad omnes catholicorum episcopos est transfusa, specialius tamen romano antistiti singulari quodam privilegio, velut capiti, ceteris membris celsior permanet in aeternum. Qui igitur debitam ei non exhibet reverenter obedientiam, a capite sejunctus acephalorum schismati se reddit obnoxium.“ Quare concludendum est **3.** aequalitatem inter apostolos non esse, si Petrum spectes, undequaque adaequatam, sed inadaequatam et secundum quid.

501. Aequales scil. **4.** sunt quoad apostolatus velut substantiam, quatenus hic includit immediatam a Christo missionem, infallibilitatem in docendo, plenam jurisdictionem et potestatem promulgandi ubique locorum Evangelium, fundandi et administrandi ecclesias etc.; sed **5.** cum

---

[1]) Cf. Schrader I, 166, et patrum testimonia, quibus passim in hoc tract. utimur. In can. 44. arabico conc. nicaeni ab Abrahamo Echellensi latine reddito (Hard. 1, 485) legimus: „Quemadmodum patriarcha potestatem habet super subditos suos, ita quoque potestatem habet romanus pontifex super universos patriarchas, quemadmodum habebat Petrus super universos christianitatis principes et concilia ipsorum: quoniam Christi vicarius est super redemptionem, ecclesias et curatos populos ejus.« Non est quidem canon iste nicaenus (cf. Hefele Conciliengeschichte t. 1. § 41), tamen hi canones arabici satis vulgati erant in Oriente magnaeque etiam apud varias sectas auctoritatis.

[2]) Ep. 8, quae tamen nonnihil dubia est, n. 2.

hac aequalitate multiplex erat juncta inaequalitas. In Petro enim **a.** praeter apostolatus praerogativam erat primatialis potestas complectens jurisdictionis plenitudinem ordinaria, scil. propaganda in suos successores, adeo ut romani episcopi Petri sint quoad hanc, non vero quoad illam, heredes in solidum et ex asse; in ceteris vero apostolis plenitudo potestatis jurisdictionis erat extraordinaria, adeo ut, licet episcopi dicantur et sint apostolorum successores, singuli tamen non sint heredes totius potestatis, qua fruebantur apostoli, sed tantum partis ejusdem[1]). Petri potestas **b.** erat immunis ab aliorum apostolorum auctoritate; reliqui vero apostoli suum munus exercere non poterant citra respectum ad Petrum, sejuncti a Petro, suasque ecclesias Petro subordinare debebant, utpote unitatis centro et origini, ut praeclare docet Optatus[2]) ita Parmenianum alloquens: „Igitur negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit apostolorum omnium caput Petrus . . . in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, nec ceteri apostoli singulas sibi quisque defenderent: ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret.“ Quapropter **c.** Petri potestas et cura se ad reliquos quoque extendebat apostolos: ceteri vero apostoli in se invicem nullam habebant auctoritatem. Fatendum tamen ultro est, pro eximiis quibus apostoli excellebant charismatibus extraordinarioque Ecclesiae stadio, hujus primatus exercitio in ipsos apostolos locum nullum aut vix ullum dari potuisse. Cum primum vero apostolorum charismata cessarent ac stadio charis-

---

[1]) Ut haec clariora reddantur advertatur **1.** delectos a Christo Domino apostolos duplicem sustinuisse personam scil. apostolorum et episcoporum; proindeque **2.** facultates praerogativasque apostolis tributas in duplici differentia ita versari, ut aliae sint apostolatus propriae et idcirco cum apostolorum morte exstinguendae, ut v. gr. immediata missio, infallibilitatis et inspirationis charisma, amplissima in toto orbe potestas etc.; aliae facultates ut episcopalis ordo cum successoribus episcopis communicandae; in Petro vero **3.** praeter dignitatem episcopalem et apostolicam fuisse potestatem primatialem, quae consisteret in plenitudine potestatis pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam, a plenitudine potestatis aliorum apostolorum iis characteribus distinctam, quos recensemus in textu; **4.** episcopos non esse apostolorum in apostolatu successores, sed tantum in episcopatu, nihilominus tamen pollere veri nominis imperio divina ordinatione per pontificem romanum accepto, ut dioeceses suas tamquam proprias regant Act. 20, 28; **5.** successionem episcoporum, qua dicuntur apostolis succedere, non ita esse accipiendam, ac si singulis apostolis episcopi singuli in eadem potestatis plenitudine successerint, sed ita intelligendam, ut toti collegio apostolico generatim successisse dicatur in Ecclesiae regimine collegium episcoporum. Cf. Nilles in kalend. manuali parergon II.

[2]) L. 2. de schism. donat. n. 2. opusc. X.

matum extraordinario ordinarium succederet, tota semet primatus vis pro variis rerum personarumque adjunctis multifariam explicavit: adeo ut in Petri successoribus manifestum fieret, quanta ad Ecclesiam regendam continendamque principi apostolorum in alios pastores omnes potestas tributa fuisset. Unde dici potest, apostolos quidem Petro fuisse subordinatos, reliquos vero pastores eidem esse subjectos [1]).

502. **Corollarium I.** *Forma regiminis ecclesiastici.* — Ex disputatis suapte natura consequitur, regimen Ecclesiae neque esse democraticum, neque aristocraticum, sed monarchicum[2]). Utrum autem sit pure monarchicum, an aristocratia vel etiam democratia temperatum, disputant theologi estque quaestio minoris momenti, modo ea teneantur, quae ex praescripto fidei catholicae sunt tenenda. Sunt, qui tuentur, illud esse quidem monarchicum, ita tamen ut non careat iis commodis, quibus regimen aristocraticum et democraticum fruitur. Alii malunt dicere illud pure simpliciterque monarchicum, si nomine monarchici imperii secundum philosophos intelligatur „summum penes unum imperium sine superioris aut aequalis, populi vel alterius principis consortio.“ Licet enim in Ecclesia praeter pontificem sint jure divino alii principes, qui Ecclesiam suam tamquam propriam regant, non tamquam vicarii pontificis vel delegati, tamen et ipsi obnoxii sunt romano pontifici et huic inest plenitudo potestatis regendi universam Ecclesiam (n. 541 ss.), ita quidem ut non sit divisa inter ipsum et episcopos, et horum quaecunque potestas ipsius potestatem nullatenus imminuat; quare regimen ecclesiasticum manet pure monarchicum, quamvis singularis formae sit et paulum diversae ab eo, quo reguntur societates civiles.

503. **Corollarium II.** *Solus Petrus Ecclesiae caput.* — Merito damnavit Joannes XXII. hunc Marsilii patavini articulum: „B. Petrus non fuit plus caput Ecclesiae quam quilibet aliorum apostolorum, nec habuit plus auctoritatis, quam habuerunt alii apostoli: Christus nullum caput dimisit Ecclesiae, nec aliquem fecit vicarium suum.“ Merito quoque Innocentius X. reprobavit a. 1674 ut haereticum jansenianum figmentum Ecclesiae bicipitis. Hoc enim supponit Petrum et Paulum fuisse prorsus aequales et Paulum non minus quam Petrum Ecclesiae exstitisse primatem. Quod quidem universa antiquitas ignoravit, nec prudens unquam probabit posteritas. Si vero romani pontifices se auctoritate apostolorum Petri et Pauli uti et agere profitentur, non propterea significant utrumque aequaliter Ecclesiae praefuisse, sed tantum eadem se potiri auctoritate regendi Ecclesiam, qua praediti erant Petrus et Paulus, quae in Petro ordinaria, extraordinaria in Paulo fuit secundum dicta; vel illorum patrocinium invocant, cum ambo sint Ecclesiae romanae principes patroni. Nunquam tamen se profitentur Pauli successores, sed semper Petri, ejusque solius cathedrae heredes[3]).

---

[1]) Cf. Valentia in 2. 2. disp. 1. q. 1. puncto 7. § 28; Passaglia l. 2. c. 14; Cercià, de Eccl. sect. 2. lect. 14.

[2]) Cf. Bellarminus l. 1. c. 1 ss. de summo pontifice; Palmieri th. XVIII; Mazzella disp. 3. a. 8.

[3]) Discrimen inter Petrum et Paulum bene exprimitur in l. Sacramentorum

Caput III.

De romano pontifice Petri in primatu successore.

504. **Thesis LXXVI.** *„Quod autem in b. apostolo Petro princeps pastorum et pastor magnus ovium Dominus Christus Jesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem seculorum usque firma stabit, jugiter durare necesse est*[1]*.“*

Demonstratio. Thesis est de fide. Saepius enim Ecclesia saltem aequivalenter tradidit hanc veritatem atque contra omnis generis adversarios asseruit, novissime in concilio vaticano, ut patet ex verbis allatis et ex can., quem subjecit: „Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu jure divino, ut b. Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores, aut romanum pontificem non esse b. Petri in eodem primatu successorem, A. S.“ Suppositis autem **1.** b. Petri primatu, quem illi capite praec. asseruimus, iisque, quae de primatus necessitate diximus cap. 1, vix dubium esse poterit de primatus in Ecclesia perennitate. Si enim Christus ad servandam Ecclesiae unitatem jam apostolorum tempore primatum in Ecclesia esse voluit, cum is propter singulorum apostolorum infallibilitatem et omnis gratiae plenitudinem non adeo fuerit necessarius, quanto magis voluit subsequentibus seculis in uno ovili pastorem unum ad ejusdem unitatem efficiendam conservandamque.

505. Praeterea **2.** Matth. 16, 18 constituitur Petrus petra et fundamentum Ecclesiae non sensu tantum chronologico (n. 481), sed dynamico, fundamentum scil. quod virtute sua, proinde jugi influxu, Ecclesiam in unitate et firmitate sua continere debeat (n. 476) quodque propterea potestatis plenitudine clavium symbolo expressa, qua Ecclesia nunquam carere possit, sit instructum (n. 485). Atqui ejusmodi petrae et fundamenti munus tamdiu durare debet, quamdiu ipsa

---

Ecclesiae romanae (Migne 55, 56) praefationis verbis: „Qui ut hanc sedem (romanam) regimen Ecclesiae totius efficeres, et quod haec praedicasset ostenderes ubique servandum, simul in ea et apostolicae principem dignitatis et magistrum gentium collocasti.“ Ceterum jam Clemens VI. in ep. dogmatica ad armenos (apud Raynaldum ad a. 1351 n. 3) credendum exigit: „Si credis, quod b. Petrus plenissimam potestatem jurisdictionis acceperit super omnes fideles christianos a D. J. Christo, et quod omnis potestas jurisdictionis, quam in certis terris et provinciis et diversis partibus orbis specialiter et particulariter habuerunt Judas Thaddaeus et ceteri apostoli, subjecta fuerit plenissimae auctoritati et potestati, quam super quoscunque in Christum credentes in omnibus partibus orbis b. Petrus ab ipso D. J. Christo accepit: et quod nullus apostolus vel quicunque alius super omnes christianos nisi solus Petrus plenissimam potestatem accepit.“

[1]) Ita concilium vaticanum Sess. 4. cap. 2.

Ecclesia, scil. ad consummationem usque seculi. Manet ergo Petrus fundamentum et petra, consequenter primas Ecclesiae, non quidem in propria persona, sed in persona successorum suorum. Hinc **3.** solemnissima illa patrum doctrina, Petrum in accepta fortitudine petrae perseverare susceptaque Ecclesiae gubernacula non reliquisse[1]), etiamnum Ecclesiam in persona suorum successorum docere, regere, confirmare fratres etc. Quare patres in concilio chalcedonensi audita Leonis epistola in has proruperunt voces (act. 2): „Petrus per Leonem locutus est;“ quas repetierunt patres concilii VI. act. 18. dicentes: „Per Agathonem Petrus loquebatur;“ atque ideo Petrus Chrysologus ad Eutychen n. 2. scribit: „In omnibus hortamur te, frater honorabilis, ut his, quae a beatissimo papa romanae civitatis scripta sunt, obedienter attendas, quoniam b. Petrus, qui in propria sede et vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem.“ Ad haec **4.** omnia ministeria ordinata in jugem Ecclesiae utilitatem tamdiu durare debent, quamdiu manet Ecclesia; nam, ut ait Augustinus, „quod christiani sumus, propter nos est: quod autem praepositi sumus, propter vos est[2]).“ Atqui primatus maxime in Ecclesiae utilitatem fuit institutus, ut patet vel ex ipsis effatis, quibus eundem Petro collatum ostendimus: institutus enim fuit ad sustentandam Ecclesiam, confirmandos fratres ovesque dominicas pascendas; ideoque perennis censendus est. Quae omnia ita brevi complectimur argumento. Talis Ecclesia manere debet, qualem illam Christus instituit. Atqui eam ita instituit ut unus ei

---

[1]) Cf. s. Leo serm. 3. c. 3. Patrum effata adduximus opusc. X, 81 ss., quibus adde Coelestinum ep. 25 n. 9; Sergium Cyprium apud Hard. 3, 729; Hadrianum I. ep. ad Tarasium lecta in conc. nicaeno II. act. 2. apud Hard. 4, 102; cf. n. 579. Egregia quoque sunt, quae citatis verbis Christi Matth. 16, 18 s. subjicit Ignatius ep. CP. in ep. ad Nicolaum I. (Mig. 129, 60): »Tales beatas voces non secundum quandam utique sortem apostolorum principi solum circumscripsit et definivit (Christus), sed per eum ad omnes, qui post illum secundum ipsum efficiendi erant summi pastores et divinissimi sacrique pontifices senioris Romae, transmisit; et ideo ab olim et prisco tempore in exortis haeresibus et praevaricationibus eradicatores et interemptores malorum zizaniorum, et tabefactorum, et penitus insanabiliter aegrotantium membrorum, multi multoties facti sunt eorum, qui sanctitatem et summam paternitatem tuam illic praecesserunt; successores scilicet principis apostolorum, et illius zelum in fide, quae secundum Christum est imitantes.« Hinc liquet quo sensu liceat affirmare vel negare praerogativas b. Petro a Christo collatas fuisse personales. Fuerunt personales quatenus non erant communes aliis apostolis: fuerunt non personales, quatenus non concessae in ipsius utilitatem, sed in bonum Ecclesiae, neque ita affixae ejus personae, ut desinerent ipso moriente, debebant enim ex Christi voluntate transire in ejus successores.

[2]) L. seu serm. de pastore c. 1.

praesit. Ergo quamdiu Ecclesia durabit, praeesse unus ei debet. Quare verba Christi ad Petrum dicta verba sunt omnium temporum, praescindunt a certo tempore[1]), et Petrus gerit personam omnium suorum successorum, quos Christus in ipso alloquitur, sicut Christus Matth. 28, 19 allocutus est in apostolis episcoporum ordinem seriemque perennem. Ceterum **5.** haec veritas confirmatur practico antiquitatis suffragio, quae semper romanos pontifices habuit pro legitimis Petri in primatu successoribus.

506. **Thesis LXXVII.** ***B. Petri in primatu successores sunt romani episcopi, qui proinde ejus suprema auctoritate et praerogativis excellunt.***

Declaratio. Thesis est de fide, ut patet ex concilii vaticani sess. 4. cap. 2. et 4., quo renovatur professio fidei a Michaele Palaeologo in concilio lugdunensi II. oblata et definitio conc. florentini in decreto unionis graecorum[2]). Supponimus autem b. Petrum Romam venisse ibique esse mortuum. Quod factum historicum demonstratione non eget, cum monumentis omnigenis comprobetur et nonnisi sec. XIV. pro arbitrio a nonnullis in dubium fuerit vocatum. Hinc ipse Grotius scribit[3]): „Romae Petrum fuisse, nemo verus christianus dubitavit.“ Sane si illud neges, quidquid libuerit eodem jure negari poterit. Non solum autem **2.** Romam venit Petrus, verum etiam romanum episcopatum ad mortem usque tenuit, quod iisdem fere argumentis comprobatur. Immerito vero **3.** protestantes plures romanum Petri episcopatum propterea in dubium vocant, quod cohaerere sibi simul nequeant apostolatus et episcopatus. Nam haec opinio, quae gratis supponitur, ipso refellitur facto. Quare etiam patres nullam hac in re repugnantiam adverterunt, quippe qui tanto consensu docuerunt Petrum primum romanae sedis fuisse episcopum, quique referunt Jacobum apostolum fuisse primum episcopum hierosolymitanum.

507. **Demonstratio.** Romanum episcopum esse Petri in primatu successorem invicte comprobatur hoc argumento: Aut nullus est Petri in primatu successor, aut hic est romanus episcopus. Illud rejecimus thesi praecedenti. Ergo hoc est tenendum. Propositio autem disjunctiva major demonstratur ex historia ecclesiastica, quae evidentissime testatur, nullum unquam episcopum successionem in Petri primatu serio sibi vindicasse excepto episcopo romano, quod neque protestantes

---

[1]) Cf. Görres Die Triarier p. 100 ss., ubi inter alia praeclara animadvertit de verbis Christi: Er wird centrale, wurzelhafte, genetische Worte reden; Worte, die stammhaft eine ganze Descendenz in die Zukunft hinaus begründen, und ganz ideenhafter Art doch in Demuth sich uns als Begriffe geben. Solcher Art sind die Einsetzungsworte beim Nachtmahle gewesen; solcher Art auch die von dem Felsen, den Schlüsseln, dem Weiden der Heerde; und nun wundere man sich ferner noch, dass die Kirche so reichen Inhalt ihnen abgewonnen.

[2]) Cf. n. 564. 565 et can. n. 504.

[3]) Annot. in 1. Petr. 5, 13. Cf. Jungmann dissert. sel. in H. E. I. d. 1.

negare possunt. Ergo si ne hic quidem legitimus est successor, nullus erit successor, quod est contra thesim praecedentem. Ad haec **2.** „Petri successores, inquit Bossuet[1]), cum ordinandi fuerint, e coelo lapsuri non sunt, neque ad creandos eos, ubi opus fuerit, totam Ecclesiam citari commoverique oportebat. Necesse est ergo, aliqua ut sit Ecclesiae catholicae pars, ex qua exsistant aliique aliis subrogentur.“ Atqui nulla alia Ecclesia potest assignari excepta romana, cui praerogativa competat designandi Petri in primatu susseccorem: huic enim ut episcopus ad mortem usque praefuit Petrus, ideoque ipso facto et exercitio alligavit primatum. Merito proinde censetur is, qui in episcopatu romano ejus est successor, primatus quoque heres, praesertim cum nemo unquam reclamaverit, neque ullus alius sibi hanc praerogativam jure vel injuria vindicaverit.

508. Praetermisso **3.** theoretico majorum nostrorum consensu unanimi a primis Ecclesiae seculis, quem omnigena monumenta luculenter testantur[2]), provocamus tantum ad consensum practicum i. e. ad universam historiam ecclesiasticam, ad facta, quae clare demonstrant, quovis seculo non solum theoretice, sed etiam quod majoris est momenti, practice agnitum fuisse romani antistitis primatum in universam Ecclesiam. Talis autem consensus loco atque tempore universalis circa veritatem summi momenti atque fundamentalem, a qua tota pendet Ecclesiae constitutio atque natura, quae viguit in illa Ecclesia, cui promissa est assistentia s. Spiritus ducentis ipsam in omnem veritatem, nequit adscribi ignorantiae, fraudi, deceptioni, sed repetendus est ex ipso revelationis fonte. Quare credendum omnino est romanum praesulem Petri in primatu esse successorem. Sed jam ad facta, quae romani pontificis primatum testantur, veniamus.

Cum vero saepius utamur pontificum romanorum verbis, opponere quis posset, ipsorum testimonia hac in quaestione esse suspecta, cum loquantur in propria causa. Quominus id sentiamus, multa sunt quae impediunt. Et sane **1.** plurium romanorum pontificum praesertim antiquiorum epistolae, in quibus de suo primatu loquuntur, synodicae sunt, scil. non citra consensum approbationemque plurimorum episcoporum conscriptae, ut ostendit Coustant in praef. gener. ad epist. rom. pontificum p. 1. n. 33. Quare Julius I. in gravissima sua ep. 1. ad eusebianos n. 8. scribere potuit: „Necessum est vobis notum facere, etiamsi solus scripserim, non ideo mei solius, sed omnium episcoporum, qui in Italia sunt et qui in his partibus degunt, esse illam sententiam.“ Quae **2.** affirmant, plerumque probant adductis in medium Scripturae effatis vel antecessorum suorum

---

[1]) Defens. declar. cleri gall. l. 10. c. 5.

[2]) De quo satis constat ex tot effatis, quae passim hoc in tractatu compendiario exhibemus.

factis[1]). Ceterum **3.** ipsa confidentia, qua loquuntur, haud ultimum est indicium juris auctoritatisque ab omni fraude et usurpatione alienae[2]). Omnem quoque **4.** usurpationis suspicionem excludit nota loquentium doctrina et sanctitas, cum omnes ad a. 530 usque, Liberio excepto, inter sanctos ab Ecclesia numerentur. Quod vero **5.** maximum pontificum verbis pondus auctoritatemque adjicit, concentus est atque conspiratio aliorum, qui eodem tempore floruerunt, patrum: nihil enim est, quod sibi vindicent romani episcopi, quod non pariter a coaevis episcopis ipsis tribuatur, ut ex testimoniis afferendis manifesto patet. Merito proinde in quaestione primatus, praesertim cum agatur de ejusdem praerogativis et juribus, audiuntur et ipsi romani pontifices. Vere enim advertit ipse Bossuet l. c. l. 10. c. 6: „Audio quid dicant: Romanis pontificibus, sedis suae dignitatem commendantibus, in propria videlicet causa non esse credendum. Sed absit; pari enim jure dixerint, ne episcopis quidem aut presbyteris esse adhibendam fidem, cum sacerdotii sui honorem praedicant; quod contra est. Nam quibus Deus singularem honoris dignitatisque praerogativam contulit, iisdem inspirat verum de sua potestate sensum; ut ea in Domino, cum res poposcerit, libere et confidenter utantur, fiatque illud quod ait Paulus: *Accepimus Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis* (1. Cor. 2, 12). Quod quidem semel hic dicere placuit, ut temerariam ac pessimam responsionem confutarem; profiteorque me de sedis apostolicae majestate romanorum pontificum doctrinae et traditioni crediturum: quamquam eorum sedem non ipsi magis, quam reliqui ac tota Ecclesia, atque orientales haud minus quam occidentales praedicant.«

509. Romani episcopi primatum testantur **1.** tot *consultationes* ex quavis orbis plaga *ad sedem apostolicam missae,* ut patet ex plurimis epistolis, quae adhuc supersunt[3]), quibus speciminis gratia adde consultationem Dionysii alexandrini, qua de cujusdam baptismo Xystum II. († 258) consulit, ita ad eum scribens: „Profecto opus habeo, frater, consilio tuo et sententiam tuam expeto, ne forte ipse halluciner, tali ad me negotio delato,“ quod dein exponit[4]). Luculenta vero sunt haec Hieronymi de se referentis: „Cum in chartis ecclesiasticis juvarem Damasum romanae urbis episcopum, et Orientis Occidentisque synodicis consultationibus responderem etc.[5]).“

---

[1]) Cf. Bonifatius I. ep. 15. n. 6; Gelasius ep. 26. ad episc. Dardaniae (n. 514); Nicolaus I. ep. 8. ad Mich. imp.

[2]) Cf. Rothensee Der Primat des Papstes t. 1. praef. p. 14 ss.

[3]) Praestantiores edidimus opusc. XVII. XVIII. XXV. XXVI.

[4]) Apud Eusebium H. E. VII, 9.

[5]) Epist. 123 ad Agerruchiam n. 10. Expende hic quatuor: **1.** consultationis factum; **2.** ejus quoad locum amplitudinem, consulebant enim Damasum non solum romani vel itali, sed universim occidentales, imo et orientales; **3.** consulentium auctoritatem, consulebant enim non solum indocti de plebe, vel episcopi singulares, sed et synodi; **4.** consultationis frequentiam, de brevi enim illo tempore (382—384), quo Romae apud Damasum versabatur, loquitur

De Rufino Anastasium I. († 401) consuluit Joannes hierosolymitanus (a. 400 vel 401); ad episcopos Illyrici scribit Coelestinus (c. a. 425) ep. 3: »Inter ceteras curas et diversa negotia, quae ad nos ex cunctis veniunt semper ecclesiis, propensiorem nos etiam vestri sollicitudinem gerere... poteritis advertere.« Hujus vero facti rationem mox reddit: »Nos praecipue circa omnes constringimur, quibus necessitatem de omnibus tractandi Christus in s. Petro ap., cum illi claves aperiendi claudendique daret, indulsit.« Quid vero luculentius illis, quae legimus in literis synodi sardicensis (a. 343—44) ad Julium n. 1: »Hoc enim optimum et valde congruentissimum esse videbitur, si ad caput i. e. ad Petri apostoli sedem de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes? Quanti vero haec synodus fecerit romanae sedis primatum, liquet ex canonibus 3. 4. 5. al. 7. ab ea editis. Eandem etiam rationem reddit Possessor, episcopus afer, de Fausti rejensis libris ad Hormisdam recurrens (a. 520): »Decet et expedit, inquit ille, ad capitis recurrere medicamentum, quoties agitur de sanitate membrorum. Quis enim majorem circa subjectos sollicitudinem gerit, aut a quo magis nutantis fidei stabilitas expetenda, quam ab ejus sedis praeside, cujus primus a Christo rector audivit: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* (Matth. 16, 18)?«

510. Scimus equidem et alios episcopos vel viros scientia et sanctitate eminentes fuisse undique passim consultos in quaestionibus fidei et disciplinae, ex. gr. s. Augustinum, s. Basilium, s. Hieronymum et alios: sed non propterea hujus facti vis ad confirmandum pontificis primatum eliditur, imo potius illustratur atque roboratur. Nam eae consultationes erant, si ita fas est loqui, personales, consulebantur scil. hi episcopi propter insignem qua clarebant sapientiam: quae sapientia cum in eorum successores non transiret, ideo etiam consultationes morte ipsorum secuta cessabant; neque enim Basilii successor consulebatur ut ipse Basilius. Consulebantur deinde a singularibus, non ab integris synodis; responsa

---

sanctus Hieronymus. Cf. ejusdem s. doctoris ep. 15. 16. opusc. XI. ep. 2. 3, ubi plane luculentum consulationum specimen et in quaestione fidei et in negotio communionis ecclesiasticae reperies. Cujus occasione ita scribit auctor libr. Carolinorum l. 1. c. 6: »Mira res et magnis praedicanda praeconiis. Interrogat (scil. Hieronymus eum) a quo (Damaso) interrogatur, consulit a quo consulitur; qui magistrum se in interpretandis divinis Scripturis sentit, in causis fidei venerandi pontificis se discipulum minime erubescit; et cui sacrae legis quaestionum nexus enodat, utrum hypostasis dicere debeat quibusve in Oriente communicare efflagitat. Unde datur intelligi, sanctos et eruditos viros per diversas mundi partes praedicationis et scientiae lampade coruscantes non solum a sancta romana Ecclesia non recessisse, sed etiam tempore necessitatis ob fidei corroborationem ab ea adjutorium implorasse. Quod regulariter, ut praefati sumus et exemplis docuimus, omnes catholicae debent observare ecclesiae, ut ab ea post Christum ad muniendam fidem adjutorium petant, quae non habens maculam nec rugam et portentuosa haeresum capita calcat, et fidelium mentes in fide corroborat.« Cf. etiam Siricii ep. 1. ad Himerium tarracon. n. 1. 6; ep. 10. n. 2; Innocentii I. ep. 2. ad Victricium n. 6. 17. 24. 25. 26—31. 37; Bonifatii ep. 15. n. 1. etc.

vero dabant cum modestia, qua docere, non cum auctoritate, qua obligare vellent[1]). Praxis autem consulendi romanos episcopos, si tempus, si locum spectes, est universalis, est constans; si consulentium numerum vel dignitatem, est solemnis; si titulum, non innititur dotibus personalibus, sapientiae, prudentiae etc., plerique enim romani episcopi non claruerunt scriptis operibus scientiaque, sed innititur romanorum episcoporum muneri, quo sunt petra fidei, Ecclesiae fundamentum, unitatis centrum, quo debent pascere non solum agnos sed et oves, confirmare nutantes fratres. „Sicut a persona b. Petri apostoli, inquit Caesarius arelatensis ad Symmachum rationem reddens, quare ad illum in negotiis ecclesiasticis scribat (a. 513), episcopatus sumit initium, ita necesse est, ut disciplinis competentibus Sanctitas vestra singulis ecclesiis, quid observare debeant, evidenter ostendat[2]).“

511. Verum 2. non solum consulebant majores nostri sedem apostolicam, sed *ad eam recurrebant in negotiis ecclesiasticis,* ut episcopi romani pro suo munere et sollicitudine bono prospicerent sive ecclesiarum particularium sive universalis Ecclesiae. Hujus recursus testes sunt martyres lugdunenses, qui teste Eusebio H. E. V. 3 pro pace ecclesiarum Asiae erroribus Montani turbatarum apud Eleutherium (a. 177) legatione functi sunt. Testis est jam ante illos s. Polycarpus episcopus smyrnensis, quem non piguit ex remoto Oriente sub Aniceto

---

[1]) Comparentur patrum verba cum verbis Julii ep. 1. n. 22; Innocentii I. ad conc. milev. n. 1. et ad conc. carthag. n. 1; Zosimi ep. XII. n. 1. etc.; Siricii ad Himerium tarrac. n. 2. 3. 4. 11. 19. 20. opusc. XVII. et XVIII. Quo autem sensu pontificum responsa exciperent episcopi, liquet ex ep. episcoporum Tarracone congregatorum ad Hilarum (a. 465) infra n. 573.

[2]) Rationem cur consulenda sit cathedra romana, ita expressit Petrus Damianus opusc. 38. contra errorem graecorum de process. Spiritus s. scribens ad patriarcham quendam c. 1: „Laudabilis plane sanctitatis vestrae prudentia et digni favoris est attollenda praeconiis, quae solvendam s. Spiritus quaestionem non ad alium quempiam, sed ad Petrum specialiter (attulit), quem coelestis sapientiae et potentiae claves accepisse indubitanter agnoscit. Nec decebat tantae dignitatis et sapientiae virum ab alio mysterii coelestis arcana requirere, nisi ab illo potissimum, quem non caro potuit vel sanguis instruere, sed cui Deus ipse per se sua secreta dignatus est aperire. *Beatus es,* inquit, *Simon Bar-Jona, quia caro* etc. (Matth. 16, 17). Hunc enim prae ceteris mortalibus de toto terrarum orbe conditor orbis elegit, cui cathedram magisterii principaliter in Ecclesia tenere perpetuo privilegii jure concessit: ut quisquis divinum aliquid ac profundum nosse desiderat, ad hujus praeceptoris oraculum doctrinamque recurrat; nec illi humiliter offerre quod solvendum est erubescat, etiamsi et ipse quod quaeritur non ignorat. Numquid enim angelus de coelo veniens nesciebat docere Cornelium, quem videlicet, ut quid sibi agendum esset addisceret, destinavit ad Petrum? *Mitte,* inquit, *viros Joppen, et accersi Simonem, qui cognominatur Petrus. Hic hospitatur apud Simonem quendam coriarium, cui est domus juxta mare; hic dicet tibi quid te oporteat facere* (Act. 10, 5 s.). Poterat plane sanctus angelus hominem docere gentilem, quid sibi competeret ad salutem; sed hujus usurpare nolebat officium,

(157-168) propter nonnullas controversias Romam venire[1]). Testis est s. Cyprianus († 258), qui Stephanum rogat, ut literis ad episcopos Galliarum missis curet, ne Marcianus, arelatensis episcopus Novatiano addictus, necdum se abstentum (communione privatum) esse amplius glorietur, et ut aliis literiis in provinciam et ad plebem arelatensem scriptis, alterius episcopi electionem urgeat.

512. Testes sunt plurimi episcopi aegyptii in causa Athanasii ad Julium[2]) et Liberium[3]) scribentes (c. a. 352 vel 353); testis Basilius ep. 70. ad Damasum (c. a. 371), in qua tristissimum Orientis statum exponit atque subjicit: »Horumce malorum unicum esse remedium duximus vestrae commiserationis visitationem,« quam dein enixe efflagitat; qua de re etiam ita ad Athanasium scribit ep. 69 n. 1: »Nobis autem operae pretium esse visum est ad episcopum Romae scribere, ut res nostras invisat, et consilium dare, ut cum illinc communi ac synodico decreto aliquos mitti difficile sit, ipse hoc negotium suo marte aggrediatur (αὐτὸν αὐθεντῆσαι περὶ τὸ πρᾶγμα) eligens homines idoneos ad perferendos itineris labores, idoneos ad eos, qui apud nos perversi sunt, lenitate ac animi constantia corrigendos etc.;« testes sunt episcopi orientales, qui a Damaso († 384) Timothei, Apollinaris discipuli, damnationem postularunt[4]). Saepius episcopi africani recurrerunt ad Anastasium († 401) circa ordinandos, ut patet ex codice canonum ecclesiae africanae (cc. 56. 68), gratiasque agunt Domino (c. 65), »quod illi optimo ac sancto antistiti suo tam piam curam pro membris Christi, quamvis in diversitate terrarum, sed in una compage corporis constitutis, inspirare dignatus est.« Cum Augustinus coactus fuisset Antonium, quem fussalensem episcopum creaverat, propter scelera administratione privare suae ecclesiae isque Romam recurrisset, pulcherrima

---

cujus docendi noverat fuisse commissum.« Cf. Ratherius veronensis itinerarii n. 2. Migne 136, 582.

[1]) Eusebius l. c. V. 24; Hieronymus de viris ill. c. 17. Schmidt (Bibliothek für Kritik und Exegetik 2, 1) suspicatur: »Sie (Polycarpus et Hegesippus, qui pariter Romam venerat) hätten mit dem Bischof von Rom die Nothwendigkeit der Einheit und den Primat verabredet!«

[2]) Cf. opusc. XVII, 161. Etiam Hilarius fragm. IV. n. 2. testatur: »Quales literae ex Aegypto omni atque Alexandria ad Julium pridem de reddenda exsulanti Athanasio communione, tales nunc ad Liberum . . . datae sunt de tuenda.«

[3]) Qui non solum testatur 80 episcopos aegyptios ad se recurrisse pro Athanasio, verum etiam episcopos Ario faventes contra Athanasium, ita ad Constantinum (ep. 4. n. 2) scribens: »Satis omnibus clarum est, nec quisquam negat, nos orientalium literas (in quibus crimina contra Athanasium continebantur) intimasse, legisse ecclesiae, legisse concilio, atque haec etiam orientalibus respondisse, qui fidem et sententiam non commodavimus nostram, quod eodem tempore 80 episcoporum aegyptiorum de Athanasio sententia repugnabat, quam similiter recitavimus atque insinuavimus episcopis italis.«

[4]) Cf. Damasi ep. 14. n. 3, ubi illis scribit: »Quid igitur depositionem a me denuo postulatis, qui et hic judicio sedis apostolicae . . . depositus est una cum magistro suo Apollinario?« In hac vero ep. orientales vocat filios carissimos.

plane epistola (209) Coelestinum obtestatur (a. 423), ut subveniat hominibus ejus opem in Christi misericordia avidissime poscentibus. Juvenalis hierosolymitanus episcopus principatum ambiit in synodo Palaestinae provinciali. Illico Romam literas misit (a. 431) Cyrillus al. per Leonem tum archidiaconum Coelestino reddendas „sollicita prece multum exposcens, ut nulla illicitis conatibus (Romae) praeberetur assensio[1]).“ Archimandritae et monachi secundae Syriae ab eutychianis pessime habiti ad „sanctissimum et beatissimum universae orbis terrae patriarcham Hormisdam, continentem sedem principis apostolorum“ confugiunt (a. 517), quem „Christus Deus noster principem pastorum et doctorem et medicum animarum constituit[2]).“ Recurrunt vel ipsi episcopi schismatici et Nestorii fautores Eutherius thyanensis et Helladius tharsensis nomine plurimorum episcoporum ex utraque Cilicia, secunda Cappadocia, Bithynia, Thessalia et Thracia[3]) ad Xystum III. (a. 433), ut orbi adversus Cyrillum alex. praesertim succurrat, cum ipsorum sit, „ad eum clamare, qui a Deo productus est gubernator... tuae autem gratiae sapientiaeque est non despicere neque otiose transcurrere hujusmodi quaestionem; sed... emendationem imponere cum tota constantia et Deo dilecta fiducia.“ „Rogamus vero, scribunt n. 12, et sanctis tuae religiositatis pedibus provolvimur, ut manum porrigas salutarem et auferas mundi naufragium, omniumque horum inquisitionem jubeas fieri et his illicitis coelestem superduci correctionem, ut revocentur quidem sancti pastores etc.“ „Et olim siquidem, inquiunt rationem postulationis reddentes, saepius jam ex Alexandria hujusmodi haereticis zizaniis insurgentibus suffecit vestra apostolica sedes per universum tempus illud ad mendacium convincendum impietatemque reprimendam, et corrigenda quae necessarium fuit muniendumque orbem terrarum ad gloriam Christi tam sub illo ter beato et inter sanctos habendo episcopo Damaso, quam sub pluribus aliis gloriosis atque admirabilibus[4]).“

513. *Ad hanc sedem,* „in qua semper catholicis subvenitur[5])“, provocarunt **3.** et *appellarunt episcopi Orientis Occidentisque* afflicti, depositi vel sede sua pulsi, ut Basilides et Martialis Legionis et

---

[1]) S. Leo ep. 190 ad Maximum ant. n. 4. [2]) Ep. 39 ed. Thiel.

[3]) Ep. 4. inter ep. Xysti. Favebant isti Nestorio et aversabantur synodum ephesinam. Graviter autem commovebantur, quod eorum velut dux et caput Joannes antiochenus pacem iniisset cum Cyrillo alex. ac proin cum Ecclesia catholica, cujus hic causam tuebatur. Cyrillum autem respiciunt, cum loquuntur de zizaniis haereticis Alexandriae obortis.

[4]) Ad rem autem advertit Coustantius in annot.: »Hic notatu digna videtur ea in tota Nestorii causa festinatio, qua Nestorius ipse, Cyrillus, Joannes (antiochenus) ac socii, Eutherius ac reliqui episcopi cum iis consentientes h. e. haeretici, catholici, schismatici seu a schismate discedentes seu in eodem pertinaces, apostolicae sedis praesulem antevenire ac sibi conciliare contenderunt. Simile quidpiam in Joannis Chrysostomi causa contigisse ex iis, quae in notitia epistolarum non exstantium Innocentii collegimus, probatur.“

[5]) Coelestinus ep. 14. ad clerum et populum constant. n. 7. Cf. Albertus ab. ep. 13. Mig. 136, 439.

Asturicae in Hispania episcopi [1]) a concilio provinciali depositi (c. a. 251); Sabinus et Felix, qui in locum Basilidis et Martialis depositorum ordinati pariter Romam recurrerunt, tum ut mendacia Basilidis coram refellerent, tum etiam ut auctoritate sedis apostolicae contumaces contemptores compescerentur; Privatus lambesitanus (c. a. 250) a concilio 90 episcoporum damnatus [2]); Athanasius et Petrus alexandrini antistites, qui „quasi ad tutissimum communionis suae portum Romam confugerant [3])" et „hujus sedis auxilium postularunt [4])."

514. Confugit (a. 404) Chrysostomus [5]) ad Innocentium I; confugit (a. 449) Theodoretus in concilio ephesino a Dioscoro depositus, et confugit quidem tum in causa universalis Ecclesiae et in propria: pro illa scribens ad Leonem post Ecclesiae romanae laudes: »Nos spiritualem sapientiam tuam admirati Spiritus s. gratiam, quae per vos locuta est (in epistola ad Flavianum), laudibus extulimus, rogamusque et obsecramus et precamur et supplices oramus Sanctitatem tuam, ut tempestate jactatis Dei ecclesiis opem ferat.« Mox transiens ad causam propriam exposita ferali tragoedia ephesina ita prosequitur: »At ego apostolicae vestrae sedis exspecto sententiam, et oro atque obtestor Sanctitatem tuam, ut mihi ad rectum ac justum tribunal vestrum provocanti [6]) opem ferat, jubeatque ad vos venire et doctrinam meam apostolicis vestigiis inhaerentem ostendere... Ante omnia ut a vobis docear oro, an me oporteat in hac injusta depositione acquiescere an non, vestram enim sententiam exspecto. Quod si in judicatis manere me jusseritis, manebo, neque ulli hominum deinceps molestus ero, sed rectum Dei Salvatorisque nostri judicium exspectabo etc. [7]).« Ita doctissimus Theodoretus. Confugit denuo episcopus

---

[1]) Cf. s. Cyprianus ep. 67.

[2]) Cf. ep. cleri romani ad s. Cyprianum inter hujus ep. 36.

[3]) Hieronymus ep. 127 n. 5. [4]) Bonifatius I. ep. 15 n. 6.

[5]) Cf. epist. Chrysostomi ad Innocentium, dialogum Palladii de ejus vita; Coustantius in notitia epist. non exstantium, quae ad Innocentium attinent n. 12 ss., Thomassinus diss. 7. in concilia.

[6]) Graece: μοι τὸ ὀρθὸν ὑμῶν καὶ δίκαιον ἐπικαλουμένῳ κριτήριον, quibus verissimi nominis appellationem a concilio ephesino ad sedem apostolicam significari ostendunt Ballerinii in observ. ad diss. 10. Quesnelli in s. Leonem.

[7]) Epist. 113 inter ep. Theodor. Ita vero ad Renatum presb. romanum ep. 116 scribit: »Oro sanctitatem tuam ss. et bb. archiepiscopo (Leoni) persuadeat, ut apostolica potestate utatur (τῇ ἀποστολικῇ χρήσασθαι ἐξουσίᾳ) et ad concilium vestrum advolare praecipiat. Habet enim ss. illa sedes ecclesiarum, quae in toto sunt orbe, principatum multis nominibus (τὴν ἡγεμονίαν διὰ πολλὰ), atque hoc ante omnia, quod ab haeretica tabe immunis mansit, nec ullus contraria sentiens in illa sedit, sed apostolicam gratiam integram conservavit. Quae a vobis fuerint judicata, in his, qualiacunque ea erunt, judicii vestri aequitati confidentes acquiescemus etc.« Neque frustra confugisse Theodoretum ad sedem apostolicam patet ex actis concilii chalcedonensis, ubi disserte legimus, ss. archiepiscopum Leonem ei restituisse episcopatum. Ipse s. Leo ita ep. 10. ad episc. per prov.

constantinopolitanae ecclesiae, quae alioquin alterum post sedem romanam gradum ambiebat, Flavianus, a Dioscoro, episcopo alexandrino, eadem occasione cum Theodoreto in conciliabulo ephesino depositus (a. 449), ut testatur Liberatus[1]); „Flavianus contra se prolata sententia, per ejus legatos sedem apostolicam appellavit libello;“ et Valentinianus imperator in ep. ad Theodosium[2]) rationem simul appellationis aperiens: „Debemus, inquit, dignitatem propriae venerationis b. apostolo Petro intemeratam et in nostris temporibus conservare, quatenus bb. romanae civitatis episcopus, cui principatum sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de fide et sacerdotibus judicare... Hujus enim rei gratia secundum solemnitatem seu morem conciliorum constantinopolitanus episcopus eum per libellos appellavit[3]).“ Plura facta refert Gelasius I. in commonitorio ad Faustum magistrum legationis fungentem officio Constantinopoli (a. 493). „Ipsi sunt canones, ita ille, qui appellationes totius Ecclesiae ad hujus sedis examen voluere deferri: ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt; ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium, nec de ejus unquam praeceperunt judicio judicari, sententiamque illius constituerunt non oportere

---

viennens. c. 1. scribit: „Nobiscum vestra fraternitas recognoscat, apostolicam sedem pro sui reverentia a vestrae etiam provinciae sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam et per diversarum, quemadmodum vetus consuetudo poscebat, appellationem causarum aut retractata aut confirmata fuisse judicia.“

[1]) In Breviario c. 12. [2]) Inter ep. s. Leonis 55.

[3]) Cf. ejusdem ep. ad Pulcheriam 58. et plura ap. Ballerinios in observat. ad diss. 8. Quesnelli; Lupum opp. t. 8. Appellationis ipsius libellum recentissime ab Amelli repertum cf. in Zeitschr. für kath. Theologie und Philosophie, Innsbruck 1883. p. 193. Ad haec facta respiciens Gelasius ita ad episcopos Dardaniae (ep. 26. quae tota huc spectat) scribere potuit n. 5: „Sed nec illa praeterimus, quod apostolica sedes frequenter, uti dictum est, more majorum etiam sine ulla synodo praecedente et absolvendi, quos synodus inique damnaverat, et damnandi nulla exsistente synodo, quos oportuit, habuerit facultatem. Sanctae memoriae quippe Athanasium synodus orientalis addixerat (damnaverat, deposuerat), quem tamen exceptum sedes apostolica, quia damnationi graecorum non consensit, absolvit. S. memoriae nihilominus Joannem (Chrysostomum) constantinopolitanum synodus etiam catholicorum praesulum certe damnarat, quem simili modo sedes apostolica etiam sola, quia non consensit, absolvit; itemque s. m. Flavianum pontificum (*al. additur* graecorum) congregatione damnatum pari tenore, quoniam sola sedes apostolica non consensit, absolvit, potiusque qui illic receptus fuerat, Dioscorum secundae sedis (alexandrinae) praesulem sua auctoritate damnavit, et impiam synodum non consentiendo submovit, ac pro veritate ut synodus chalcedonensis fieret, sola decrevit (*quae modo sequuntur desunt in cod. veron.*), in qua pontificibus innumeris, qui latrocinio corruerunt ephesino, veniam poscentibus sola concessit, et in sua perfidia permanentes nihilominus sua auctoritate prostravit; quam congregatio, quae illic pro veritate reparanda collecta fuerat, est secuta; quoniam sicut id, quod prima sedes non probaverat, constare non potuit, sic quod illa censuit judicandum, Ecclesia tota suscepit.“ Cf. Ratherius veron. praeloq. l. 4. n. 4. (Migne 136, 251).

dissolvi, cujus potius decreta sequenda mandarunt. In hac ipsa causa Timotheus alexandrinus et Petrus antiochenus, Petrus, Paulus, Joannes et ceteri, non solum unus, sed plures utique nomen sacerdotii praeferentes, sola sedis apostolicae sunt auctoritate dejecti... Quod utique sicut apostolicam sedem juxta formam synodicam fecisse manifestum est, sic neminem resultare potuisse certissimum (ep. 10 n. 5).«

515. *Neque frustra* **4.** *episcopi ad sedem apostolicam confugerunt,* ut patet ex plerisque factis, quorum meminimus; liquet quoque ex iis, quae refert Sozomenus[1]), qui plurium episcoporum ab arianis sede pulsorum facta mentione ita prosequitur: „Episcopus igitur romanus (Julius), cum singulorum causas cognovisset omnesque in nicaenae fidei doctrinam consentientes reperisset, tamquam idem cum ipso sentientes in communionem recepit. Et quoniam propter sedis dignitatem omnium cura ad ipsum spectabat[2]), suam cuique ecclesiam restituit.“ Liquet ex iis, quae narrat Basilius ep. 263 de Eustathio in Oriente quidem deposito, qui tamen confugit ad Liberium, a quo „epistolam attulit, quae eum restituebat, eaque ostensa concilio thyanensi in suum locum restitutus est.“

516. Saepe vero **5.** in ejusmodi causis *romani pontifices* non solum *episcopos* sua sede pulsos, sed et ipsos judices *ad suum citant tribunal* ad reddendam rationem, conditionesque praescribunt ad declinandam sententiam sive jam latam sive ferendam. Sic teste Theodoreto[3]), „Julius ecclesiasticam sequens regulam et ipsos (eusebianos) Romam venire jussit (ἐκέλευσε) et divino Athanasio ad judicium diem dixit (εἰς τὴν δίκην ἐκάλεσε). Qui simul ac citationem (τὴν κλῆσιν) accepit, in viam quam primum se dedit (a. 341) etc.“ Cum Theophilus alexandrinus episcopus per summam injuriam s. Joannem Chrysostomum deposuisset isque Innocentii implorasset auxilium, romanus pontifex illum literis ad eum datis (a. 404) ita compellat: „Tu igitur, si judicio confidis, siste te ad synodum, quae secundum Christum fuerit, et ibi expositis criminationibus sub testibus nicaeni concilii canonibus . . . securitatem habebis contradictionis expertem[4]).“ Refert quoque

---

[1]) H. E. III, 8; similia habet Socrates H. E. II, 15.

[2]) Graece: οἷα δὲ τῆς πάντων κηδεμονίας αὐτῷ προσηκούσης διὰ τὴν ἀξίαν τοῦ θρόνου ἑκάστῳ τὴν ἰδίαν Ἐκκλησίαν ἀπέδωκε.

[3]) H. E. III, 4. Huc referri possunt quae de episcopis macedonianis referunt Socrates IV, 12. et Sozomenus VI, 10.

[4]) Ep. V. Cf. quoque ep. 19. Innocentii ad Alexandrum antiochenum ep., qui miserat legationem ad Innocentium pro ejus impetranda communione. „Sollicitus inquisivi (a legatis), rescribit Innocentius, utrum omnibus esset conditionibus satisfactum in causa beati et vere Deo digni sacerdotis Joannis. Et cum per singula assertio legatorum ex voto completa esse fateretur, gratias agens Domino

Palladius, Chrysostomi discipulus, in dialogo de ejus vita, Theophilum sancti Chrysostomi depositionem Innocentio literis significasse. „Eas literas cum legisset b. Innocentius . . . exhorruit temeritatem fastumque Theophili, aegre ferens et quod solus scripserat et quod rei totius seriem referre omiserat etc.“ Ad Chrysostomum vero scripsit eodem teste, „et Theophili judicium cassum atque irritum esse decrevit, dicens oportere conflari aliam irreprehensibilem synodum orientalium et occidentalium sacerdotum.“

517. Damnaverat Flavianus Eutychen (a. 448); Eutyches Romam appellat; quapropter Leo I. illi scribens[1]) de ejus silentio conqueritur additque: „Facti tui volumus nosse rationem et usque ad nostram notitiam cuncta deferri;“ atque iterum postulat ab eo, ut sibi „plenissime et lucide universa, quod ante facere debuit, indicare festinet.“ Eadem scribit[2]) ad imperatorem conquerens iterum de Flaviani silentio, „quod ea, quae in tanta causa gesta fuerant, etiam nunc silentio detineret, cum studere debuerit primitus nobis cuncta reserare.“ Quibus excitus Flavianus judicii acta ad Leonem transmittit epistolam suam ita absolvens[3]): „Commotus igitur, sanctissime pater, ob omnia, quae ausus est, et propter ea, quae adversus nos sanctissimamque Ecclesiam facta sunt atque fiunt, solita fiducia utere, sicut sacerdotio convenit, et vindicans communem rem sanctarumque ecclesiarum compositionem dignare per proprias quidem literas suffragari depositioni canonice adversus eum factae: confirmare vero et piissimi Christumque amantis nostri imperatoris fidem. Res namque solo indiget ex vobis impulsu atque subsidio, quod per vestram prudentiam ad tranquillitatem et pacem cuncta statim translaturum est. Sic enim et quae insurrexit haeresis et ob eam excitatus tumultus facile cessabit Deo cooperante per vestras ss. literas: prohibebitur vero et quae evulgatur futura esse synodus, ut ne sanctissimae totius orbis ecclesiae perturbentur.“ Cum plures episcopi, qui latrocinio ephesino interfuerant, poenitentiam egissent atque Leonis communionem flagitassent, ita pro auctoritate statuit s. pontifex: „Quorum desideriis sic praebemus effectum, ut correctis et quae male sunt facta propria subscriptione damnantibus, participata nostrorum quos misimus cura cum supradicto episcopo (Anatolio) pacis gratia tribuatur[4]).“ Praetermissis vero iis, quae Simplicius pon-

---

communionem ecclesiae vestrae ita recepi, ut prae me feram, apostolicae sedis condiscipulos primos dedisse ceteris viam pacis etc.« In illa ep. offert etiam Acacio Beroeae episcopo pacem, modo et eadem praestet. Quod clarius etiam colligitur ex ep. 21. ad Acacium ipsum, in qua conditiones recipiendae communionis praescribit. Magni pariter momenti sunt in hac re epistolae 22. et 23; ep. Hormisdae ad Joan. ep. nicopolit. (7. 8); et Bonifatii ep. 15. n. 6. opusc. XVIII, 174 ss.

[1]) Ep. 23 al. 20. [2]) Ep. 24 al. 28. [3]) Inter ep. Leonis 26.

[4]) Ep. 79 al. 59 n. 2. Cf. Leonis ep. 81—95, in quarum prima ad Anatolium ep. constantinop. iterum conditiones praescribit, sub quibus episcopi illi lapsi ab ipso et apostolicae sedis legatis recipi possint, cum hac tamen (c. 2) reservatione: „De his autem, qui in hac causa gravius peccavere . . . horum si satisfactio talis accedit, quae non refutanda videatur, maturioribus apostolicae

tifex laetabundus Acacio CP. episcopo refert (a. 478) de adimpletis a Timotheo alexandrino conditionibus praescriptis pro impetranda venia et sedis apostolicae communione (ep. 11.), sufficiat provocasse ad tot Gelasii (492—496) epistolas[1]), quibus Orientis episcopis conditiones praescribit adimplendas pro impetranda venia ob schisma acacianum et restituenda communione: quas cum demum sub Hormisda adimplessent, nonnisi ab hoc pontifice veniam impetrarunt et pacem.

518. Quapropter **6.** *illi, quorum fides in suspicionem adducebatur, solliciti fuere, ut se purgarent apud Petri cathedram.* Ita Origenes teste Eusebio[2]) „ad Fabianum romanae urbis episcopum († 250) et ad complures alios ecclesiarum antistites de recta fidei suae ratione epistolas scripsit (περὶ τῆς κάτ' αὐτὸν ὀρθοδοξίας),“ quae significantius expressit Hieronymus[3]): „Ipse Origenes in epistola, quam scribit ad Fabianum romanae urbis episcopum, poenitentiam agit, cur talia scripserit, et causam temeritatis in Ambrosium refert, quod secreto edita in publicum protulerit.“ Majoris tamen momenti est Dionysii alexandrini apud sedem apostolicam purgatio (c. a. 262), cujus luculentus testis est Athanasius[4]), Nam „cum Dionysius episcopus . . . contra Sabellii haeresim ad Ammonium et Euphranorem studio religionis per-

---

sedis consiliis reservetur, ut examinatis omnibus atque perpensis de ipsis eorum actionibus, quid constitui debeat, aestimetur.« Et c. 3: „Si de aliquibus amplius fuerit deliberandum, celeriter ad nos relatio dirigatur, ut pertractata qualitate causarum, nostra quid observari debeat, sollicitudo constituat.« Hinc est, quod Leonis legati ad concilium chalcedonense in sententia damnationis contra Dioscorum prolata dixerunt: „Illis quidem, qui scil. ei consenserant in conciliabulo ephesino, sedes apostolica veniam tribuit, quia contra votum gessisse, quae peracta sunt, approbantur.« Consulantur quoque quae Coelestinus Cyrillo alex. praescribit (ep. 17. n. 4) de iis, quos ille circa catholicam fidem suspectos habebat; ep. 18. Hadriani II. ad Ignatium ep. CP. (Migne 122, 1284); ep. 19. ad Basilium imp. (ib. 1287); epistolae Ignatii et Basilii imp. ad Hadrianum II. in causa eorum, qui a Photio ordinati fuerant (Mig. 129, 191 ss.); ep. Styliani ad Stephanum V. cum hujus responso (a. 888 ib. 787).

[1]) In epistola 1. seu tractatu contra Acacii propugnatores, quem alii Felici III. ejus praecessori tribuunt, haec, quae multorum instar sunt, scribit n. 9: „Qui tamen alexandrinus antistes (Petrus Mongus), etiamsi pravitate damnata eum (Acacium) recipiendum esse judicaret, non prius hoc faceret, quam ad sedem apostolicam retulisset. Docent hoc catholici gesta Timothei (episcopi alex.) aliorumque exempla multorum, qui acceptis libellis haereticorum, in quibus veterem se damnare profitentur errorem, non prius receptionem eorum communionemque confirmant, quam ad hanc sedem satisfacientium gesta dirigerent, atque hinc poscerent, sicut factum est, debere firmari.« Mig. 58, 949.

[2]) H. E. VI, 36; c. 14. refert Originem sub Zephyrino Romam esse profectum ad invisendam τὴν ἀρχαιοτάτην (utique non aetate sed auctoritate) ῥωμαίων ἐκκλησίαν.

[3]) Ep. 84. al. 64. n. 10. [4]) De sent. Dyon. n. 13.

motus scripsisset, quidam ex Ecclesia fratres sanae quidem doctrinae homines, non sciscitati tamen eum, qua de causa ita scripsisset, Romam se contulere illumque apud cognominem Dionysium romanum episcopum accusarunt. Quibus ille auditis . . . misit quoque ad Dionysium literas, ut indicaret, qua de re accusatus ab illis fuisset. Ille vero quam primum sui purgandi causa libros edidit, quos inscripsit ‚Elenchus' et ‚Apologia'."

519. Fidei suae rationem reddidit (a. 342) apud Julium Marcellus ancyranus. „Cum nonnulli ex iis, ita ille in sua ep. n. 1, qui quod recte non crederent, antea condemnati sunt quique a me in nicaena synodo convicti sunt, contra me ad pietatem tuam scribere non dubitaverint, me nec recte neque secundum Ecclesiae doctrinam sentire, crimen suum in me nitentes transferre: propterea necessario mihi Romam veniendum et commonendum putavi, qui eos, qui contra me scripserunt accerseres: ut cum advenissent, de duobus a me convincerentur etc." Ita apud eundem pontificem purgare se nisi sunt Valens et Ursacius (a. 349), Vitalis presbyter antiochenus (a. 378) apud Damasum[1]); Rufinus aquilejensis[2]) apologia missa ad Anastasium (a. 400); Victricius rotomagensis ob scelus sibi imputatum (ante a. 404) apud Innocentium I.; Bachiarius monachus (sec. V.) oblato pontifici Urbis adversum querulos et infamatores fidei libello, in quo illum n. 2. ita alloquitur: „Non moremur fidei nostrae regulam beatitudini tuae, qui artifex es ipsius aedificii, demonstrare."

520. Imo 7. ipsi *haeretici admodum solliciti fuerunt retinendae vel recuperandae communionis cum sede apostolica*, „a qua se quisquis abscidit, fit christianae religionis extorris, cum in eadem non coeperit esse compage[3])." Romam confugit (a. 142) Marcion teste Epiphanio[4]); confugerunt montanistae, atque hypocrisi sua literas pacificas extorsisse videntur a pontifice, qui eas tamen Praxea suadente revocavit[5]); confugerunt socii in schismate Felicissimi, de quibus ad Cornelium scribit (a. 252) Cyprianus ep. 55 n. 14: „Post ista (scelera, quae recensuerat) adhuc insuper pseudoepiscopo sibi ab haereticis constituto navigare audent et ad Petri cathedram atque ad

---

[1]) Cf. Greg. nazianzenum ep. 102. ad Cledonium 2.

[2]) Cf. Paulinum nolanum ep. 37. Ex ep. 18. Innocentii I. discimus quosdam etiam romani pontificis literas finxisse, ut a judicibus, qui ipsos damnaverant, absolverentur.

[3]) Bonifatius I. ep. 14. n. 1. [4]) Haer. 42. n. 1.

[5]) Ut refert Tertullianus ita scribens c. Praxeam c. 1: „Nam idem (Praxeas) hunc episcopum romanum (probabiliter Victorem 183—202) agnoscentem jam prophetias Montani, Priscae, Maximillae, et ex ea agnitione pacem Ecclesiae Asiae et Phrygiae inferentem falsa de ipsis prophetis et ecclesiis eorum asseverando et praecessorum ejus (Soteris et Aniceti) auctoritates defendendo coegit et literas pacis revocare jam emissas, et a proposito recipiendorum charismatum concessare."

Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et profanis literas ferre nec cogitare eos esse romanos, quorum fides Apostolo praedicante (Rom. 1, 8) laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum."

521. De donatistis legantur, quae refert Optatus milevitanus II, 4; de arianis[1]) satis erit in mentem revocare, quae egerint sive fraudibus sive aperta vi, ut Liberium (352—366) in suam traherent sententiam[2]). Romam confugisse Priscillianum († 385) cum suis testatur Sulpicius Severus[3]); de Pelagio et Coelestio testes habemus libellos, quos romano pontifici obtulere; et Coelestius quidem (a. 417) in suo profitetur: „Ea, quae de prophetarum et apostolorum fonte suscepimus, vestri apostolatus offerimus probanda esse judicio, ut si forte ut hominibus quispiam ignorantiae error obrepsit, vestra sententia corrigatur." Nestorium quoque sollicitum fuisse de communione cum sede apostolica, probant ejus ad Coelestinum epistolae (a. 430). Eutyches ad Leonem appellans profitetur se omnibus modis secuturum, quae pontifex probasset[4]). Posteriorum haereticorum gesta fraudesque praetermittimus.

522. Vel ipsi 8. *imperatores* non solum solemnibus formulis in publicis instrumentis *sedis romanae primatum agnovere,* verum etiam factis; nam consensus in fide et communione cum hac cathedra ipsis erat norma, secundum quam dijudicarent, quinam catholici essent, quinam a vera Ecclesia extorres. Ita Gratianus, Valentinianus et Theodosius (a. 390) edicto de fide catholica ad populum constantinopolitanum statuunt[5]): „Cunctos populos, quos clementiae nostrae regit temperamentum, in tali volumus religione versari, quam divinum Petrum apostolum tradidisse romanis, religio usque ad nunc ab ipso insinuata declarat, quamque pontificem Damasum sequi claret, et Petrum Alexandriae episcopum, virum apostolicae sanctitatis: ut secundum apostolicam disciplinam evangelicamque doctrinam, Patris et Filii et Spiritus s. unam deitatem sub parili majestate et sub pia trinitate credamus. Hanc legem sequentes christianorum catholicorum nomen

---

[1]) Cf. etiam Hieronymus ep. 15. ad Damasum n. 5, qui ep. seq. n. 2. Vitalis, Apollinaris discipuli, sollicitudinem testatur in jactanda sedis romanae communione.

[2]) Cf. quoque Ammianum Marcellinum, qui de Constantio urgente Liberium, ut in damnationem Athanasii consentiret, scribit (15, 7): »Id enim (damnationem scil. Athanasii) licet impletum sciret, tamen auctoritate quoque qua potioris aeternae urbis episcopi firmari desiderio nitebatur ardenti.« Cf. Athanasium hist. arian. ad mon. n. 35. 37; Theodoretum H. E. l. 2. c. 16; ep. 4. Liberii n. 2. 4. etc.

[3]) Hist. sacrae l. 2. n. 16.

[4]) Ita ipse ep. 21. inter ep. Leonis post 22. Nov. 448. Cf. observationes Ballerini fratrum in diss. 7. Quesnelli.

[5]) Cod. theod. I. 16. tit. 1. leg. 2.

jubemus amplecti; reliquos vero dementes vesanosque judicantes, haeretici dogmatis infamia sustinere, nec conciliabula eorum ecclesiarum nomen accipere etc."

523. Eadem regula usus statuit Gratianus[1]), „ut qui in exsilium ejecti fuerant, redirent suisque gregibus restituerentur, atque aedes sacrae iis traderentur, qui Damasi communionem amplecterentur." Quid quod ipsi imperatores gentiles exstiterint testes hujus inter christianos vulgatae opinionis et methodi, non alios censendos esse membra Ecclesiae Christi, quam qui communione fruerentur episcopi romani, ut Aurelianus (c. a. 272)? „Cum enim Paulus (samosatenus a synodo antiochena depositus) e domo ecclesiae nullatenus excedere vellet, interpellatus imperator Aurelianus rectissime hoc negotium dijudicavit, iis domum tradi praecipiens, quibus italici christianae religionis antistites et romanus episcopus scriberent[2])." Hinc illud Justiniani imp. studium uniendi cum sede apostolica omnes sui imperii fideles, cujus testes sunt ejusdem ad Joannem pontificem literae (a. 533): „Reddentes honorem apostolicae sedi, inquit[3]), et vestrae Sanctitati (quod semper nobis in voto et fuit et est), et ut decet patrem honorantes vestram Beatitudinem, omnia quae ad ecclesiarum statum pertinent, festinavimus ad notitiam deferre vestrae apostolicae sedis et statum sanctarum Dei ecclesiarum custodire, qui hactenus obtinet et incommote permanet, nulla intercedente contrarietate. Ideoque omnes sacerdotes universi orientalis tractus et subjicere et unire sedi vestrae sanctitatis properavimus. In praesenti ergo quae commota sunt (quamvis manifesta et indubitata sint, et secundum apostolicae vestrae sedis doctrinam ab omnibus semper sacerdotibus firma custodita et praedicata), necessarium duximus, ut ad notitiam vestrae Sanctitatis perveniant. Nec enim patimur quidquam, quod ad ecclesiarum statum pertinet, quamvis manifestum et indubitatum sit quod movetur, ut non etiam vestrae innotescat Sanctitati, quae est caput omnium sanctarum ecclesiarum."

524. Ad haec **9.** *romanae sedis primatus effulget in haeresum damnatione,* in qua primae potioresque partes obtigerunt illius praesulibus. Nam, ut scribit Petrus cellensis[4]), „haec sedes Petri i. e. petra, in qua Moyses residet, videlicet lex Dei immaculata convertens animas, fragosa quaeque haereticorum conciliabula elidit et allidit, profanas vocum novitates resecat et rescindit, superflua confodit et jugulat, hiantia et ecliptica complet et illustrat." Ita Victoris nutu[5]) plura

---

[1]) Theodoretus H. E. V, 2. [2]) Ita Eusebius H. E. VII, 30.

[3]) Cod. justin. l. 1. t. 1; cf. Valentiani constit. inter ep. s. Leonis 11.

[4]) L. 2. ep. 171 (Mig. 202, 616).

[5]) Id diserte testatur apud Eusebium V, 24 Polycrates de synodo a se celebrata. „Possem etiam, scribit ipse ad Victorem, episcoporum, qui mecum sunt, facere mentionem, quos cum a me convocari petiissetis, convocavi." Unde idem conjicere licebit de aliis synodis, tum quia tot synodi de eodem argumento eodemque tempore celebratae fuere, tum quia omnes literas ad eundem praesulem dederunt. Cf. Eusebium H. E. V, 23 s. et Coustantium in diss. de controversia circa Pascha.

habita fuere concilia (c. a. 196), in quibus quaestio tractata fuit de tempore celebrandi paschatis; ipse quartodecimanorum errorem damnavit ejusque sententiam postmodum amplexa est synodus nicaena; ipse Theodotum coriarium a communione removit[1]). Ita in damnatione rebaptizantium praecelluit[2]) atque praevaluit Stephanus (a. 266). Montanistarum rigorem, imo potius crudelitatem, qua gravium criminum reis veniam omnem negarunt, ecclesia romana reprobavit. Huc haud immerito referri potest sententia probabiliter Zephyrini (202—219), de qua non citra ironiam scribit Tertullianus[3]): „Audio edictum esse propositum et quidem peremptorium; pontifex scil. maximus, quod est episcopus episcoporum, edicit: Ego et moechiae et fornicationis delicta poenitentia functis dimitto."

525. Cathedra Petri »nefandi erroris (pelagiani) capita mucrone apostolico percussit« et »ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium (scil. episcoporum per orbem) armavit[4]):« quatenus scil. Zosimus omnibus praescripsit episcopis, ut epistolam suam, quae Tractoria dicebatur, qua Coelestius Pelagiusque damnati sunt, manu propria subscriberent. Neque contenti fuerunt romani praesules tantum damnare pelagianorum errores, sed etiam populos hujus haeresis veneno infectos curare satagebant. Quapropter cum Coelestinus audisset, Agricolam quendam Hiberniae ecclesias perversum hoc dogma docere, »actione Paladii diaconi Germanum antisiodorensem episcopum vice sua mittit, ut deturbatis haereticis britannos ad catholicam fidem dirigat[5]).« Apollinaristarum haeresim quamvis in Oriente natam Damasus in primis damnavit edita confessione catholica (a. 378). Jovinianum damnavit Siricius. Quapropter Ambrosius cum aliis episcopis ipsi rescribit[6]): »Recognovimus literis sanctitatis tuae boni pastoris excubias, qui diligenter commissam tibi januam serves, et pia sollicitudine Christi ovile custodias, dignus quem oves Christi audiant et sequantur, et ideo quia nosti oviculas Christi, lupos facile deprehendis et occurris quasi providus pastor, ne isti morsibus perfidiae suae feralique ululatu dominicum ovile dispergant.«

526. In primis vere romanae sedis primatus cernitur in damnatione haeresis nestorianae et eutychianae. Et quod spectat haeresim nestorianam, sufficiet expendisse literas ultro citroque missas, ut liqueat synodum ephesinam (a. 431) nonnisi exsecutioni mandasse Coelestini judicium. Sane Cyrillus non audet Nestorium damnare, antequam totam causam ad

---

[1]) Ita antiquus scriptor testatur apud Eusebium V, 28.

[2]) Cf. Vincentius lirin. commonit. c. 6. [3]) De pudicit. c. 1.

[4]) Ita de Innocentio et de Zosimo Prosper adv. collat. c. 21. n. 68 opusc. XXXVI, qui c. 5. n. 14 scribit: „Sanctissima b. Petri sedes ad universum orbem Zosimi ore loquitur." Qui vero subscriptionem detrectarunt, sede sua privati sunt, „ex quibus plurimi, teste Mario Mercatore in commonit. 2, resipiscentes et a praedicto errore correcti regressi sunt supplices ad sedem apostolicam, et suscepti suas sedes receperunt." Cf. infra n. 580.

[5]) Prosper in chron. ad a. 432. [6]) Inter Siricii ep. 8.

sedem apostolicam retulerit[1]); Coelestinus damnationis sententiam profert atque ubique promulgat[2]); ad synodum interim convocatam legatos mittit, sed qui tantum curent, ut sententia lata exsecutioni mandetur (ep. 17. 18 n. 5); concilium sententiam latam approbat scribens ad imperatorem: „Hujus rei causa Nestorium quidem a sacerdotio et pestilente doctrina cessare jussimus canonicam in eum sententiam proferentes et collaudantes ss. episcopum magnae Romae Coelestinum, qui ante nostram sententiam haeretica Nestorii dogmata damnavit, et ante nos sententiam in ipsum tulit prospiciens securitati ecclesiarum et piae sanctaeque fidei etc.« Et iterum[3]): Coacti per ss. canones et epistolam ss. patris nostri et comministri Coelestini... ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessario venimus.« Quare Philippus rom. sedis legatus: „Gratias agimus, inquit, sanctae venerandaeque synodo quod literis sancti beatique papae nostri vobis recitatis, sancta membra sanctis vestris vocibus sancto capiti sanctis etiam vestris exclamationibus vos adjunxeritis. Non enim ignorat vestra beatitudo, totius fidei vel etiam apostolorum caput esse b. ap. Petrum.« Damnato Nestorio sollicitus fuit Coelestinus, ut quam longissime amoveretur atque orthodoxus episcopus in ejus locum subrogaretur. Idcirco de eo scribit Prosper[4]): „Per hunc virum etiam orientales ecclesiae gemina peste purgatae sunt, quando Cyrillo alexandrinae urbis antistiti gloriosissimo fidei catholicae defensori ad exsecandam Nestorii impietatem apostolico gladio est auxiliatus; quo etiam pelagiani, dum cognatis confoederarentur erroribus, iterum prosternerentur.« Ita patres conc. oecumenici VI. fatentur in ep. ad Agathonem[5]), se „exortam nuper multiplicis erroris (monotheletarum) haereticam sectam depulisse... ex sententia per ss. vestras literas prius de iis lata.«

527. Denique **10.** *ex ipsa romanorum pontificum agendi ratione,* prout ea colligitur ex eorundèm literis a Clemente usque ad Leonem (nam de posterioribus nemo dubitat), manifestum est, eos ita se gessisse, prout decet illos, quibus vineae dominicae custodia fuit concre-

---

[1]) Ep. 2. al. 8. Hinc Arnobius l. 2. de confl. cum Serap. hac de causa refert: »S. Cyrillus . . . ad s. Coelestinum apostolicae recordationis misit dicens: ad laudem suam pertinere, si ab eo, qui pontificatus arcem tenebat, fuisset aliquid emendatum.« Cf. epistolas in hac causa opusc. t. XVIII.

[2]) Ep. 4. al. 11. ad Cyrillum alex. n. 4: „Auctoritate igitur tecum nostrae sedis adscita, nostra vice usus, hanc exsequeris districto vigore sententiam, ut aut intra decem dies ab hujus conventionis die numerandos pravas praedicationes suas scripta professione condemnet, et hanc se de nativitate Christi Dei nostri fidem tenere confirmet, quam et romana et tuae sanctitatis ecclesia et universalis devotio tenet; aut nisi hoc fecerit, mox sanctitas tua illi ecclesiae provisura, a nostro eum corpore modis omnibus sciat esse removendum.« Ep. 13. n. 11. Quae sententia *Domini sui,* ut loquitur Joannes antiochenus ep. 1. ad Nest. n. 3, ipsi visa est justa, adeo ut hortaretur Nestorium ad retractationem, quamvis terminus praefinitus valde angustus esset. Cf. Act. conc. ephes. p. 1. c. 15.

[3]) Hard. 1, 1422; cf. ib. 1471 verba Firmi ep. caes.

[4]) Contra collat. c. 21. n. 58. [5]) Hard. 3, 1438.

dita [1]), quibus incumbit sollicitudo omnium ecclesiarum, quique constituti sunt a Domino super omnem familiam totiusque dominici ovilis pastores. Haec sollicitudo et custodia elucet jam ex s. Clementis ad corinthios epistola [2]). Neque enim horum causa delata fuit ad s. Joannem, qui adhuc tum vivebat; neque hic ad illos scripsit, sed Petri cathedrae heres, i. e. Clemens. Potentissimis autem suis literis, ut eas appellat Irenaeus l. 3. c. 3, corinthios ad pacem congregavit eorumque fidem reparavit, tantaeque eae fuerunt penes illam ecclesiam auctoritatis, ut solerent deinceps etiam in publico fidelium conventu praelegi teste Dionysio corinthiorum episcopo apud Eusebium H. E. IV, 23. Eandem curam testantur omnia hucusque expensa, quibus nonnulla alia addemus.

Tanta erat **a.** romanorum praesulum sollicitudo, ut licet tot persecutionibus obnoxii *praecipuam* quoque gererent *curam pauperum* aliarum ecclesiarum. Quam extollit jam seculo II. Dionysius corinthiorum episcopus scribens ad ecclesiam romanam [3]): »Haec vobis ab exordio consuetudo est, ut fratres omnes vario beneficiorum genere afficiatis et ecclesiis quam plurimis, quae in quibusque urbibus constitutae sunt, necessaria vitae subsidia transmittatis. Et hac ratione tum egentium inopiam sublevatis, tum fratribus, qui in metallis detinentur, necessaria suppeditatis, per haec quae ab initio transmittere consuevistis munera, romanorum morem institutumque a majoribus acceptum romani retinentes etc.«

528. *Curam gesserunt* **b.** non solum universalis Ecclesiae, non solum ecclesiarum particularium vel episcoporum injuste sede pulsorum, ut vidimus, sed etiam *personarum privatarum,* quae injuste vexarentur. Vix audierat Innocentius I. de molestiis Hieronymo apud Bethlehem per pelagianos illatis, cum ad eum scribit (ep. 34 a. 417): »Excitati tanta malorum scena, arripere auctoritatem sedis apostolicae ad omne comprimendum nefas festinavimus, sed in quem insurgeremus nec nomine appellatum legimus, nec criminis aliqua ratione taxatum... Si deposueris autem apertam manifestamque in homines aliquos accusationem, aut judices competentes tribuam, aut si aliquid urgentius sollicitiusque a nobis fieri potest, non retardabo, fili dilectissime. Tamen episcopo fratri meo Joanni (hierosolymitano) scripsi, ut circumspectius agat, ne circa Ecclesiam sibi creditam adhuc tale aliquid fiat.« Et revera ad hunc literas dedit minaces (ep. 35) praecipiens, ut haec deinceps corrigeret aut retunderet, »ne jus ecclesiasticum de labefactatis causas (i. e. rationem) eum, qui non defenderit, praestare compellat.« Cum

---

[1]) Ita conc. ephes. ep. ad Coelestinum. Cf. ex. gr. Bonifatii ep. 14. n. 3. 4; Coelestini ep. 4. n. 1 (opusc. XVIII). Idcirco etiam romanorum pontificum epistolae dicebantur jam olim auctoritates (n. 530).

[2]) Cf. Tüb. Qtlschr. 1876. p. 456. Ceterum romani episcopi primatus splendidius adhuc ex illa ep. elucet, postquam reperta fuit (a. 1875) pars ejus ultima, de qua cf. Zeitschrift für kath. Theologie, Oeniponti 1877 p. 309 ss.

[3]) Apud Eusebium H. E. IV, 22., quam misericordiam celebrat quoque s. Basilius ep. 220 ad Damasum n. 2. 3.

tumultus orti essent inter monachos Palaestinae, illico s. Leo Juliano coënsi, suo per Orientem vicario, scripsit (ep. 113 a. 453): »Cupio me super his plenius edoceri, ut etiam talium correctioni congrue studeatur etc.«

529. Ex hac sollicitudine **c.** profectum est et *munus indicendi universae Ecclesiae tempus celebrandi festa paschalia,* ut ubique locorum tanta solemnitas eodem ageretur die. Ita enim scribit synodus arelatensis (a. 314) ad Silvestrum rationem reddens eorum, quae statuerat: »Primo in loco de observatione paschae dominicae, ut uno die et uno tempore per omnem orbem a nobis observetur et juxta consuetudinem literas ad omnes tu dirigas;« et s. Leo[1]: «Hoc divina institutio et paterna traditio ad nostram sollicitudinem voluit pertinere.«

530. Pro hac **d.** universalis Ecclesiae cura obstrictos se reputabant romani praesules *invigilare* diligentissime, *ne canones* statutaque conciliorum et antiquitatis *violarentur.* Quot sunt epistolae praesertim a Siricii tempore, tot hujus obligationis argumenta. Pro temporum vero adjunctis canonum legumque ecclesiasticarum rigorem leniunt, sensum explicant, vel etiam novas condunt. Poenas minantur contumacibus vel negligentibus episcopis[2]; aliis vero privilegia concedunt, ex. gr. Anastasius († 401), qui cum Damaso et Syricio (a. 385) tantum detulit Anysio thessalonicensi, »ut ei omnia, quae in illis partibus agerentur, traderet cognoscenda[3];« et Siricius voluit (ep. 4), ut nullus in Illyrico episcopus sine ipsius consensu ordinaretur; Zosimus vero constituit (a. 417), ut nullus e Gallia Romam veniret, quin formatas ab arelatensi metropolitano acciperet. Quare universis per Gallias episcopis scribit (ep. 1. n. 7): »Quisquis igitur, fratres carissimi, praetermissa praedicta formata sive episcopus, sive diaconus, aut deinceps inferiori gradu sit, ad nos venerit, sciat se omnino recipi non posse. Quam auctoritatem ubique nos misisse manifestum est, ut cunctis regionibus innotescat, id quod statuimus omnimodis esse servandum. Si quis autem salubriter constituta temerare tentaverit, sponte sua se a nostra communione noverit discretum.«

531. Sui juris suique muneris pariter **e.** esse censebant, *episcoporum,* etiam primarum sedium, *approbare vel reprobare electionem.* Ita Damasus literis ad Acholium thessalonicensem et alios Macedoniae episcopos datis (8. 9) Maximi cynici ordinationem in episcopum CP. damnat illosque hortatur, ut in synodo proxime Constantinopoli celebranda dignus illi ecclesiae praeficiatur episcopus (a. 380). Quanti fecerit vel Theodosius imperator romani pontificis approbationem, liquet ex Nectarii (a. 381) ordinatione: quam existimavit

---

[1]) Ep. 96 al. 76; cf. ep. 121 al. 94; 122 al. 95; 138 al. 109; Innocentii I. ep. 14 ad Aurelium; Cyrilli al. ep. 87 et in prologo pasch. (cf. Hefele Conciliengesch. 1, 330 ed. 2). Huic sollicitudini inniti videtur praeceptum ab angelo Hermae auctori libri, cui titulus *Pastor,* l. 1. vis. 2. n. 4 datum, ut eum Clementi romano episcopo traderet ad alias mittendum civitates: ‚Illi enim permissum est.‘ Cf. Tüb. Qtlschr. 1878, 48 ss.

[2]) Cf. praesertim epist. Siricii et Zosimi ep. 1. 5. 6. 7. 9. 10. 11. 16, quem propterea Casaubonus Exerc. 15. in Baron., ‚praecocem Hildebrandum‘ appellat.

[3]) Innocentius I. ep. 1. n. 1.

»non habere firmitatem propterea, quia in nostra notione non esset,« ut scribit[1]) Bonifatius I., ideoque »missis e latere suo aulicis cum episcopis formatam (literas communionis indices) huic a sede romana dirigi regulariter depoposcit, quae ejus sacerdotium roboraret.« Perigenis in Corinthiorum episcopum electionem refragantibus pluribus idem Bonifatius ratam habuit (a. 422). Defuncto s. Flaviano episcopo CP. in ejus locum ordinatur Anatolius; quam ob rem Theodosius ad Leonem scribit, ut in illius consentiat electionem. »Agat, respondet Leo ep. 69 (a. 450), clementiae vestrae devotissima fides, ut quam primum ad nos constantinopolitani episcopi, qualia debent, scripta perveniant, aperte scil. et dilucide protestantia, quod si quis de incarnatione Verbi aliquid aliud credat aut asserat, quam catholicorum omnium et mea professio protestatur, hunc a sua communione secernat, ut ei fraternam in Christo caritatem merito possimus impendere.« Tantumque autem tribuit suae approbationi, ut ad eundem scribens imperatorem dicere potuerit ep. 104: »Satis sit praedicto (Anatolio), quod vestrae pietatis auxilio et mei favoris assensu episcopatum tantae urbis obtinuit.« Electo Proterio in episcopum alexandrinum Juliano coënsi refert (a. 454) idem pontifex ep. 127: »Fratrem Proterium alexandrinae urbis episcopum gratulor plenas satisfactionis de fide sua ad nos literas direxisse, et manifestius quid teneat indicasse, cui me dignam gratiam necesse est pro fidei ipsius sinceritate praestare, ut honorem in nullo suae perdat ecclesiae, sed sedis suae privilegia paternae antiquitatis exemplo juxta canonum illibata jura possideat.«

532. *Romani pontifices* **f.** *de episcopis judicant* reosque damnant, ut jam plurimis exemplis vidimus n. 516 s., quibus adde Zosimi judicium de Urso et Tuentio illicite ordinatis[2]), deque Herote et Lazaro[3]). Judicium de Maximo valentinae civitatis episcopo diversis criminibus accusato relinquit (a. 419) quidem Bonifatius Galliae synodo, hac tamen clausula[4]): »Quidquid autem vestra caritas de hac causa duxerit decernendum, cum ad nos relatum fuerit, nostra, ut condecet, necesse est auctoritate firmetur.« Leonis de Dioscoro alexandrino[5]) judicium habetur in actis concilii chalcedonensis

---

[1]) Ep. 15. n. 6. opusc. XVIII, ubi plura hujus approbationis reperies exempla; ep. 18. Simplicii ad Acacium n. 2. (a. 482); ep. Theodori († 649) ad episcopos, qui consecrarunt Paulum CP. (Mig. 129, 581).

[2]) Ep. 4. universis episcopis Africae, Galliae et Hispaniae inscripta (a. 417). Cf. etiam ep. 3. (synodicam) Damasi, in qua minatur episcopis dissentientibus a fide nicaena excommunicationem et depositionem (a. 372); Innocentii ep. 3. ad episc. in synodo tolet.; 6. ad Exsuperium ep. tolos. (opusc. XVII).

[3]) Ep. 2. n. 4. [4]) Ep. 3. n. 4.

[5]) Hujus crimina recensentur in ep. conc. chalced. ad Leonem, in qua legimus: „Et post haec omnia et contra ipsum, cui vineae custodia a Salvatore commissa est, extendit insaniam i. e. contra tuam quoque dicimus Sanctitatem, et excommunicationem meditatus est contra te, qui corpus Ecclesiae unire festinas.« Cf. suggestionem conc. oecum. VIII. ad Hadrianum II. (Migne 129, 111); Bernaldum in tract. de solutione juramentorum n. 3, qui recensitis pluribus exemplis depositionis episcoporum per romanos praesules factae concludit (Migne 148, 1242): „Sed incassum laborabimus, si singulas hujusmodi depositiones enumerare voluerimus; nam prius nobis diem, quam exempla de talibus deficere non

(a. 451), in quo cum primae interesset sessioni Dioscorus, declarat Leonis legatus Paschasinus: »BB. atque apostolici viri papae Urbis Romae, qui est caput omnium ecclesiarum, praecepta habemus prae manibus, in quibus praecipere dignatus est ejus apostolatus, ut Dioscorus non sedeat in concilio, sed audiendus intromittatur. Hoc ergo nos observare necesse est. Si ergo praecipiat vestra magnificentia, aut ille egrediatur aut nos eximus.« Prolata deinde sentia (n. 478) subjiciunt quidem: »Superest ut congregata venerabilis synodus canonicam contra praedictum Dioscorum proferat justitia suadente sententiam,« ex quibus tamen non sequitur, Leonem non protulisse judicium authenticum; de tali enim judicio constat ex omnibus gestis in hac causa, ex ejusdem ep. 103. ad episcopos Galliae et ex judicio plane consimili Coelestini de Nestorio (n. 526). Felix II. ep. 3. seu in libello citationis ad Acacium scribit (a. 493) n. 2: »Lectis subditis (literis, quibus accusationis capita continebantur), frater carissime, ad haec, quae proposita esse cognoscis, apud b. Petrum Ap., cui preces in nobis oblatas pervides et quem ligandi atque solvendi a Domino potestatem sumpsisse non potes diffiteri, in conventu fratrum et episcoporum nostrorum, respondere festina.« Cum vero citationi non paruisset, in eum sententiam fert (ep. 6): »Multarum transgressionum reperiris obnoxius... Sacerdotali honore et communione catholica, necnon etiam a fidelium numero segregatus, sublatum tibi nomen et munus ministerii sacerdotalis agnosce s. Spiritus judicio et apostolica per nos auctoritate damnatus, nunquamque anathematis vinculis exuendus.«

533. *Romani episcopi* **g.** pro sua capitis Ecclesiae praerogativa *concilia* vel generalia *cassant vel approbant,* ut infra ostendemus n. 558 ss. Cum vero **h.** omnium ecclesiarum sollicitudo onus sit gravissimum, cui pene impares sunt fragilis hominis humeri, romani pontifices *legatos* quaquaversus, etiam in Orientem *miserunt,* atque *vicarios constituerunt* variis in regionibus, qui negotiorum partem expedirent et de potioribus referrent. Ita episcopum thessalonicensem suum in illis regionibus constituebant vicarium (n. 530), ad quem ex. gr. Innocentius scribit ep. 13: »Arripe itaque, dilectissime frater, nostra vice per suprascriptas ecclesias salvo eorum primatu curam, et inter ipsos primates primus, quidquid eos ad nos necesse fuerit mittere, non sine tuo postulent arbitratu. Ita enim aut per tuam experientiam quidquid illud est finietur, aut tuo consilio ad nos usque perveniendum esse mandamus etc.« Ita Zosimus legationem injunxit Augustino, qui propterea cum aliis episcopis literis sedis apostolicae compulsus fuit[1]) ob necessitatem ecclesiasticam in Mauritaniam venire. De

---

dubitabimus.« Quam ob rem s. Bernardus ep. 239 ad Eugenium III. urgens depositionem Guillelmi eboracensis: «Quis enim, inquit, in manu forti sagittas mittere potest, nisi filius excussorum (Ps. 126, 4)? Qui locum Petri tenet, potest uno ictu exstinguere Ananiam, uno Simonem magum: et ut planius quod loquimur fiat, peremptoriam dare sententiam ad depositionem episcoporum, solius romani pontificis noscitur esse: pro eo nimirum, quod etsi alii multi vocati sunt in partem sollicitudinis, solus ipse plenitudinem habeat potestatis.«

[1]) Possidius in vita s. Aug. c. 14; cf. ep. 190. 193. inter Augustini ep.

Juliano episcopo coënsi scribit Leo ad Marcianum[1]): »De fidei ejus sinceritate confidens vicem ipsi meam contra temporis nostri haereticos delegavi, atque propter ecclesiarum pacisque custodiam, ut a vestro comitatu non abesset, exegi: cujus suggestiones pro concordia catholicae unitatis tamquam meas audire dignemini.« Hormisdas ep. 24 Joanni tarraconensi suas per Hispaniam vices committit; ep. 26 Sallustrio per Baeticam et Lusitaniam; ep. 80 Epiphanio episcopo CP. ad recipiendos schismaticos; Coelestinus Cyrillo alex. in causa Nestorii ep. 14 n. 8 (n. 526 a.). Ita vero aliis partem suae committunt sollicitudinis, ut causas graviores sibi reservent, ut patet ex verbis Innocentii atque Bonifatii supra n. 532. 533 allatis et Zosimi, qui ep. 1 ad Galliae episcopos praesuli arelatensi plura concedit privilegia, atque inter alia statuit: »Ad cujus notitiam, si quid illic negotiorum emerserit, referri censemus, nisi magnitudo causae etiam nostrum requirat examen.«

534. *Principia ad solvendas difficultates.* — Ex his omnibus patet, quanta fuerit romanorum pontificum in universam Ecclesiam, non solum Occidentis sed et Orientis auctoritas. Dicimus in universam Ecclesiam: tot enim attulimus facta et testimonia ex primariis ecclesiis, scil. alexandrina, antiochena, constantinopolitana, ut nullus pateat locus quorundam effugio, factis et testimoniis, quae afferri solent, non probari primatum in universam Ecclesiam, sed tantum nescio quae jura metropolitanis vel patriarchis propria, quibus romani episcopi praedita conceduntur, quod essent metropolitae Italiae et patriarchae ecclesiae occidentalis. Atqui facta allata probant nullum esse fere jus alicujus momenti, quod romani episcopi in occidentali exercuerunt ecclesia, quod non etiam pro temporum adjunctis, universa Ecclesia suffragante, in ecclesia orientali exercuerint[2]). Tanta scil. fuit illorum auctoritas ut eam vix magnificentioribus verbis posteriores

---

[1]) Ep. 111 al. 84 n. 3. Juliani coënsis in Oriente vicariatus ex pluribus aliis Leonis ep. colligitur ut 112. 113 etc.

[2]) Cf. Ratramnum c. opposita graecorum l. 4. c. 8. (Mig. 121, 334 ss.), qui praesertim ex gestis sub Leone I. romani pontificis primatum etiam super episcopum CP. probat. Unde concludimus cum Petro Damiano ep. 5., in quo rationem reddit Hildebrando card. eorum, quae legati pontificii munere fungens gesserat. »Privilegium romanae ecclesiae, inquit, quantas habeat vires ad servandam canonicae aequitatis et justitiae regulam, quantumque vigorem ad disponendam ecclesiastici status contineat disciplinam, solus ille dilucide comprehendit, qui ecclesiasticis consuevit insudare negotiis. Quod utique privilegium qui inexpertus est parvipendit, exercitatus amplectitur . . . Armis autem privilegium romanae ecclesiae non incongrue comparaverim, quia dum haec una per cathedram b. Petri totius christianae religionis caput effecta cunctis in orbe terrarum principetur ecclesiis, velut dux ante faciem fidelium cuneis fulta, ac specialis praerogativae auctoritate munita, et evangelico mucrone veritati resistentium cervices obtruncat, et ad invictissime dimicandum totam Christi militiam in unius caritatis ac fidei unanimitate conspirat.«

pontifices potuerint describere, quam illam nobis proponunt jam. sec. IV. Siricius, sec. V. Innocentius, Zosimus, Bonifatius, Leo et Gelasius. Verum ad omnem difficultatum umbram abigendam juverit quaedam statuisse principia, quibus attente ponderatis plura elucidabuntur. Et primo quidem sicut in ordine naturali omne corpus organicum et vivum, in ordine sociali societas quaelibet, in ordine logico quodlibet veritatum systema seu disciplina quaevis, in ordine supernaturali ipsa justificatio, in ordine revelationis ipsa veritatis revelatae intelligentia ac generatim ipsa Ecclesia habet sua stadia explicationis et consummationis; ita et primatus institutum temporum lapsu magis magisque semper explicari poterit. Quare mirum esse non debet, quod **a.** primis Ecclesiae temporibus non adeo splendida primatus argumenta reperiantur ut posterioribus aetatibus; quod **b.** primatus splendor temporis successu creverit, sicut crevit etiam veritatis revelatae splendor et intelligentia; quod **c.** romani pontifices temporum cursu nonnulla exercuerint jura explicite, quae implicite ac veluti in semine latebant in primatu; ita enim divinitus est institutus, ut omnibus temporibus, difficultatibus negotiorum, tempestatibus exsurgentibus, populorum culturae se possit accommodare vel occurrere: sicut etiam in homine saepe latent vires, subinde mirae, quae nonnisi certis in adjunctis, urgente necessitate exsuscitantur et actuantur, et ad vitae conservationem, augmentum, perfectionem sunt vel necessariae vel peropportunae [1]).

535. Secundo, sicut reges potestatis suae plenitudinem non exserunt nulla urgente necessitate, cum omnia ordinate et pacate procedunt: ita necesse non est, ut romani episcopi, quo Ecclesiae primates haberi possint, cujusvis seculi anno vel anni mense quovis in orbis angulo omnem suam exserant auctoritatem. Immerito ergo postulatur, ut tam continuum potestatis exercitium demonstretur. Sicut autem regia majestas et praerogativa in causis negotiisque gravioribus se prodit, ita quoque romani episcopi primatum videmus in causis Ecclesiae majoribus maxime effulsisse.

---

[1]) Hoc passim inculcant theologi catholici ut em. card. Hergenröther Antijanus § 7. p. 70 ss.; Andries Petra romana p. 2. diagn. 2; Phillips Kirchenrecht v. 5. § 201 s., etiam Döllinger quondam catholicus Kirche und Kirchen s. 31 ss. Ad rem de Maistre in l. Esprit générateur: „C'est une pitié de voir d'excellents esprits se tuer à prouver par l'enfance que la virilité est un abus, tandis, qu'une institution quelconque, adulte en naissant est une absurdité au premier chef, une véritable contradiction logique. Si les ennemis éclairés et généreux de cette puissance (romani pontificis) examinent la question sous ce point de vue, je ne doute point que toutes les objections tirées de l'antiquité ne disparaissent à leurs yeux comme un léger brouillard.“

536. Tertio, sicut temerarii forent, qui reges antiquorum populorum regia caruisse auctoritate assererent, eo quod antiquitas de hujus potestatis exercitio persaepe sileat (idcirco enim silet, quia vel per se id intelligitur, vel quia monumenta, quibus illorum regum gesta consignata fuere, perierunt): ita immerito exigunt adversarii, ut veterum pontificum gesta in medium proferantur. Ex legitimorum successorum agendi ratione, quam universa probavit Ecclesia, jure colligimus praedecessorum agendi rationem vel saltem agendi jus. Ceterum plura antiquitatis monumenta periere; ex paucis vero quae supersunt, abunde ut vidimus colligitur romanorum praesulum primatus.

537. Quarto, ordo supernaturalis externaque Ecclesiae facies plurimum, ut per se patet multisque exemplis ostendi potest, ab ordine naturali pendet, ut anima in suis functionibus a corporis valetudine. Hinc ratio redditur, quare persecutionum, bellorum, turbarum etc. tempore minus resplendeat primatus, effulgeat vero magis tempore pacis sub imperatoribus piis (sicut ipsa Ecclesia, si externum spectes splendorem): nam et sol, in se alioquin sibi semper idem, non eundem quavis tempestate emittit splendorem. Cumque modo maxime expeditum sit commercium sociale inter populos vel remotissimos, mirum quoque esse non debet, si primatus fastigium suum attigit, quod attinet ejus munus revocandi [1]) ad unitatem, qui sunt undique pastores et oves.

538. Quinto denique, principes et nobiles, imo et plebs quandoque regi adversantur, contradicunt, resistunt, ad revocandas quoque leges impellunt. Nemo tamen exinde inferet, vel regem regio leges ferendi carere jure, vel subditos jure agere suo. Quare aeque praeposterum erit ex eo, quod nonnunquam aliqui episcopi romano restiterint praesuli, inferre statim, vel hunc sibi aliquid praeter fas jusque usurpasse, vel illos jure egisse vel romani pontificis primatum penitus negasse. Nihil enim est adeo sanctum in Ecclesia, cui non se opposuerint aliqui; nunquam Ecclesia, quamdiu est militans, solis justis et sanctis constabit.

Objici tamen posset can. 28. conc. chalcedonensis a. 451: »Sanctorum decreta ubique sequentes et canonem, qui super lectus est, 150 episcoporum (conc. CP. a. 381) agnoscentes, eadem quoque et nos decernimus ac statuimus de privilegiis ecclesiae CP. novae Romae. Etenim antiquae Romae throno aequalia privilegia tribuerunt, recte judicantes urbem, quae et imperio et senatu honorata sit, et aequalibus cum antiquissima regina

---

[1]) Hinc forte etiam repetendum, cum scil. prioribus Ecclesiae seculis adeo fuerit impeditum commercium inter varias regiones, quod majora fuerint patriarcharum et metropolitarum jura atque privilegia, quam modo sint.

Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus ecclesiasticis non secus ac illam extolli ac magnifieri, secundum post illam exsistentem etc.« Verum advertimus **1.** canonem hunc a Leone I. fuisse reprobatum ac proinde carere auctoritate (cf. infra n. 559). **2.** ipsos patres chalcedonenses agnovisse eminenten sedis romanae auctoritatem super universam Ecclesiam, ut nunquam crederent se aequalem asserere posse sedi constantinopolitanae (cf. n. 532. 556. 557. 559). Quare **3.** canonem esse intelligendum de juribus patriarchalibus: quo etiam sensu **4.** eum intellexisse videtur s. Leo. Neque enim illum reprobant unquam, quod adversetur primatui sedis romanae, sed quod opponatur can. 6. conc. nicaeni de sedibus patriarchalibus. Fatemur **5.** canonem ambiguitate verborum involvi falsoque niti supposito, cathedrae romanae privilegia fundari in urbis praerogativis. Nituntur enim primatu Petri, qui divinae est institutionis[1]).

539. **Scholion.** *Romani episcopi jure divino exercent primatum.* Institutionis divinae, ideoque juris divini esse primatum ostendimus. Qui ergo legitimi illius sunt heredes, jure divino illum exercent. Atqui probavimus legitimos in primatu successores esse romanos episcopos. Jure igitur divino romani episcopi exercent primatum, ut patet etiam ex conciliorum definitionibus (n. 504 et 541). Et quamvis per homines et ab hominibus designetur successoris persona, ea tamen non ab hominibus nec per homines habet primatus potestatem. Sicut etiam homines designare possunt subjectum ordinandum in sacerdotem, non tamen propterea is, qui ordinatur sacerdos, ex delegatione humana fruitur potestate consecrandi, sed vi ordinationis, quae divinae est institutionis[2]). Hoc sensu verissime affirmat Gelasius in decreto de Scripturis canonicis edito in concilio romano a. 496: „Sancta romana, catholica et apostolica Ecclesia nullis synodicis constitutis ceteris ecclesiis (ut ex. gr. ecclesia aliqua metropolitana ecclesiis sibi subjectis) praelata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit: *Tu es Petrus* inquientis etc. . . . Est ergo prima Petri apostoli sedes romana Ecclesia, non habens maculam, neque rugam, nec aliquid hujusmodi.“

---

[1]) Cf. supra n. 463; Palmieri scholion post th. 16.

[2]) Quam ob rem distinguunt theologi inter legem seu jus successionis et conditionem seu factum successionis. Lex seu jus successionis est divinae institutionis, voluit enim Christus, ut Petrus habeat successores in primatu, qui propterea eadem primatus auctoritate ac Petrus fruantur: sed ut revera hic potius quam ille sit successor, pendet a multiplici facto et voluntate humana. Hominum enim (quorundam, ut puta cardinalium) est eligere, designare eum, qui sit successor: electione vero facta, tamquam conditione posita, vi institutionis divinae electus potestatem consequitur primatus: sicut posito ritu sacramentali, qui pendet in sua exsistentia a voluntate hominum, is virtute institutionis divinae efficax est gratiae.

540. *Primatus jure immutabili adnexus sedi romanae.* — Quaeritur autem, utrum etiam ex jure divino romanus episcopus potius quam alius sit Petri in primatu successor, an vero tantum jure ecclesiastico? seu, utrum jure divino, an ecclesiastico tantum primatus alligatus sit cathedrae romanae, adeo ut aliam in sedem transferri possit? quae quaestio post Febronium celebris facta est. Hic enim post paucos quosdam theologos scholae censet, Ecclesiam gravi de causa posse primatum in aliam transferre sedem. Atqui Pius IX. damnavit prop. syllabi 35: „Nihil vetat alicujus generalis concilii sententia aut universorum populorum facto summum pontificatum a romano episcopo atque Urbe ad alium episcopum aliamque civitatem transferri.“ Merito autem eam damnavit, cum non solum consectarium sit erroneae doctrinae ab Ecclesia in Richerio aliisque damnatae; sed etiam quia nullum illius vestigium reperitur in universa Ecclesia per secula tredecim; nec ullus episcopus schismaticus, vel imperator, Ecclesiae licet hostis infensus, in animum induxerit, ut primatum aliam in sedem transferret. Quod evidens argumentum est, omnibus fuisse adeo persuasum jure immutabili, proinde divino, primatum cathedrae romanae esse annexum, ut ne cogitarent quidem de opposita opinione. Et revera passim patres docent cum Gelasio, Christum „dispensatione mirabili Petrum in dominam gentium, Romam direxisse [1]).“

Quare nobis non displicet thesis, quam statuit Palmieri (9): „Quod prae ceteris romanus pontifex is sit, qui Petro in primatu succedit, veritas est immutabilis in Ecclesia; nihilque obstat, quominus haec veritas revelata censeatur.« Primam hujus assertionis partem jure merito colligit ex concilii florentini definitione (cf. n. 541). Quod vero infallibili Ecclesiae definitione proponitur credendum omnibus fidelibus, illud est immutabiliter verum. Sed fac primatum posse transferri aliam in sedem, jam definitio illa vera amplius non erit atque mutatione indigebit. Neque aliquid est quod impediat, quominus id apostolica praedicatione, imo et revelatione contentum dicatur. Oportuit enim nosse Ecclesiam, quis post mortem Petri caput esset suum, cui adhaerere deberet: proinde certo apostoli hanc veritatem praedicarunt fidelibusque tenendam proposuerunt. Hinc solum explicatur illa tam constans, absoluta et inconcussa traditio, „cathedrae romanae esse adhaerendum, fidem catholicam esse fidem romanam, communicare cum Ecclesia romana perinde esse ac communicare cum Ecclesia catholica (n. 419), romanam Ecclesiam ipsius Domini voce fundatam esse« etc. Statuit deinde Palmieri aliam thesim (10): „Quocirca cum Petrus romanum episcopatum suscepit, ut in eo perpetuos successores in primatu haberet, Deus ratam habuit hanc Petri electionem;

---

[1]) Ep. 14. seu tr. 2. ed. Thiel n. 10 (cf. n. 572). Cf. verba Nicolai I. n. 541; Bellarminus II, 12; IV, 4; Perrone c. 2. prop. 3.

ideoque de jure divino saltem consequente, nempe consequente factum Petri, praevertente autem factum successionis est, quod romanus episcopus succedat Petro in primatu. Imo probabilem satis censemus sententiam: voluntate scil. antecedente Dei jussum esse Petrum hanc formam perpetuam successionis statuere, nimirum per episcopalem sedem et inter sedes eligere romanam.« Cui thesi omnino videntur favere verba concilii vaticani sess. 4. cap. 2: „Qui (Petrus) ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus episcopis sanctae romanae sedis ab ipso fundatae ejusque consecratae sanguine vivit et praesidet et judicium exercet. Unde quicunque in hac cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet.« Neque probabile est, Deum qui in bonum Ecclesiae imperium romanum disposuit, rem tanti momenti, cujusmodi est fixa sedes centri unitatis ecclesiasticae, permisisse voluntati mutabili humanae[1]).

Caput IV.

De vi et ratione primatus romani pontificis.

541. *Definitio concilii florentini.* — Post ea, quae hucusque demonstravimus de primatus institutione et perennitate, haud difficile est accuratius ejusdem praerogativas et jura determinare. Quid generatim de eo tenendum sit, statuit concilium florentinum in decreto unionis hisce verbis: „Definimus sanctam apostolicam sedem et romanum pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum pontificem romanum successorem esse b. Petri principis apostolorum et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium christianorum patrem ac doctorem exsistere; et ipsi in b. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. J. Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur.“

Scholion. Haec ultima verba avidissime arripiunt jurium primatus adversarii, sed secundum textum graecum καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων καὶ (ἐν) τοῖς ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται, quem putant esse vertendum „secundum eum modum, mensuram, limitem, qui s. canonibus continetur,« proindeque putant, ipsum concilium romani pontificis potestatem synodorum canonibus obnoxiam iisque circumscriptam exhibere, prout etiam a. 3. declarationis gallic. enunciat: „Apostolicae potestatis usum moderandum (esse) per canones Spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia consecratos.« Verum **1.** dum hoc adversarii autumant, supponunt textum graecum esse textum originalem authenticum, textum vero latinum esse tantum versionem, et quidem minus fidelem, imo corruptam: atqui uterque textus est originalis et authenticus. Constat siquidem, definitionem prius fuisse latine conscriptam, deinde graece versam ac nonnullis ex utriusque partis consensu mutatis, utrumque textum

[1]) Cf. Mazzella l. 5. a. 2. § 5; Franzelin th. XII.

fuisse subscriptione approbatum. Quare **2.** verba editionis latinae genuinum exhibent concilii sensum, ideoque immerito corrupta vel mendosa censentur. Et revera **3.** verba graeca secundum omnes grammaticae regulas reddi possunt ‚quemadmodum etiam' etc. Verum **4.** non solum ita reddi possunt, sed etiam ita reddi debent, etiamsi concilium illorum sensum authentice non determinasset. Sane **a.** in praecedentibus plenitudo potestatis asseritur romano pontifici; nequeunt ergo verba immediate sequentia hujus potestatis limitationem significare, quin contextus minus apte cohaereat; praesertim **b.** cum concilium potestatis plenitudinem jure divino inesse rom. pontifici declaret; atque profecto jus divinum circumscribi nequit jure ecclesiastico seu conciliorum canonibus. Nequeunt ergo sequentia primatus limitationem ex canonibus obortam significare. Deinde **c.** hi canones circumscribentes plenitudinem potestatis pontificiae hanc vim habent vel a solis episcopis vel quatenus sunt confirmati ab ipso pontifice. Illud admitti nequit ex infra dicendis (n. 558) de confirmatione pontificia necessaria ad valorem canonum conciliorum oecumenicorum et quod falsam supponat theoriam de superioritate conciliorum supra pontificem (cf. n. 550 s.). Neque alterum dici potest, quod nullus pontifex successorem suum ligare possit in iis, quae jure divino adnexa sunt primatui. Ceterum **d.** nulla assignari potest limitatio primatus per legitimos canones; quare verba illa non significant limitationem, quae non exstat, sed confirmationem primatus, quem revera jam antea synodi practice et theoretice agnoverunt, ut vel ex s. Leonis epistolis liquet. Quapropter testatur Bonifatius I. nicaenam synodum »non aliquid super eam (sedem Petri) ausam esse constituere, cum videret, nihil supra meritum suum posse conferri: omnia denique huic noverat Domini sermone concessa[1].« Ita vero scribit Nicolaus ad Michaelem imp. ep. 86: »Quod si a nobis quaeritis scire utpote a ministris Christi et dispensatoribus mysteriorum ejus (privilegia ecclesiae romanae), vobis evidentius ostendemus; si vero nosse parvipenditis, et solum contra privilegia ecclesiae romanae nisus vestros erigitis, cavete ne super vos convertantur. Durum quippe est vobis (contra impetum fluminis reluctari, durumque est) contra stimulum calcitrare. Porro si nos non audieritis, restat ut sitis apud nos necessario, quales D. N. J. Christus hos haberi praecepit, qui Ecclesiam Dei audire contempserint, praesertim cum ecclesiae romanae privilegia Christi ore in b. Petro firmata, in Ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata et a sanctis universalibus synodis celebrata, atque a cuncta Ecclesia jugiter venerata, nullatenus possint minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari, quoniam fundamentum, quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus; et quod Deus statuit, firmum validumque consistit: illeque potissimum peccat, qui Dei ordinationi resistere tentat. Privilegia, inquam, istius sedis vel Ecclesiae perpetua sunt; divinitus radicata atque plantata sunt; impingi possunt, transferri non possunt; trahi possunt, evelli non possunt.« Paschalis II: »Ajunt in conciliis statutum non inveniri (ut metropolitani sedi apostolicae juramentum praestent etc.), quasi romanae Ecclesiae legem concilia ulla praefixerint: cum omnia concilia per Ecclesiae

---

[1]) Ep. 14; cf. infra n. 548; Gelasius ep. 12. n. 9; ep. 42. n. 1. Cf. ad haec verba illustranda Schmitz in docta diss. Katholik 1887. I. praesertim pag. 201 ss.

romanae auctoritatem et facta sint et robur acceperint, et in eorum statutis romana patenter auctoritas excipiatur[1].«

Florentini concilii definitionem innovat atque fusius evolvit concilium vaticanum explicationemque hoc canone absolvit: „Si quis itaque dixerit, romanum pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremae potestatis; aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles, A. S.“

542. Ut ergo quae Ecclesiae definitionibus enunciantur, quaeque de romani pontificis juribus et praerogativis tenenda sunt, ad quaedam revocemus capita, dicimus:

1. *primatum* romani pontificis *complecti* non tantum officium inspectionis et directionis, ut contendunt M. A. de Dominis, Febronius, Tamburini etc., sed *potestatem jurisdictionis,* quae vere episcopalis sit, ut definit concilium vaticanum. Auctoritas autem episcopalis ea est, quam quilibet episcopus in sua dioecesi habet, et consistit in potestate pascendi, regendi ac gubernandi gregem sibi commissum. Talem potestatem in universam Ecclesiam collatam esse Petro, et in Petro ejus successoribus, patet **a.** ex ipsis Christi effatis, quibus primatum vel promisit vel contulit: munus enim petrae sustentantis Ecclesiam, confirmatoris fratrum, pastoris ovilis dominici, jurisdictionis potestatem, ut vidimus, complectitur. Patet **b.** praetermisso traditionis theoreticae suffragio ex traditione practica, quam pluribus exposuimus n. 508 ss. Patet **c.** ex fine instituti primatus. Voluit enim Christus ad unitatem catholicam efficiendam tuendamque, ut unus Ecclesiae praesit pastor. Atqui ad Ecclesiae unitatem efficiendam conservandamque non sufficit sola inspectio et directio, sed requiritur praecipiendi, cogendi, judicandi atque puniendi auctoritas seu veri nominis jurisdictio (cf. n. 465). Ergo jurisdictionis potestatem seu potestatem episcopalem complectatur necesse est primatus. Hinc passim romanus pontifex dictus est ‚episcopus episcoporum, episcopus Ecclesiae catholicae, pastor pastorum‘ etc. Et sane si Christus vocatur *pastor et episcopus animarum nostrarum* (1. Petr. 2, 25), Petrus, qui

---

[1]) Ep. 506. Cf. Kleutgen de rom. pont. suprema potestate docendi, Neapoli 1870 § 6; Andries, cathedra rom. p. 395 ss.; Palmieri th. 15.

ab ipso pascendi potestatem accepit ejusque gerit vices, totius gregis sibi commissi episcopus poterit dici.

543. Tenendum est **2.** hanc *jurisdictionis potestatem esse plane universalem,* „erga quam, ut explicat concilium vaticanum concilii florentini definitionem, cujuscunque ritus et dignitatis pastores atque fideles tam seorsim singuli, quam simul omnes officio hierarchicae subordinationis veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent[1]).“ Quapropter, scribit Bernardus ad Eugenium III., „orbe exeundum est ei, qui forte volet explorare, quae non ad tuam pertineant curam[2]);“ et Pius VI. declarat[3]), pastores omnes quacunque demum praefulgeant dignitate, „ita ejus auctoritati subdi, ut qui pastores appellantur et sunt, si populos respicias: ii, si pontificem spectes, nonnisi ovium numero habeantur.“ Haec vero primatus praerogativa probatur iisdem rationibus, ex amplitudine scil. verborum *Ecclesiam meam,* quam sustentare debet, et verborum *oves meas,* quas concreditas accepit; ex factis, cum pontifices suam sollicitudinem in universam extenderint Ecclesiam; ex fine, qui est non partem Ecclesiae, sed universam qua late patet, ad unitatem revocare: „ita ut custodita, quemadmodum prosequitur concilium vaticanum, cum romano pontifice tam communionis quam ejusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest.“

544. **Scholion.** *Exceptioni ex Gregorio M. respondetur.* — Excipi posset, si haec vera sunt, quae diximus n. 542. 543, recta sequi, romanum pontificem esse episcopum universalem Ecclesiae. Atqui s. Gregorius M. constanter titulum hunc recusavit, imo gravissimis verbis reprobavit. Ut rite respondeamus advertimus **1.** sedulo distinguendam esse quaestionem de re a quaestione de nomine. Quod rem attinet, certum est, s. Gregorium s. Petro sibique illius successori tribuisse primatum in universam Ecclesiam. Ita enim scribit[4]): »De constantinopolitana Ecclesia quis dubitet eam sedi apostolicae subjectam esse?« et: »Nescio quis ei (sedi) episcopus subjectus non

---

[1]) Si quaeritur, quomodo rom. pontifex teneat primatum in universum orbem, ut dicitur in definitione florentina, respondemus eum talem habere primatum **1.** destinatione, quatenus Ecclesia catholica destinata est ut se per orbem diffundat; **2.** quatenus omnes homines tenentur Ecclesiam ingredi seque rom. pontifici subjicere; **3.** quatenus ubique terrarum potest jura exercere, siquidem ibi sint fideles, et **4.** quatenus jure pollet mittendi quaquaversus viros apostolicos ad fundandas ecclesias (n. 328).

[2]) De consid. l. 3. c. 1. n. 1.

[3]) In respons. ad metropol. mogunt. trevir. etc.

[4]) L. IX. ep. 12; cf. supra ejus verba n. 485.

sit[1])?« etc. Quod vero **2.** nomen episcopi universalis attinet, adverti debet illud accipi posse duplici sensu, sensu legitimo, quo significat eum, qui jurisdictionem habet in universam Ecclesiam et est episcopus Ecclesiae universalis (seu catholicae), ut se vocat s. Leo; et hoc sensu tributum fuit subinde hoc nomen ante et post Gregorium rom. pontifici. Alius sensus est reprobandus, scil. si quis diceretur episcopus universalis exclusive i. e. ad exclusionem aliorum episcoporum, quos Spiritus s. posuit regere Ecclesiam Dei, ac si romanus episcopus esset unicus, reliqui tantum ejus ministri vel vicarii. Atqui **3.** s. Gregorius, ut ex ejus epistolis liquet, titulum hunc hoc altero vel simili sensu reprobat. Ceterum **4.** etiamsi illum absolute reprobasset, nihil sequeretur adversus primatum. Amore enim humilitatis, cujus studiosissimus fuit sanctus ille pontifex, possunt tituli legitimum prae se ferentes sensum reprobari, quin res eo significata negetur. Ita definitum est a conc. florentino, rom. pontificem plenam in b. Petro accepisse potestatem regendi universalem ecclesiam, et tamen propterea rom. pontifex non est dicendus rex Ecclesiae. Quare ut efficacius dedoceret patriarcham CP. titulum illum sibi usurpantem fastum et arrogantiam, miro modestiae exemplo titulum aliquo sensu legitimum penitus abjecit maluitque dici servus servorum Dei[2]).

545. Quare tenendum est **3.** *romanum pontificem duplicis unitatis, fidei* scil. et *communionis esse centrum,* quocum pastores omnes cum suis gregibus non distributive tantum, verum etiam collective conspirare debent[3]); quod sicut est corollarium praecedentis praerogativae, ita evidenter colligitur ex primatus fine (cap. 1.), ex notione obvia fundamenti Ecclesiae et pastoris ovilis dominici. Quare jam Irenaeus inculcat[4]): „Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles;“ et Cyprianus[5]): „Qui cathedram Petri, supra quem fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse

---

[1]) L. IX. ep. 59; cf. l. VII. ep. 40.

[2]) En qua modestia scribit ad Constantiam Aug. l. V. ep. 21: »Hac in causa nequaquam me pietas vestra despiciat: quia etsi peccata Gregorii tanta sunt, ut pati talia debeat, Petri tamen apostoli peccata nulla sunt, ut vestris temporibus pati ista mereatur . . . et propter peccata nostra, qui ei (Petro) indigne servimus, ejus apud vos honor nullatenus minuatur.« Ratione ergo dignitatis se cum Petro identificat. Cf. Grisar erudite hanc exceptionem dissolventem Zeitschrift für kath. Theol., Oeniponti 1880. pag. 468 ss.; Palmieri th. 19.

[3]) Inepta siquidem est quorundam hypothesis, primatum se extendere ad singulos quidem episcopos distributive acceptos, non vero ad omnes collective sumptos. Quae opinio innititur falso supposito, concilium oecumenicum esse supra romanum pontificem; adversatur definitioni florentinae et vaticanae, quae vindicat potestatem pontifici romano non in Ecclesiae partem, sed in universam Ecclesiam, atque omnibus iis, quibus hanc praerogativam n. 543. probari innuimus. Cf. Perrone c. 3. prop. 2.

[4]) L. 3. c. 3. [5]) De unit. Eccl. n. 4.

confidit?" et Ambrosius[1]): „Non habent Petri hereditatem, qui Petri sedem non habent;" et Hieronymus[2]): „Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuae i. e. cathedrae Petri communione consocior: super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est . . . Quicunque tecum non colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, antichristi est." Quocirca communio cum romano pontifice tessera erat catholicitatis et orthodoxiae [3]).

546. Tenendum est **4.** *hanc potestatem esse ordinariam*[4]), scil. non solum in casibus extraordinariis, cum ex. gr. episcopus suum negligit munus, vel ex delegatione quadam transeunte romanus pontifex jurisdictionis potestate fruitur in ecclesia aliqua particulari, sed semper et ordinario vi sui muneris; neque enim petrae in aedificio vel pastoris munus in grege censeri potest munus extraordinarium, sed ordinarium plane est, quamdiu aedificium consistere, grex adunari debet. Christus autem Petro Ecclesiam sustentandam et gregem dominicum custodiendum tradidit nulla ratione habita causae cujusdam extraordinariae vel negligentiae ministri inferioris, et fideles semper sunt oves relate ad Petrum pastorem; proinde semper ipsum sequi, semper ei obedire, semper cum ipso, quamdiu catholici esse velint, tamquam cum unitatis centro conspirare tenentur. Fatendum tamen est, primatum jura sua magis exserere, si instent necessitas et periculum, magisque tunc salutarem suam in omnem Ecclesiam vim splendescere, ut diximus n. 535.

»Tantum autem abest, advertit ad rem concilium vaticanum, ut haec summi pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis jurisdictionis potestati, qua episcopi, qui positi a Spiritu sancto in apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, secundum illud sancti Gregorii Magni: ‚Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur[5]).«

---

[1]) De poenit. l. 1. c. 7. n. 33.

[2]) Ep. 15. ad Damasum n. 2. [3]) Cf. supra n. 416. 522 s.

[4]) „Potestas sive jurisdictio ordinaria usu ecclesiastico dicitur ea, quae dignitati vel magistratui vel praefecturae ipso jure sive divino sive humano annexa est, quam quis proinde non vi specialis delegationis, sed vi suae dignitatis suique officii exercet. Ita omnes canonistae." Palmieri th. 13. Cf. Pii VI. breve ‚Super soliditate' (ap. Denzinger enchiridio n. 1363 ed. 5), quo pestifer Eybelii lib., Quid est papa?' damnatur.

[5]) L. 8. ep. 30. ad Eulog. alex.

547. Tenendum est **5.** *potestatem hanc esse immediatam* et quidem **a.** quoad originem i. e. non esse ipsi Ecclesiae seu fidelium coetui concessam, e quo dein in romanum pontificem per quandam delegationem vel translationem derivetur, sed immediate a Christo pontifici legitime electo communicari; quod jam saepius ostendimus[1]), et manifesto colligitur ex disertis Christi verbis, quibus immediate ad Petrum, non ad Ecclesiam dixit: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; tibi dabo claves regni coelorum; confirma fratres tuos; pasce agnos meos.* Quam ob causam ad recentiorem usque aetatem inaudita fuit haec theoria seu ejusmodi potestatis delegatio[2]); et tamen hac in hypothesi universa Ecclesia in summi pontificis electionem conspirare deberet; neque enim Ecclesia particularis romana potestatis plenitudinem universalis Ecclesiae propriam illi, quem in primatus heredem designaverit, motu proprio posset derivare[3]). Est deinde immediata etiam **b.** quoad exercitium, quatenus romanus pontifex hanc potestatem non solum per episcopos, sed per sese suosque legatos exercere et quatenus cum ipsis fidelibus ut suis ovibus communicare potest.

Multo magis **c.** est immediata, quatenus est independens in suo exercitio a potestate civili. Quod ita enunciat l. c. concilium vaticanum: »Porro ex suprema illa romani pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam jus eidem esse consequitur, in hujus sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eandem reddunt seculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quae ab apostolica sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis secularis placito confirmentur.« Jure ergo damnavit Pius IX. syllabi prop. 28: »Episcopis sine gubernii venia fas non est vel ipsas apostolicas literas promulgare;« 29. 41 (cf. n. 312) 49: »Civilis auctoritas

---

[1]) Cf. n. 352 s.; 482 ss.

[2]) Quare merito damnata fuit a Pio VI. prop. 3. synodi pistoriensis: „Item (prop.) quae statuit, romanum pontificem esse caput ministeriale; sic explicata, ut romanus pontifex non a Christo in persona b. Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua velut Petri successor, verus Christi vicarius ac totius Ecclesiae caput pollet in universa Ecclesia, haeretica.“

[3]) Si qua est in ecclesia romana praerogativa, non ea redundat in ejus praesulem, sed contra quidquid est splendoris in hac ecclesia, id ex Petro in illam derivatur. Hinc Nicolaus I. ep. 86. ad Michaelem imp. (Mig. 119, 958) scribit: »Zelus domus Dei, zelus paternarum traditionum, ordo ecclesiasticus, antiqua consuetudo atque sollicitudo, quam circumferimus, cunctarum ecclesiarum Dei; necnon et privilegia propriae sedis, quae in beato Petro suscepta divinitus et in ecclesiam romanam derivata universalis celebrat et veneratur Ecclesia, sicut praediximus, nos accendunt et silere ac desides esse nequaquam permittunt.“

potest impedire, quominus sacrorum antistites et fideles populi cum romano pontifice libere ac mutuo communicent.« Ejusmodi enim asserta adversantur primis notionibus Ecclesiae divinitus institutae et societatis perfectae et supremae (n. 311), ejus missioni et muneri promulgandi ubique quaecunque docuit Christus, amplissimisque Christi verbis, quibus ejus jura et potestatem enunciat[1]), subjicit Ecclesiam ejusque docendi auctoritatem principibus non solum laicis, sed et haereticis, infidelibus, persecutoribus, quo nihil absurdius. Merito quoque illorum detestanda est temeritas, qui romani potificis auctoritatem in fideles potestatis exterae titulo infamant[2]).

548. Tenendum est **6.** ex praescripto concilii florentini et vaticiani *hanc potestatem esse plenam,* et quidem plenam extensive, non quasi extra primatum nulla sit potestas in Ecclesia (neque enim definitum est, solum romanum pontificem habere potestatem in Ecclesia): sed ita, ut ei nemo se subtrahere possit, ut supra vidimus (n. 543); et plenam intensive, cui proinde nil desit potestatis requisitae ad pascendam, regendam ac gubernandam universalem Ecclesiam, ut patet maxime ex verbis amplissimis: *Tibi dabo claves regni coelorum* (n. 485 s.), et *pasce agnos meos, oves meas* (n. 492 s.); ut patet ex disertis patrum verbis, quibus Petro ejusque successoribus sacerdotii principatum vindicant, et in primis ex primatus exercitio; nulla enim est potestatis ecclesiasticae functio, quam non in Ecclesia universa subinde exercuerint romani pontifices (n. 508 ss.).

Audiatur iterum Nicolaus I. l. c.: »Animadvertendum est, quia non nicaena, non denique ulla synodus, quodquam romanae contulit Ecclesiae privilegium, quae in Petro noverat eam totius jura potestatis pleniter meruisse, et cunctarum Christi ovium regimen accepisse; sicut beatus praesul Bonifatius attestatur (ep. 14. n. 1), universis episcopis per Thessaliam constitutis scribens: ‚Institutio universalis nascentis Ecclesiae de beati Petri sumpsit honore principium, in quo regimen ejus et summa consistit. Ex ejus enim ecclesiastica disciplina per omnes ecclesias, religionis jam crescente cultura fons (Coustantius legit *fonte,* qua lectione adhibita sensus est satis obscurus) emanavit; nicaenae synodi non aliud praecepta testantur; adeo ut non aliquid super eam ausa sit constituere, cum videret nihil supra meritum suum posse conferri. Omnia denique huic noverat Domini sermone concessa:‘ si omnia, ergo defuit nihil, quod non illi concesserit[3]).« Huic vero praerogativae non adversantur Cypriani verba de unit. Eccl. n. 5: »Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur.« Sane episcopatus unus est unitate originis, naturae, finis, corporis,

---

[1]) Cf. praesertim Matth. 16, 19 (n. 312; 485 s.) et 28, 18 s.; supra n. 363; Aug. Müllller in diss. historico-canonica de Placeto regio, Lovanii 1877; Palmieri th. 23; Tarquini In diss. de regio placet adnexa ejus institut. juris eccl. publ.

[2]) Cf. Clemens XI. in bulla ‚Accepimus‘.

[3]) Migne 119, 949; alia praeclara ejusdem verba cf. apud Denzinger Enchir. n. 266, 268.

quod episcopi constituunt: sed non est unus unitate subjecti, pluribus enim inest, et quidem quoad potestatem ordinis eadem ratione, non autem quoad jurisdictionis plenitudinem. Quod si dicit a singulis partem in solidum possideri, distinguimus: hoc dicit ut excludat subjectum cui exclusive insit, Conc.; ut affirmet eum a pluribus participari, subdist. ita ut supponat unum qui sit centrum, radix, fundamentum unitatis episcopalis ideoque ceteris praesit majori auctoritate, Conc.; ut originem, matricem et exordium unitatis episcopalis excludat habeatque omnes episcopos cum romano episcopo aequales, Neg. Legantur sequentia et liquebit, eum episcoporum inter se tueri si vis aequalitatem, non autem cum illo, qui hujus unitatis episcopatus est origo et centrum[1]).

549. Quare 7. *potestas romani pontificis est in Ecclesia suprema,* qua superior vel cui par nulla est. Quocirca concilium vaticanum statuit: „Quoniam divino apostolici primatus jure romanus pontifex universae Ecclesiae praeest, docemus etiam et declaramus, eum esse judicem supremum fidelium, et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse judicium recurri; sedis vero apostolicae, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus licere judicare judicio. Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere a judiciis romanorum pontificum ad oecumenicum concilium tamquam ad auctoritatem romano pontifice superiorem appellare.“

550. Paucis hic attingenda est celebris diu ac subinde acriter agitata controversia *de superioritate romani pontificis super concilium,* quae jam pridem dirempta dici potuit, sed iterum decisa est concilii vaticani auctoritate. Prima semina oppositae sententiae de superioritate conciliorum ex universa Ecclesia congregatorum[2]) supra romanum pontificem comparent sec. XIII. ad finem vergente tempore et occasione dissidii inter Bonifatium VIII. et Philippum Galliae regem; celebris vero evasit initio seculi XV. occasione schismatis occidentalis. Idcirco vero tunc temporis plures in eam abierunt sententiam, quod medium aliud ad tollendum tristissimum schisma non reperirent: proinde hanc superioritatem defendisse non videntur nisi pro casu schismatis sive pontificis incerti. Illam deinde illimitate ultro amplexi sunt richeriani, febroniani, regalistae etc., secundum quos potestas ecclesiastica principalius et immobilius, ut ajunt, residet in Ecclesia, ex qua in pontificem velut in caput ministeriale, ideoque ipsi Ecclesiae ob-

---

[1]) Cf. Mazzella disp. 5. a. 3. § 3; Franzelin th. 9, qui verba ita explicat: „Episcopatus unus est, cujus a singulis quidem pars tenetur, sed nonnisi in solidum h. e. ita ut partes singulae ordinentur ad unum solidum seu ad unitatem totius, nec possint esse partes catholici episcopatus et verae Ecclesiae, nisi quatenus solidentur et uniantur ad totum.“

[2]) Non dicimus conciliorum oecumenicorum, quia concilium proprie oecumenicum includit romanum pontificem, neque enim est vere oecumenicum, si est *acephalum;* quare quaestio minus apte proponitur, si quaeritur, utrum concilium oecumenicum sit supra romanum pontificem.

noxium, redundet. Fatendum tamen est, praeter hos etiam alios theologos, praesertim gallicanos, innixos in primis concilii constantiensis decretis tueri, ita romanum pontificem esse super concilia particularia, ut tamen sit subjectus synodo universali; quam doctrinam solemniter amplexus est clerus gallicanus in famosa declaratione a. 1682 art. 2.

551. Verum post declarationem concilii vaticani dubium esse nequit, romanum pontificem[1]) esse super quodcunque concilium, licet numerosum; sed neque dubium esse poterat post definitionem florentinam, quae ei asserit plenam potestatem pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam: nam plena censeri nequit potestas, quae superiori est obnoxia, neque ea extenditur in universam Ecclesiam (quo nomine non designantur ecclesiae particulares distributive acceptae, sed collective sumptae et quatenus in unum coalescunt Christi ovile), si subjicitur tamquam superiori tribunali episcoporum coetui. Neque dubium esse poterat post bullam Leonis X. in concilio lateranensi V. editam, qua statuit: »Solum romanum pontificem pro tempore exsistentem tamquam auctoritatem super omnia concilia habentem tam conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum jus ac potestatem habere, nedum e s. Scripturae testimonio, dictis ss. patrum ac aliorum rom. pontificum, etiam praedecessorum nostrorum sacrorumque canonum decretis, sed propria etiam eorundem conciliorum confessione manifeste constat.« Jure proinde damnavit Alexander VIII. propos. 29: »Futilis et toties convulsa est assertio de pontificis romani super concilium oecumenicum auctoritate atque in fidei quaestionibus infallibilitate.

552. Pro nostra assertione plura argumenta partim jam allata, partim adhuc afferenda, adduci possunt. Interim sufficiat, quod sententiam oppositam facto reprobaverint Liberius cassando synodum ariminensem licet frequentissimam[2]), et Leo canonem 28. a concilio chalcedonensi alioquin oecumenico sancitum[3]). Reprobavit Nicolaus I. ad Michaelem imp. scribens[4]): »Cum secundum canones, ubi est major auctoritas, judicium inferiorum sit deferendum ad dissolvendum scil. vel ad roborandum, patet profecto, sedis apostolicae, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio.« Quibus plane similia inculcant[5]) Bonifatius I., Gelasius[6]), Ennodius in apologia pro Symmacho et Avitus ep. ad senatores urbis in causa Symmachi (n. 600) et Hadrianus II[7]). Quare etiam concilium oecumenicum VIII. act. 10. can. 21. statuit: »Porro si synodus universalis fuerit congregata, et facta fuerit etiam de sancta romanorum Ecclesia quaevis ambiguitas et controversia, oportet venerabiliter et cum convenienti reverentia de proposita quaestione

---

[1]) Loquimur de pontifice certo, legitime electo, vivente: nam si pontifex esset defunctus vel dubius vel illegitime electus, alia esset quaestio, quae huc non spectat.

[2]) Cf. Damasum ep. 3. ad Orient. n. 1. et Siricium ep. 1. n. 2.

[3]) Cf. infra n. 559. [4]) Ep. 86. Mig. 119, 954. [5]) Ep. 13. n. 2.

[6]) Cf. supra n. 514 cum annot. et mox n. 553.

[7]) Ep. 18 ad Ignat. ep. CP. Bellarminum de conciliis l. 2. c. 13 ss.; de summo pontifice l. 2. c. 26; Cercià sect. 3. lect. 5 ss.

sciscitari et solutionem accipere et aut proficere, aut profectum facere, non tamen audacter sententiam dicere contra summos senioris Romae pontifices.« Quod si quandoque romani pontifices permiserunt, ut eorum causa examinaretur in concilio, id concesserunt ex quadam oeconomia, ut efficacius omnis excluderetur calumniandi occasio vel ut manifestior eorum appareret innocentia.

553. Si autem romani pontificis potestas est supra concilia, et major quavis alia auctoritate, **8.** *ab ea non licet appellare.* Quod jam diserte inculcat Gelasius ep. 26. n. 5: „Non reticemus, quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata pontificum sedes b. Petri apostoli jus habeat resolvendi, utpote quae de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio; siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus.“ Quocirca licet saepius a conciliis provocatum fuerit ad romanos pontifices (n. 513 ss.), nullum tamen appellationis a romano pontifice ad concilium universale reperitur exemplum usque ad Fridericum II. imp., qui teste ipso Petro de Marca[1]), primus fuit, qui a romano pontifice ad futurum conc. oecumenicum appellaverit. Et sane opinio, quod a papa liceat appellare ad concilium oecumenicum est schismatica, committit enim Ecclesiam cum suo capite; est haeretica, nam opponitur dogmati de potestatis plenitudine, quae inest primatui; est absurda, nam nomine concilii oecumenici vel comprehenditur pontifex, et tunc non subjicitur concilio; vel non comprehenditur, et tunc non est oecumenicum, ut mox ostendemus, et ejusmodi concilio multo minus subjicitur pontifex (n. 551 s.).

Contra appellationes ad romanum pontificem praecipuum argumentum petitur ex ecclesia africana, quae illas clericis prohibuit in concilio carthaginensi a. 418 et can. 28. concilii anni sequentis. Sed **1.** quid si ecclesia africana hac in re errasset, sicut Cypriani tempore erravit in quaestione de haereticorum baptismate? Tamen **2.** constat ex ep. concilii africani ad Bonifatium, et ex altera ad Coelestinum; ex ep. 209 s. Augustini ad Coelestinum; ex ep. 12 s. Leonis ad episcopos Africae c. 12, morem appellandi ad romanum pontificem viguisse sicut in aliis ecclesiis ita etiam in Africa tum ante illa concilia, tum illorum tempore, tum etiam post eadem. Quare **3.** dicendum est, episcopos africanos non tam voluisse hoc jus denegare romano pontifici, quam illius exercitium saltem frequens minus opportunum declarare abusumque reprobare. Quam ob rem modeste ad Coelestinum (ep. 2. a. 425 vel 426) scribunt n. 2: «Impendio deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilius admittatis, nec a nobis excommunicatos in communionem ultra velitis excipere.« Ceterum

---

[1]) De concord. sacerdotii et imp. l. 4. c. 17. n. 5. Cf. Pii II. bullam ‚Exsecrabilis‘ contra ejusmodi appellationes apud Denzinger n. 608.

4. concedi potest episcopos africanos in hac controversia et aegre tulisse ejusmodi appellationes, saltem frequentes, et propter abusus, qui ex illis oriri poterant, illas voluisse impedire eoque magis, quod illos canones nicaenos (sardicenses), quibus Zosimus in suo responso nitebatur, plane ignoraverint, neque reperire potuerint[1]). Neque quis provocet ad can. 3. 4. 5. (al. 7) conc. sardicensis, ut inferat rom. pontifici competere tantum jus decernendae revisionis judicii in aliquem episcopum lati: asseritur enim illi verum jus recipiendae appellationis ex qualibet Ecclesiae parte. Neque urgeat quis canonibus illis innixus praerogativam hanc competere rom. episcopo jure tantum ecclesiastico ex concessione scil. illius concilii. Neque enim concilium sardicense asseruit illud jus rom. episcopo, quasi eo antea caruerit, cum ipsum, ut patet ex dictis, essentialiter adnexum sit plenitudini jurisdictionis in universam Ecclesiam propriae primatui: sed declaratur tantum illud jus ac vindicatur adversus arianos, qui plures episcopos non obstante eorum ad sedem romanam appellatione cathedra spoliarant aliosque ordinaverant in eorum locum[2]).

554. Ut vero **9.** accuratius romani pontificis ad concilia oecumenica determinetur relatio, statuimus thesim:

Thesis LXXVIII. ***Jus romani pontificis proprium est convocandi concilia oecumenica, illis praesidendi eaque confirmandi, adeo ut si desit pontificia confirmatio, ea robore careant atque auctoritate, qua universam obligent Ecclesiam.***

Demonstratio p. I. Non solum contendimus triplex quod indicavimus jus competere romano pontifici, sed etiam ita ipsius esse proprium, ut nulli alteri tribui possit. Et revera **1.** convocatio concilii oecumenici authentica (neque enim loquimur de convocatione ministeriali vel de exhortatione tantum quadam et voto illud celebrandi) est actus jurisdictionis ecclesiasticae. Illi ergo tantum competit, qui jurisdictione potitur in universam Ecclesiam. Atqui solus romanus pontifex jurisdictione in universam Ecclesiam potitur. Ergo ipsius tantum est authentice convocare synodum ex universa, qua late patet, Ecclesia. Quod **2.** confirmatur analogia. Sicut enim episcopi est synodum dioecesanam, metropolitae provincialem, primatis plenariam seu nationalem convocare synodum: ita a fortiori ei, qui jure divino praeest capitis instar universae Ecclesiae, jus competet convocandi synodum oecumenicam. Quare Nicolaus I. declarat[3]): „Generale concilium sine apostolicae sedis praecepto nulli fas est vocandi.“ Marcianus vero imp. et Pulcheria Leoni scribunt[4]), ut universalis cogatur synodus, sed ipso auctore σοῦ αὐθεντοῦντος. Ratio vero **3.** est,

---

[1]) Cf. Phillips, Kirchenr. t. 5. § 217; Zaccaria Antifebronii p. 2. l. 3.

[2]) Cf. Lupus in scholiis ad hos can.; Ballerinii in observ. ad diss. V. Quesnelli p. 1. c. 6; Palmieri th. 17. 20.

[3]) Ep. 38. [4]) Ep. 76, 77. inter Leonis ep.

quod episcopi ideo in concilium oecumenicum congregentur, ut leges ferant pro universa Ecclesia. Atqui episcopi licet jurisdictionem habeant in suam dioecesim, neque seorsim neque collecti jus habent ferendi leges obligantes universam Ecclesiam independenter a romano pontifice. Quare nonnisi ipso auctore, ut id accuratissime expressit Pulcheria imp., episcopi in concilium oecumenicum convenire possunt.

555. Neque **4.** hoc jus adscribi potest generatim principibus politicis, neque nominatim imperatoribus. Nam ex historia constat vel ipsa Constantini aetate Ecclesiam latius patuisse ipso imperio romano, atque eam semper diffundi per plurium principum ditionem; nullus ergo principum authentice episcoporum coetum congregare poterit. Quid quod principes vel imperatores esse possint ethnici vel haeretici? his vero nemo jus convocandi concilium oecumenicum tribuet. Quare hoc jus ex Christi institutione annexum censeri nequit potestati politicae, cui alioquin nulla est in negotiis ecclesiasticis auctoritas (n. 450 s.). Negari quidem **5.** nequit, plurium conciliorum, etiam talium, quae inter oecumenica recensentur, convocationem imperatoribus esse tribuendam. Verum **a.** nos modo non de facto, sed de jure sumus solliciti, neque enim ex quolibet facto jus inferri potest; facta vero **b.** illa, nisi apte explicentur, legitima censeri non possunt. Qua in sententia confirmamur ipso etiam exitu tristi plerorumque illorum conciliorum, quae imperatores citra romani pontificis consensum pro suo convocarunt arbitrio. Quam rationem jam urget Maximus M. in collatione cum Theodosio episcopo Caesareae (Mig. 129, 636): unde ex ipso eventu colligitur, jus convocandi concilii principibus nonnisi cum maximo Ecclesiae damno tribui. Ceterum **c.** ex conciliorum historia non obscure demonstrari potest, pleraque concilia oecumenica ad octavum usque, quorum convocatio tribui solet imperatoribus, non fuisse ab iisdem indicta citra nutum atque assensum episcoporum, in primis vero romani pontificis[1]); quare **d.** hoc exstitit discrimen inter romanos episcopos et imperatores convocantes concilia, quod illi accepto per Christum jure veri exstiterint convocationis auctores, hi vero honorem splendoremque convocationis obtinuerint. Neque desunt **6.** rationes sat graves, propter quas romani praesules haud minimam concesserint imperatoribus partem in convocandis conciliis oecumenicis. Ejusmodi rationes fuerunt **a.** quod Ecclesiae romanisque pontificibus cordi semper fuerit sacerdotii atque imperii pax; quod **b.** egregia fuerint aliquot imperatorum et Constantini potissimum in Ecclesiam merita, ideoque decuerit, ut illis non minimum deferretur; quod **c.** nonnisi ab imperatoribus exspectandum foret praesidium, quo pravi et haeretici compescerentur homines; quod **d.** necessaria esset imperatorum munificentia, ut impensis pro instituendis itineribus consuleretur; quod **e.** nonnisi imperatorum consensu eligi posset civitas, in quam episcopi magno numero ex orbe universo convenirent.

556. **Demonstratio p. II.** Eodem titulo, quo solius romani pontificis est concilium convocare oecumenicum, ipsius quoque est eidem

---

[1]) Cf. Palmieri th. 28; in primis Blötzer der h. Stuhl und die ökum. Synoden etc. Zeitschr. für kath. Theol. 1886 pag. 67 ss.

praesidere. Nam concilium oecumenicum ipsam debet prae se ferre et repraesentare Ecclesiam, qualem eam Christus instituit. Ecclesiam vero ita instituit Christus, ut illi jugiter praeesse debeant Petrus ejusque successores legitimi et quidem cum plenitudine potestatis. Ergo et in concilio praeerit cum plenitudine potestatis. Et revera si consulantur, quae de conciliorum oecumenicorum celebratione consignata sunt literis, manifestum erit **1.** omnibus conciliis in Occidente habitis non alios citra controversiam quam romanos praefuisse antistites; tum **2.** manifestum erit, id etiam esse repetendum de conciliis in Oriente celebratis, si duo excipiantur II. et V., quae propterea spectata celebratione oecumenica censeri nequeunt. Quocirca etiam Dioscorus, qui ejectis Leonis I. legatis jus sibi vindicavit praesidendi in concilio ephesino, reprehensus fuit a concilio chalcedonensi, „quod synodum ausus sit facere citra sententiam throni apostolici, quod nunquam licuit, nunquam factum est [1]).“

557. *Quo sensu praefuerint conciliis imperatores.* — Quod si legimus, imperatores nonnullis praefuisse synodis, ut IV., VII. et VIII., adverti debet, triplicem secerni posse modum praesidendi concilio, quorum primus est, ut quis in fidei decretis condendis, sancienda disciplina, statuendis canonibus praesideat episcopis ut membris caput; alter in eo est situs, ut quis rerum agendarum consultationumque ordini prospiciat, conventusque tranquillitatem tueatur; tertius denique praesidendi modus principe et honoratiore loco continetur. Atqui concedi nequit, imperatores praesedisse conciliis priori modo, cum careant quavis jurisdictione ecclesiastica [2]). Ergo concedi tantum potest, eos praesedisse altero atque tertio modo; quod etiam suadetur verbis epistolae concilii chalcedonensis ad Leonem M. c. 1: „Quibus (episcopis) tu quidem sicut membris caput praeeras, in his, qui tuas vices gerebant benevolentiam praeferens: imperatores vero fideles ad ornandum decentissime praesidebant sicut Zorobabel Jesu [3]) Ecclesiae tamquam Jerusalem aedificationem renovare circa dogmata invitantes.«

558. **Demonstratio p. III.** Praecipua romani pontificis praerogativa relate ad concilia est jus confirmandi decreta, ut authentica sint vimque habeant omnes obligandi, quae haud difficulter probatur. Sane **1.** conciliorum oecumenicorum decreta inde suam mutuantur auctoritatem vimque obligandi, quod ab Ecclesia legitime repraesentata dimanent. Atqui nulla auctore Christo legitima habetur haberique potest Ecclesiae repraesentatio, si Petrus, „qui universae, quae sub coelo est, Ecclesiae princeps est pastor [4])“ desit, vel ea ratione non adsit, quae ejusdem praerogativis convenit quamque primatus illi divinitus traditus flagitat; nam „ubi est Petrus, ibi Ecclesia,“ teste Am-

---

[1]) Cf. Hardouin 2, 68. [2]) Cf. n. 451 s.
[3]) 1. Esdr. 3, 2. [4]) Ita Theod. Studita ad Leonem III.

brosio in Ps. 40 n. 30. Quare merito 2. romani pontifices passim hoc jus sibi vindicant nemine reclamante. Illud insinuat jam Julius I. in ep. ad eusebianos, qui inscio romano pontifice auctoritate propria Athanasium secundae sedis episcopum deposuerant, scribens n. 22: „An ignoratis, hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, et hinc quod justum est decernatur?“ Haec enim causa non spectabat ad concilium particulare citra romani antistitis consensum solo principis nutu coactum. Quem in sensum Julii verba interpretati sunt Sozomenus et Socrates, quorum ille ea respiciens statuit H. E. III, 10, „pro irritis habenda esse quae praeter sententiam episcopi romani fuerint gesta (utique in causa majori);“ hic vero refert II, 17, Julium conquestum esse „quod contra canones ipsum ad synodum non vocassent, cum ecclesiastica regula interdictum sit, ne praeter sententiam romani pontificis quidquam ab Ecclesia decernatur.“ Clarissime vero hoc jus enunciat Gelasius I.: „Totum, ut dictum, est in sedis apostolicae positum potestate. Ita quod firmavit in synodo (chalcedonensi) sedes apostolica, hoc robur obtinuit; quod refutavit, habere non potuit firmitatem: et sola rescindit, quod praeter ordinem congregatio synodica putaverat usurpandum [1];“ et in ep. ad episcopos Dardaniae [2]: „Sedes apostolica et unamquamque synodum sua auctoritate confirmat et continuata moderatione custodit pro suo scil. principatu.“ Non minus peremptorie hanc praerogativam sedi apostolicae asserit Nicolaus I. ad Michaelem imp. scribens [3]: „Non ergo dicatis, non eguisse vos in causa pietatis romanae Ecclesiae, quae collecta concilia sua auctoritate firmat, sua auctoritate custodit. Unde quaedam eorum, quia consensum romani pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderunt,“ quod dein factis comprobat. Photio vero scribit ep. 12: „Decretalia autem, quae a ss. pontificibus primae sedis romanae Ecclesiae sunt instituta, cujus auctoritate atque sanctione omnes synodi et sancta concilia roborantur et stabilitatem sumunt, cur vos non habere vel observare dicitis, nisi quia vestrae ordinationi contradicunt?“

---

[1]) Tr. 4. de anath. vinculo n. 9.

[2]) Ep. 26. n. 3; cf. n. 5 (n. 514) 6. 10.

[3]) Ep. 86. Cf. ep. 4. 46. 65. (Migne 116, 773. 858 et 882). Cf. etiam verba Innocentii I. ad conc. carthag. ep. 29 n. 1. opusc. XVIII, 80. Tamquam fragmentum epistolae Pelagii II. haec affert Balluzius Miscellan. t. 5. p. 467: „Synodorum congregandarum auctoritas apostolicae sedi privata commissa est potestate, nec ullam synodum generalem ratam esse legimus, quae ejus non fuerit auctoritate congregata vel fulta. Haec auctoritas testatur canonica, haec historia ecclesiastica roborat, haec sancti patres confirmant.“ Quibus similia leguntur in ejus ep. 6. ad Joannem CP., quae tamen spuriis accensetur.

559. Praerogativam hanc **3.** facta luculenta comprobant. Huc spectant quae de cassato per Liberium concilio ariminensi supra diximus (n. 552); huc spectant facta, ad quae provocat Gelasius ep. 26. (n. 514); huc instructio a Coelestino legatis suis, quos ad concilium ephesinum misit, data (ep. 17): „Ut interesse conventui debeatis, ita ille; ad disceptationem si fuerit ventum, vos de eorum sententiis judicare debeatis, non subire certamen."

In primis vero jus pontificium gestis concilii chalcedonensis confirmatur. Unanimes sanxerant patres can. 28., quo sedi constantinopolitanae primus post sedem apostolicam gradus tribuitur. Verum non obstante tot episcoporum (c. 600) universi Orientis consensione, existimarunt ipsi vim canoni non inesse, nisi a Leone confirmaretur. Quare concilium enixe petiit (ep. 98) confirmationem: „Rogamus igitur, scribunt concilii patres, et tuis decretis nostrum honora judicium, et sicut nos capiti in bonis adjecimus consonantiam; sic et summitas tua filiis, quod decet, adimpleat." Et iterum: „Omnem vobis gestorum vim insinuavimus ad eorum, quae a nobis gesta sunt, firmitatem et consonantiam." Petiit et Marcianus imperator[1]); petiit et Anatolius, qui se ab ambitionis vitio quasi purgans canonis condendi causam in clerum constantinopolitanum rejecit addens n. 1: „Oportebat omnia necessario ad notitiam tuae Sanctitatis referri, quae consecuta sunt;" et n. 2: „Quoniam vero post ipsos (legatos tuos) par erat, ut reliquae chartae, quae debent necessarie ad vestram cognitionem venire, per nostros homines mitterentur, eo quod specialiter quaedam a nobis acta sunt... ut cum alia quidem per literas, alia vero per seipsos manifesta fecerint, convenienti vobisque digno responso ad nos cum gaudio revertantur etc." Sed non obstante tanta intercessione Leo recusavit confirmationem, quocirca „cuncta acta illius synodi (circa hunc canonem) sede contradicente apostolica soluta sunt," inquit[2]) Gregorius M. Unde factum est, ut eutychiani tumultus excitarent occasionemque sumerent dubitationis ingerendae de ipsa chalcedonensi definitione fidei: „Illi enim, ut refert s. Leo[3]), occasione velandae perfidiae suae infirma vel dubia videri volunt statuta concilii, quae nulla sint consensus mei sententia roborata." Quare Marcianus ad eundem scribens enixe rogat[4]): „ob eam rem tua pietas literas mittere dignabitur, per quas omnibus ecclesiis et populis manifestum fiat, in sancta synodo peracta a tua beatitudine rata haberi." Huc deinde spectant quae legimus in synodi VII. act. 6., in qua rejiciuntur concilia coacta ab imperatoribus Leone et Constantino iconomachis, quod scil. „adjutorem non habuerint illius temporis romanum papam vel eos, qui circa ipsum sunt sacerdotes, nec etiam

---

[1]) Ep. inter s. Leonis 110. Quanti fecerit Marcianus s. Leonis confirmationem, colligitur etiam ex. ep. Leonis 116 al. 90. ad Pulcheriam n. 2: „Quod vero piissimus imperator ad omnes episcopos, qui chalcedonensi synodo interfuere, voluit me scripta dirigere, quibus quae illic sunt definita, firmarem, libenter implevi, ne fallax cujuspiam simulatio sententiam meam haberet incertam."

[2]) L. 5. ep. 21. Ita etiam Gelasius n. 558 et Ferrandus n. 377.

[3]) Ep. 117. [4]) Inter s. Leonis ep. 110.

per vicarios ejus, nec per encyclicam epistolam, quemadmodum dictat lex conciliorum[1]).«

560. *Exceptionibus satisfit.* — Huic romani pontificis praerogativae non obest, si qua forte sunt concilia oecumenica, quorum in actis nihil legimus de eorum confirmatione. Cum enim duo sint conciliorum per pontificem confirmationis genera, unum ut conciliorum decreta ad pontificem delata ipse comprobet atque confirmet: alterum vero, ut ipse primus sententiam promat illamque concilio sequendam proponat, ita ut ab eo discedere integrum eidem non sit: concedere possumus, nonnulla concilia, cujusmodi fuerunt ephesinum, chalcedonense, constantinopolitanum III. et nicaenum II., hoc posteriori modo firmam auctoritatem esse adepta. Cum enim ista concilia ad pontificum definitiones sua exigerent decreta, quidquid in ipsis definitum fuit, romanae sedis auctoritate constitutum dici merito potuit, quin iterum confirmari oportuerit[2]).

561. *Quo sensu episcopi confirmarint concilia.* — Legimus episcopos tum seorsim, tum in synodos particulares congregatos, concilia confirmasse oecumenica. Verum **1.** episcoporum confirmatio censeri nequit ejusdem rationis cum ea, quam romanis pontificibus vindicavimus. „Neque enim licuit aliquando, scribit Pelagius I. ad Valerianum, nec licebit particularem synodum ad dijudicandam generalem synodum congregari[3]).« Si **2.** quae objiciuntur, attentius expendantur, innotescet, confirmationem illam non fuisse juridice liberam, sed necessariam et officii potius exsecutionem quam juris exercitium. Quapropter **3.** ex illa repeti nequit decretorum vis atque robur. Illa autem **4.** eo spectabat, ut consensio catholici nominis illustrius splenderet, quo splendore ipsa conciliorum oecumenicorum auctoritas adversarios vehementius percelleret. Quare Rusticus diaconus acephalos ea consensione urget ad concilii chalcedonensis agnoscendam auctoritatem[4]): „Sufficeret tibi, inquit, unica auctoritas synodi universalis, quae numero superat universas, quae toties cunctarum ecclesiarum consona sententia confirmata est tam per encyclicas epistolas regnante Leone, quam per libellos sacerdotum forsan 2500 imperante Justino.«

562. *De caesarea conciliorum confirmatione.* — Legimus praeterea imperatores quoque synodorum decreta confirmasse. Verum **1.** ab hac confirmatione repeti non posse internam decretorum vim atque valorem patet; absonum enim est eum ab illis repetere, qui ecclesiastica penitus carent potestate,

---

[1]) Magni quoque momenti sunt, quae legimus in actis ejusdem synodi de vicariis sedium alexandrinae, antiochenae et hierosolymitanae, qui scil. declararunt nullum oriri praejudicium adversus decreta synodi VI., quod nullus sedium patriarchalium Orientis ei interfuerit, „praecipue cum ss. et apostolicus papa romanus concordaverit et in ea inventus sit per apocrisarios suos.« Mansi XII, 1133.

[2]) Ceterum silentium de confirmatione pontificia repeti etiam inde quandoque poterit, quod interciderint acta. Ita ex. gr. synodus romana sub Felice II. a. 485 testatur (Mansi 7, 1140): „Quam vocem (*Tu es Petrus* etc.) sequentes 318 patres apud Nicaeam congregati confirmationem rerum atque auctoritatem s. romanae Ecclesiae detulerunt.« Cf. Palmieri pag. 533 ss.

[3]) Migne 69, 413. Cf. prop. 11. syn. pistor. supra n. 379.

[4]) In disp. adversus eos ib. 67, 1251. Cf. n. 592 s.

ac ne jus quidem habent judicum instar sedendi in conciliis[1]). „Quandonam Ecclesiae decretum, quaerit merito Athanasius[2]), ab imperatore accepit auctoritatem, aut pro decreto illud habitum est? Multae antehac synodi coactae sunt, multa prodiere Ecclesiae decreta, sed nunquam imperator ecclesiastica curiose perquisivit. Ex Caesaris domesticis quidam Paulo apostolo amici fuere, quorum nomine philippenses ille in epistola sua (4, 22) salutavit, sed nequaquam illos judiciorum consortes adhibuit.« Quare **2.** ex confirmatione caesarea auctoritas tantum externa externusque splendor decretis accedit, quatenus nimirum imperatores confirmando conciliorum statuta, in suam ea recipiunt tutelam, interdicunt magistratibus provinciarum, ne illa violent, in censum quoque legum civilium referunt ac quandoque intentatis poenis eorum promovent custodiam. „Res enim humanae, advertit s. Leo, aliter tutae esse non possunt, nisi quae ad divinam confessionem pertinent; et regia et sacerdotalis defendat auctoritas[3]).»

563. Sed jam **10.** ad romani pontificis infallibilitatem veniamus, quam eidem thesi sequenti vindicamus.

Thesis LXXIX. ***„Romanus pontifex, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in b. Petro promissam, ea infallibilitate pollet, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit, ideoque ejusmodi romani pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae, irreformabiles sunt.“***

Declaratio. Licet thesis, qua continetur ipsa vaticana definitio sess. 4. c. 4., per se sit clara, illustrationis gratia quaedam animadvertemus: **1.** in thesi asseritur romano pontifici, proinde singulis infallibilitatis praerogativa, non tantum pontificum seriei, contra eos, qui distinguentes (ut card. de Luzerne, Bossuet etc.) inter sedentes et sedem, contendunt, singulos quidem pontifices posse errare, sed non sedem romanam seu pontificum seriem: cum, etsi unus erret, vel ipse vel ejus successor errorem emendet, ita ut nunquam ipsa sedes possit deficere, ut defecit ex. gr. sedes alexandrina vel antiochena. **2.** declaratur contra gallicanos, qui concedunt quidem in declar. a. 1682 art. 4 romani pontificis infallibilitatem, sed sub conditione, ‚si Ecclesiae consensus accesserit,‘ rom. pontificis definitiones ex sese, non ex consensu Ecclesiae esse irreformabiles. Vindicatur **3.** romano pontifici infallibilitas i. e. immunitas ab errore, non a peccato, et quidem **4.** non pro quocunque casu, sed quando ex cathedra loquitur[4]), quam notionem conc. distincte exponit quatuor exigens condi-

---

[1]) Cf. n. 374. 450 s. [2]) In hist. arian. ad monachos n. 52.

[3]) Ep. 60. Cf. Thomassinus dissert. 3. 6. 10. in concilia; Hefele Conciliengeschichte introd.; Archiv für kath. Kirchenrecht 2, 555 ss.

[4]) Si subinde incertum est, utrum aliqua pontificis sententia definitio sit e cathedra, advertatur, non minus difficile persaepe esse statuere, utrum certa quaedam concilii oecumenici verba synodalem contineant definitionem. Sicut ergo

tiones: **a.** ex parte pontificis, ut doceat non qua theologus, qua doctus etc., sed qua pontifex (sensu reduplicativo) i. e. qua omnium christianorum pastor et doctor pro suprema sua auctoritate; **b.** ex parte materiae, ut definiat de fide et moribus; **c.** ex parte formae, ut definiat, non tantum consulat, moneat: sed ut finem controversiae imponat, definitivam sententiam proferat cum intentione obligandi; **d.** ex parte termini, ut licet non omnes actu alloquatur, licet ad unum tantum scribat, aliquid definiat ab omnibus, ab universa Ecclesia tenendum. **5.** statuitur, romanum pontificem cum e cathedra loquitur, ea pollere infallibilitate, qua pollet Ecclesia: ideoque **a.** idem est objectum infallibilitatis pontificiae ac infallibilitatis Ecclesiae, eadem **b.** quoque indoles[1]); quare pontifex neque ex inspiratione, neque ex nova quadam revelatione est infallibilis, sed per s. Spiritus assistentiam. Advertimus **6.** hanc veritatem practice quidem negatam fuisse ab omnibus haereticis, explicite tamen nonnisi medio aevo a theologis factionum haereticarum vel schismaticarum; occasione vero tristissimi schismatis occidentalis errorem oppositum in Ecclesiam irrepsisse ac quandam speciem induisse per declarationem cleri gallicani a. 1682, quae tamen plus fuit opus politicae, quam traditionis summa et fructus studii serii theologici[2]): unde mox a suis auctoribus retractata fuit; ab eo tamen tempore non defuisse theologos, qui illi errori inhaeserint, donec is aetate nostra audacius caput suum extulerit.

563[a]. **Demonstratio.** Tot suppeditant pro infallibilitate romani pontificis argumenta, ut difficile sit in iis adducendis servare modum. Consequitur romani pontificis infallibilitas sponte sua **1.** *per modum corollarii* ex variis Ecclesiae universalis definitionibus vel judiciis authenticis[3]): quare in dubium vocari nequit, quin illa vocentur in

---

hoc dubium optime conciliari potest cum fide in conciliorum oecumenicorum infallibilitatem: ita singulare dubium, an aliquid definitum censeri debeat e cathedra, dogmati de romani pontificis inerrantia non adversabitur. Serventur proinde etiam hic illae regulae, quas infra n. 668 statuemus ad cognoscendum, utrum aliquid sit a concilio definitum; manente dubio prudenti, nulla erit definitio e cathedra. Ceterum juverit jam a disputationis exordio prae oculis habere, plerasque difficultates adversus hoc dogma petere etiam conciliorum oecumenicorum infallibilitatem, quae omnibus diligenter expensis vix facilius firmiusque probari potest. Cf. Kleutgen disput. theologica de rom. pont. suprema potestate docendi, Neapoli 1870 § 1; Mazzella disp. 5. a. 6.

[1]) Cf. supra n. 380 ss.; 391. [2]) Cf. n. 217 adn.; Heinrich § 97.

[3]) Concilium vaticanum volens magisterium romani pontificis infallibile sancire primum provocat ad ejusmodi conciliorum oecumenicorum decreta, ut pateat, dogma non esse novum novitate originis, sed tantum novum novitate explicationis, seu melius novitate propositionis. Continebatur enim jam antiquis fidei regulis, non quidem explicite et formaliter, sed implicite et virtualiter; et quidem ita clare, ut innumeri theologi illud inde eruerint (hinc negavimus novitatem explicationis). Quod adeo est verum ut Petitdidier († 1728) in introduct.ad l. de auctoritate et infallibilitate ss. pontificum praeeunte Melch. Cano († 1560) de locis theol. l. 6. c. 7. scribere potuerit: „Plane persua-

discrimen. Huc spectat Hormisdae formula Orientis episcopis, qui schismatis acaciani participes fuere, praescripta hujus tenoris: „Prima salus est regulam rectae fidei custodire et a constitutis patrum nullatenus deviare. Et quia non potest D. N. J. Christi praetermitti sententia dicentis: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* (Matth. 16, 18), haec, quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in sede apostolica immaculata est semper catholica reservata religio et sancta celebrata doctrina [1]). Ab hujus ergo fide et doctrina separari minime cupientes . . . speramus, ut in una communione, quam sedes apostolica praedicat, esse mereamur, in qua est integra et vera christianae religionis soliditas [2]), promittentes etiam sequestratos a communione Ecclesiae catholicae i. e. non consentientes sedi apostolicae, eorum nomina inter sacra non esse recitanda mysteria.“ Porro consideretur **a.** formulae auctoritas: habebatur enim pro tessera orthodoxiae; nam nonnisi praemissa ejus subscriptione recipiebantur episcopi, qui fuerant participes schismatis acaciani (n. 578); eadem subscripta fuit ab episcopis 2500 [3]), ab imperatore Justiniano, patriarchis constantinopolitanis Epiphanio, Joanne et Menna, denique in VIII. synodo oecumenica act. 1. a patribus graecis et latinis. Jam vero **b.** in ea factum infallibilitatis enunciatur: „in sede apostolica immaculata est semper servata religio [4]).“ Quod **c.** non contigit casu; nam facti ratio

---

sum sibi habent minimeque dubitant, si moderno tempore in quadam oecumenica synodo haec quaestio ad decidendum proponeretur, ubi cuique libere mentem suam aperire licitum foret, in summorum pontificum favorem definiretur.“ Tamen ad omnem dubitationis nubeculam abigendam Ecclesia illationem et explicationem authentico comprobavit judicio, quod ante nondum fecerat: en propositionis novitatem. Habes hic specimen illius fidei profectus, de quo supra egimus n. 220 ss. Quocirca corruunt, quae Döllinger Erwägungen n. 1. aliique propter hujus dogmatis novitatem excipiunt.

[1]) Haec verba ‚et sancta celebrata doctrina‘ non leguntur in formula fidei Hormisdae, prout habetur in ep. 7. seu indiculo dato suis legatis ad Anastasium imp., nec in ep. 26. ad episc. Hisp. ed. Thiel; leguntur tamen in formula subscripta in conc. oecum. VIII. act. 1., unde eam recepit conc. vaticanum. Ita etiam infra legitur vera pro verax.

[2]) Hucusque concilium vaticanum verba formulae allegat. Ceterum varias lectiones et additamenta huic formulae adjecta cf. apud Heinrich § 96.

[3]) Hoc fatetur Döllinger ipse Kirchengeschichte 1, 177 ed. 2. a. 1853. Cf. supra Rustici diaconi verba n. 561.

[4]) Hoc factum saepius inculcat s. Agatho in sua ad Augustos epistola, in qua inter alia ejusdem facti originem aperit scribens (Mig. 87, 1168): „Ejus (Petri) vera confessio a Patre de coelis est revelata, pro qua a Domino omnium beatus esse pronunciatus est Petrus: qui et spiritales oves Ecclesiae ab ipso Redemptore omnium terna commendatione pascendas suscepit, cujus annitente prae-

redditur verbis Christi ad Petrum: *Tu es Petrus* etc., quae cum semper vera sint atque ad omnes ejusdem spectent successores, similem semper effectum habebunt. Haud obscure vero **d.** hujus divini consilii finis aperitur verbis: „in qua est integra et vera christianae religionis soliditas [1]);“ cum enim aedificii soliditas pendeat a fundamenti firmitate (Matth. 7, 24 ss.), cathedra vero Petri sit Ecclesiae fundamentum: mirum esse non debet, quod Christus, ut integra et vera christianae religionis sit soliditas, ita cathedram Petri firmaverit, ut in ea et per eam semper immaculata servetur religio. Hinc **e.** practicum infertur corollarium, dissensum a sede apostolica divellere a communione Ecclesiae catholicae, et ne a vera excidamus fide, communionem cum sede apostolica esse servandam (n. 419). Quibus dogma nostrum plenissime continetur.

564. „Approbante vero, ita prosequitur conc. vatic. l. c. post allatam formulam Hormisdae, lugdunensi concilio II. graeci professi sunt: Sanctam romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinere, quem se ab ipso Domino in b. Petro apostolorum principe sive vertice, cujus romanus pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse

---

sidio, haec apostolica ejus Ecclesia nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est: cujus auctoritatem, utpote apostolorum omnium principis, semper omnis catholica Christi Ecclesia et universales synodi fideliter amplectentes in cunctis secutae sunt omnesque venerabiles patres apostolicam ejus doctrinam amplexi.« In quae verba cf. Kleutgen Zeitschr. für kath. Theologie, Oeniponti 1881 p. 768. Quod si sedes apostolica immaculatam semper servavit religionem, ut dicitur in formula Hormisdae, et nunquam a via veritatis deflexa est, ut quater saltem Agatho inculcat, excluditur **1.** quorundam effugium, indefectibilitatem in fide competere tantum pontificum seriei seu successioni, non vero singulis; sequitur **2.** nil novisse Agathonem et patres conc. oecumenici VIII. act. 1. de lapsu Honorii in definitione fidei, quae fuerit e cathedra. Eoque majoris facienda est epistola Agathonis, quod de ea dixerint patres conc. oecumenici VI. in ep. ad eundem (Mig. 87, 1248): „Itaque tibi ut primae sedis antistiti universalis Ecclesiae, quid agendum sit relinquimus, stanti super firmam fidei petram, libenter perlectis verae confessionis literis a vestra paterna beatitudine ad piissimum imperatorem missis: quas ut a summo apostolorum vertice divine perscriptas (θεολογηθέντα) agnoscimus, per quas exortam nuper multiplicis erroris sectam haereticam depulimus etc.« In oratione vero ad imperatorem habita (Mansi, coll. conc. 11, 666) exclamaverunt: »Charta et atramentum videbatur et per Agathonem Petrus loquebatur.«

[1]) Quod agnovit Theodorus Studita l. 2. ep. 129 ad Leonem sacellarium scribens: „Quod si haec minime probet imperator deflexitque, ut ipse ait, a veritate Nicephorus patriarcha: mittenda est ad romanum (patriarcham) ex utraque parte legatio, et inde accipienda certitudo fidei τὸ ἀσφαλὲς τῆς πίστεως.“ Cf. etiam ep. 86.

veraciter et humiliter recognoscit; et sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent judicio definiri [1]." Quibus exhibetur romanus pontifex controversiarum judex et quidem supremus, qui judicio non quocunque, sed peremptorio fidei quaestiones dirimat. Tribuitur enim ipsi potestatis plenitudo, statimque subjicitur hujus potestatis unum ex pluribus munus, defendere veritatem atque idcirco definire quaestiones fidei. Ergo et in hoc munere plenitudinem possidebit potestatis: judex ergo, qui pleniori potestate hoc munere fungatur, in Ecclesia non est. Quapropter etiam supremum et peremptorium erit ejus judicium, a quo non datur appellatio, proinde infallibile (cf. n. 466).

565. Provocat tertio loco conc. vaticanum ad synodi florentinae definitionem, qua definitur: „Pontificem romanum verum Christi vicarium totiusque Ecclesiae caput et omnium christianorum patrem ac doctorem exsistere; et ipsi in b. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. J. Christo plenam potestatem traditam esse." Cum in potestate pascendi, regendi ac gubernandi potestas docendi quoque includatur, profecto et haec plena erit. Atqui plena non foret docendi potestas romani pontificis, si aliquid certitudinis et authentiae ei deesset; si plenum et absolutum non posset determinare assensum; si non sufficeret ad peremptorium de controversiis fidei judicium ferendum; si ejus auctoritas sustentanda, firmanda, complenda esset assensu episcoporum; si hos antecedenter ad eorum assensum non obligaret; si non aequaret docendi potestatem Ecclesiae infallibilis; verbo si ejus docendi potestas non esset infallibilis. Ergo eo ipso, quod asseritur romano pontifici plena docendi potestas, vindicatur ei etiam infallibilitas, qua docendi potestas completur et consummatur. Videant ergo adversarii, quo jure novitatis insimulent dogma: qua logica profiteantur antiquiorum se conciliorum amplecti doctrinam, dum negant romani pontificis infallibilitatem.

---

[1]) Haec quasi in antecessum commentans s. Bernardus scribit in praef. ep. 100. in causa Abaelardi ad Innocentium II.: „Oportet ad vestrum referri apostolatum pericula quaeque et scandala emergentia in regno Dei, et praesertim quae de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non potest fides sentire defectum. Haec quippe hujus praerogativa sedis. Cui enim aliquando dictum est: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua?* Ergo quod seqitur, a successore Petri exigitur: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (Luc. 22, 32) . . . In eo plane Petri impletis vicem, cujus tenetis et sedem, si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, si vestra auctoritate conteritis fidei corruptores." Cf. verba Possessoris n. 509.

566. *Argumenta ex s. Scripturis.* — Non minori evidentia **2.** colligitur romani pontificis infallibilitas ex splendidissimis Christi verbis, quibus ipsum instituit primatum: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*[1]) etc. Sane vi horum verborum Petrus cum suis successoribus, in quibus vivere pergit, petra et fundamentum constituitur Ecclesiae universalis, et quidem ratione fidei; Ecclesia enim schola est Christi, quae in fide fundatur et fide regitur; est regnum veritatis, quam interim credendo tenemus, donec ad eam cernendam in coelestem admittimur patriam. Ita vero Petrus fundamentum est Ecclesiae, ut haec ex ipso suam invictam mutuetur firmitatem. Ideo enim Ecclesia fundata est super Petrum petram, ut adversus portas inferi sit invicta, sicut sapientis illius architecti domus, quae idcirco non cecidit, quia *fundata erat super petram* (Matth. 7, 25). Atqui Petrus ejusque successores nec petra nec fundamentum forent, a quo Ecclesia suam invictam adversus regnum erroris et tenebrarum mutuetur fortitudinem, si et ipsi omni circumferri possent vento doctrinae et erroris, si firmitate in fide carerent, si eorum decreta, ut firma sint, consensu illius Ecclesiae essent confirmanda, quae tota ab illis pendet. Ergo cum ipso petrae munere, quo Petrus ejusque aucti fuere successores, infallibilitatis praerogativa cohaeret.

567. Tria praeterea hujus loci occasione adverti possunt. Ex eo **a.** liquet, quando Petrus ejusque successores infallibilitatis dote fruantur: tunc scil. cum munus petrae fidei exercent, atque Ecclesiam in fide qua petra sustentant; fidei puritati, unitati, firmitati consulunt ejusque hostes damnant. **b.** Etsi in ordine objectivo (vi hujus textus) prior sit infallibilitas primatus, quam Ecclesiae, sicut in ordine naturae prior est fundamenti firmitas, quam stabilitas aedificii: fieri tamen poterit, ut in ordine logico et cognitionis prius innotescat dogma de Ecclesiae infallibilitate, quam dogma de inerrantia romani pontificis; sicut prius innotescit aedificii firmitas quam firmitas fundamenti. Logica tamen illatione ex illius firmitate hujus licebit inferre soliditatem, adeo ut fides in romani pontificis infallibilitatem sequatur ex articulata magis fide in Ecclesiae infallibilitatem. Quare definitio infallibilitatis romani pontificis non est fidei innovatio, sed explicatio atque profectus. **c.** Negata pontificis romani infallibilitate vix defendi poterit ex Matth. 16, 18 Ecclesiae infallibilitas, et tamen omnium theologorum consensu locus hic classicus est ad eam comprobandam praerogativam. Secundum sententiam enim ipsius Christi aedificii firmitas pendet a firmitate fundamenti, et Petrus »petra dicitur, eo quod... tamquam saxum immobile totius operis christiani compagem molemque contineat[2]).«

---

[1]) Matth. 16, 18; cf. supra n. 476.

[2]) Maximus taurin. serm. 54. Luculentius id expressit s. Leo serm. 4. n. 2. 3: »Magnum et mirabile huic viro (Petro) consortium potentiae suae tribuit divina dignatio; et si quid cum eo commune ceteris voluit esse principibus,

Etiam ex verbis sequentibus: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis* etc. eadem praerogativa confirmatur. Haec enim spectant ad potestatem quoque docendi, qua pontifex fideles ad aliquid credendum seu tenendum obligat. Nequit autem id ratum haberi in coelis, si erroneum sit. Ipsa ergo amplissima ad ligandum vel assensum potestas cum errandi possibilitate non potest conciliari.

568. Romani pontificis infallibilitas colligitur 3. ex verbis Christi: *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (Luc. 22, 32 s.). Quibus verbis significatur, fidem Petri, quatenus est fratrum confirmator, non esse defecturam, nulli proinde fore errori obnoxiam. „Considerate, inquit citatis hisce verbis Pelagius II. ep. 3, quia veritas mentiri non potuit, nec fides Petri in aeternum quassari poterit vel mutari: nam cum omnes discipulos diabolus ad cribrandum poposcerit, pro solo Petro se Do-

---

nunquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit. . . . In Petro ergo omnium fortitudo munitur, et divinae gratiae ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quae per Christum Petro tribuitur, per Petrum apostolis conferatur.« Juverit etiam duorum orientalium sensa occasione hujus oraculi dominici in confirmationem nostrae illationis audire. Ita scribit s. Maximus confessor ep. Romae scripta opp. t. 2. ed. Combefisii p. 72: „Omnes enim, inquit, orbis terrarum fines et qui ubique gentium Dominum vere rectaque fide confitentur, velut in solem sempiternae lucis in sanctissimam romanam Ecclesiam ejusque confessionem ac fidem recta intortis oculis respiciunt, ex ipsa effulgurans exspectantes jubar, patrum doctrinae sanctorumque, prout sincere omnique pietate numine afflatae atque divinae sanctae sex synodi exposuere, explicatissime fidei symbolum edentes. Ab initio enim quando ad nos Dei Verbum assumpta carne descendit, unicam firmam basim ac fundamentum omnes ubique christianorum ecclesiae, quae ibi (Romae) est, maximam nacti sunt habentque Ecclesiam, ut in quam juxta ipsam Salvatoris promissionem portae inferi haudquaquam praevaluerint, sed quae rectae fidei in ipsum ac confessionis claves habeat, hisque qui cum pietate accedant, quae vere natura est solamque pietatem aperiat; claudat vero atque obstruat omne os haereticorum injustitiam loquens in excelso.« Nec minus praeclara sunt Sergii cyprii Theodorum papam alloquentis (Mansi ampl. concil. collect. 10, 914) verba: „Firmamentum a Deo fixum et immobile atque tituli formam (columnarem inscriptionem) lucidissimam fidei vestram apostolicam sedem constituit o sacer vertex, Christus Deus noster. Tu es enim, sicut divinum veraciter pronunciat verbum, Petrus, et super fundamentum tuum Ecclesiae columnae confirmatae sunt: tibi et claves coelorum commisit, atque ligare et solvere potestative (κατ' ἐξουσίαν) quae in terra et in coelis sunt, promulgavit. Tu profanarum haeresum depositor exsistis ut princeps et doctor orthodoxae et immaculatae fidei. Igitur non despicias patrum tuorum, pater, fidem aestuantem et ab aliquibus haereticis ventis violentatam necnon periclitantem: resolve nebulam insipientium lumine tuae divinae scientiae, o sanctissime.« Quod si hisce romano pontifici, dum petrae agit munus, infallibilitas non asseritur, desunt verba quibus eadem significetur.

minus rogasse dicitur, et ab eo voluit ceteros confirmari.“ Quare si haec verba ad ejus quoque in primatu successores pertinent, de horum dubitari nequit infallibilitate. Ea autem ad Petri spectare in primatu successores, tenendum est **a.** propter insignem parallelismum cum Matth. 16, 18, qui textus certo spectat ad Petri successores [1]). Ad haec **b.** Christus propter munus confirmandi fratres impetravit Petro indefectibilitatem in fide, eumque reddidit petram ad sustentandam Ecclesiam: sicut apostolis concessit infallibilitatis praerogativam, ut essent apti ad docendas omnes gentes. Atqui confirmandi munus sponte sua consequitur primatum, proinde transit cum primatu in Petri successores, sicut munus docendi in successores apostolorum. Ergo et illud charisma, quod Christus impetravit Petro, ut confirmatoris munere rite possit fungi, transit in Petri successores, sicut charisma infallibilitatis muneri docendi adnexum transit in successores apostolorum. Et sane **c.** verba praecedentia *Ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum* nullo adstringuntur tempori, illimitata sunt, et ad omnes apostolorum successores quoque spectant. Quare et remedium, auxilium, quo Christus suis adest. Atqui hoc continetur verbis Christi: *Ego autem rogavi* etc. Ergo et haec spectabunt ad omnes Petri successores, eoque magis quod apostolorum successores i. e. episcopi utpote tot praerogativis, quot apostoli, non aucti multo magis indigeant confirmatione. Quare Christus hic sicut alias Ecclesiam universam prae oculis habet usque ad consummationem seculi duraturam, et in Petro atque apostolis horum successores alloquitur sicut Matth. 28, 20 (cf. n. 505).

569. Et revera **d.** ad illos ea retulit christiana antiquitas. Ita s. Agatho ep. ad Constantinum imp. haud obscure inde hanc sedis apostolicae infert praerogativam: „Apostolica Christi Ecclesia per omnipotentis Dei gratiam a tramite apostolicae traditionis nunquam errasse probabitur, nec haereticis novitatibus depravata succubuit: sed ut ab exordio fidei christianae percepit ab auctoribus suis apostolorum Christi principibus, illibata fine tenus permanet secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam suorum discipulorum principi in sacris Evangeliis fatus est: *Petre, Petre*, inquiens, *ecce satan expetivit* etc.... Confirmare eum fratres suos admonuit, quod apostolicos pontifices meae exiguitatis praedecessores confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum.« Eam illis verbis expressam vidit Stephanus dorensis in libello supplici Martino I. in concilio romano (a. 649) oblato: „Ipse (Petrus) praecipue ac specialiter firmam prae omnibus habens in Dominum Deum nostrum et immutabilem fidem, convertere aliquando et confirmare exagitatos consortes suos et spirituales meruit fratres, utpote dispensative super omnes ab ipso, qui propter nos incar-

---

[1]) Cf. th. LXXVI; cf. n. 488.

natus est Deus, potestatem accipiens et sacerdotalem auctoritatem... Quod utique sciens b. memoriae Sophronius quondam patriarcha... statuit meam humilitatem sine mora . . . ad hanc apostolicam magnamque dirigere sedem etc.[1]).«

570. Ea colligitur **4.** ex verbis, quibus Christus post suam resurrectionem Petrum agnorum et ovium pastorem Joan. 21, 15 ss. constituit (thes. LXXIV). Juri enim et muneri pascendi respondet in ovibus sequendi et obediendi officium. Quare si supremus Ecclesiae pastor, cui vel episcopi obnoxii sunt, pro munere gregem dominicum doctrina pascit, eum fideles omnes sequi tenentur[2]), alioquin de ejus auctoritate actum erit. Atqui nisi iis in adjunctis ab errore servetur immunis, actum quoque esset de Ecclesia. Fac enim romanum pontificem, dum petrae, confirmatoris fratrum summique pastoris munus gerit, erroneam proponere doctrinam: vel Ecclesia pastorumque coetus eum audit atque sequitur, et en universa Ecclesia ducitur in errorem, quod nefas est dicere; vel fidelium aut pastorum coetus doctrinam examini subjicit, ut cognoscat, an sit revelationi consona necne, errantem pontificem non

---

[1]) Cf. supra n. 488; Katholik 1873. I. pag. 60 ss. Ex patribus cf. praeterea s. Bernardum supra annot. ad n. 564; Gelasium ep. 4. n. 1. et tract. 2. n. 8: »Qua enim ratione vel consequentia aliis sedibus deferendum est, si primae beatissimi Petri sedi antiqua et vetusta reverentia non defertur, per quam omnium sacerdotum dignitas semper est roborata atque firmata, trecentorumque decem et octo patrum invicto et singulari judicio vetustissimus judicatus est honor? Utpote qui Domini recordabantur sententiae: *Tu es Petrus* etc.; et rursus ad eundem: *Ecce ego rogavi pro te* etc.« Theodoretum mox in annot. ad n. 570 citandum; Hadrianum I. ep. ad Carolum M. (Mig. 98, 1247), Nicolaum I. passim in suis ep., ut 28. 75. 86. 98 et 104; legatos sedis apost. in conc. oecumenico VIII. act. 1. (Migne 129, 44); Stephanum V. ep. 13 (ib. p. 401); s. Odonem (Migne 133, 113); Leonem abbatem ep. ad Hugonem et Rob. reges (ib. 139, 304); Leonem IX. passim ut ep. 83. 100. n. 7. infra n. 580 annot.; 101; Petrum Damianum serm. 23; Arnulphum mediol. in gestis archiep. mediol l. 5. n. 7. (Migne 147, 330); Gregorium VII. l. 2. ep. 31; l. 3. ep. 18; l. 8. ep. 1; Deusdedit in praef. ad collect. can. (ib. 150, 1567) et Anselmum havelbergensem episc. († 1154) dial. l. 3. c. 5, ubi scribit: „Unde et Dominus sciens alias ecclesias haeretica impulsione nimium vexandas, et romanam Ecclesiam, quam ipse supra petram fundaverat, nunquam in fide debilitandam, dixit Petro: *Ego pro te rogavi* etc., ac si aperte ei dicat: Tu qui hanc gratiam accepisti, ut aliis in fide naufragantibus semper in fide immobilis et constans permaneas, alios vacillantes confirma et corrige, et tamquam omnium provisor et doctor, et pater et magister omnium curam et sollicitudinem geras.«

[2]) Nam, ut ait Gelasius ep. 12. n. 2., »si cunctis generaliter sacerdotibus recte divina tractantibus fidelium convenit corda submitti, quanto potius sedis illius praesuli consensus est adhibendus, quem cunctis sacerdotibus et Divinitas summa voluit praeeminere et subsequens Ecclesiae generalis jugiter pietas celebravit?« Quae repetit Nicolaus I. ep. 86 ad Michaelem imp. (Mig. 119, 959).

sequitur: et ubi tunc est illa plenitudo potestatis pascendi et docendi, cum oves doceant pascantque suum pastorem? actum jam est de romani pontificis auctoritate, nec ubi Petrus, ibi est Ecclesia; non confirmat ipse fratres, confirmandus potius ab illis [1]). Quare ipsum supremi pastoris munus Petro ejusque successoribus collatum infallibilitatem in docendo flagitat.

571. *Testimonium ipsorum pontificum.* — Quam ob rem. 5. jam veteres romani pontifices scientes sibi concreditum esse munus pascendi universam Ecclesiam, si non diserte, aequivalenter saltem infallibilitatem sibi asseruerunt. Huc spectant verba Zosimi, qui confidenter affirmat [2]): „Quamvis patrum traditio apostolicae sedi auctoritatem tantam tribuerit, ut de ejus judicio disceptare nullus auderet etc.“ „Nemo unquam, inquit [3]) Bonifatius I., apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit: nemo in hoc rebellis exstitit, nisi qui de se voluit judicari.“ Huc spectant repetita s. Leonis effata, ut cum dicit [4]): „Soliditas illa fidei, quae in

---

[1]) Certe inverteretur illud divinae sapientiae consilium, quo per Petrum consultum est firmitati Ecclesiae, quod cum s. Leone (n. 489) et Pelagio II. (n. 569 a.) ita citatis verbis Luc. 22, 31 s. expressit Theodoretus in orat. de divina caritate (Migne 82, 1510): „Quemadmodum enim, ait (Christus), ego te fluctuantem non despexi, ita et tu sustentaculum esto fratribus conturbatis, et quo servatus es auxilio, ipse aliis impertire: neque labescentes impelle, sed erige periclitantes. Idcirco enim et te labare sino, cadere non permitto, *stabilitatem per te fluctuantibus procurans.*“

[2]) Ep. 12. n. 1 (opusc. XVIII, 142). Id mox repetit: „Cum tantum nobis esset auctoritatis, ut nullus de nostra possit retractare sententia“ etc.

[3]) Ep. 15. n. 5 (opusc. XVIII, 194). Similia habet ep. 13. n. 2 (ib. XVIII, 159). Fatemur quidem utroque in loco sermonem esse de negotio, quod ad Ecclesiae regimen, non ad fidem spectat: sed verba sunt plane universalia, adeoque intelligenda de omnibus causis, de quibus judicare potest pontifex, ergo etiam de judiciis in causis fidei: nec ulla est ratio, quare judicia rom. pontificis de disciplina sint irreformabilia, si eorum de fide judicia retractari possint: ex eadem enim potestate ligandi atque solvendi proficiscuntur.

[4]) Serm. 3. n. 2. 3 (opusc. XIV, 6). Sed integra haec capita legenda sunt, ut magis eluceat horum verborum pondus atque momentum. Cf. serm. 4. c. 2. 3 (ib. p. 17 ss.); ep. 10. in causa Hilarii arelat. c. 2. Merito etiam afferri possunt verba praefationis ex libro sacramentorum ecclesiae romanae, quae Leonis stilum sapiunt vel ejus saltem sensa referunt (opp. t. 2. ed. Baller. ven. p. 40): „Qui secundum promissionis tuae inviolabile constitutum apostolicae confessioni superna dispensatione largiris, ut in veritatis tuae fundamine solidata, nulla mortiferae falsitatis jura praevaleant; et quantalibet exsistat errantium multitudo, illi sint redemptionis tuae filii, et illis Ecclesia tota numeretur, qui ab electorum tuorum principali traditione non dissonant; ipsaque sit sacri corporis ubique vera compago, quae te dispensante devota obsequitur, quidquid sedes illa censuerit, quam tenere voluisti totius Ecclesiae principatum.“

apostolorum principe est laudata, perpetua est; et sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Christus instituit. . . . Manet ergo dispositio veritatis et b. Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit. Si quid itaque a nobis recte agitur recteque discernitur . . . illius est operum atque meritorum, cujus in sede sua vivit et excellit auctoritas . . . Tanta enim divinitus soliditate munita est ut eam neque haeretica unquam perrumpere pravitas, nec pagana potuerit superare perfidia." Et iterum serm. 5. c. 4: „Soliditas enim illa, quam de petra Christo etiam ipse (Petrus) petra factus accepit, in suos quoque se transfudit heredes, et ubicunque aliquid ostenditur firmitatis, non dubie apparet fortitudo pastoris."

572. Ita vero s. Gelasius disserit[1]): «Duodecim certe fuerè apostoli paribus meritis parique dignitate suffulti: cumque omnes aequaliter spirituali luce fulgerent, unum tamen principem esse ex illis voluit Christus eumque dispensatione mirabili in dominam gentium Romam direxit, ut in praecipua urbe vel prima primum et praecipuum dirigeret Petrum. Ibique sicut doctrinae virtute sublimis emicuit, ita sanguinis gloriosa effusione decoratus aeterno hospitio conquiescit, praestans sedi, quam ipse benedixit, ut a portis inferi nunquam pro Domini promissione vincatur omniumque sit fluctuantium tutissimus portus. In quo qui requieverit, beata et aeterna statione gaudebit: qui vero contempserit, ipse videbit, qualia genera excusationum in die obtendat judicii.« Sed quomodo Petri sedes a portis inferi nunquam vincitur, si errore commutare fidem potest? quomodo fluctuantium tutissimus est portus, si ipsa fluctuat atque naufragio est exposita? quomodo aeternam stationem praebet, si errorem credendum proponit? Verba s. Agathonis supra jam audivimus (n. 563 a.). Inter interrogationes circa fidem a Clemente VI. ecclesiae armenae propositas, ut in unitate cum romana esse possit, 13. est[2]): „Quaerimus si credidisti et adhuc credis, solum romanum pontificem dubiis emergentibus circa fidem catholicam posse per determinationem authenticam, cui sit inviolabiliter adhaerendum, finem imponere, et esse verum et catholicum quidquid ipse auctoritate clavium sibi traditarum a Christo determinat esse verum; et quod determinat esse falsum et haereticum, falsum et haereticum esse censendum?« Quare jam Sixtus IV. damnavit a. 1479 Petri oxomensis prop. 7: „Ecclesia urbis Romae errare potest;« Alexander VIII. hanc alteram (29): „Futilis et toties convulsa est assertio de pontificis romani super concilium oecumenicum auctoritate atque in fidei quaestionibus decernendis infallibilitate;« et Innocentius XI. cum Alexandro VIII. rejecit art. quartum declarationis gallicanae: „In fidei quoque quaestionibus praecipuas summi pontificis esse partes ejusque decreta ad omnes et singulas ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiae consensus accesserit.« Tantorum porro praesulum effata hac etiam in quaestione summi esse ponderis, comprobavimus supra n. 508.

---

[1]) Tr. II. n. 10; cf. supra n. 514 annot.

[2]) Apud Raynaldum ad a. 1351 n. 3.

573. *Conciliorum provincialium consensus.* — Verum **6.** non solum pontifices sibi hanc asseruerunt praerogativam, sed quam plurima concilia provincialia (quorum in Ecclesia haud spernenda est auctoritas, praesertim si plura conspirent nemine refragante) splendidissimis verbis infallibilitatis decus iisdem adscribunt. Ex quamplurimis [1]) unum tantum alterumve audiamus. Ita e. g. scribunt episcopi tarraconenses ad Hilarum (461—8) papam [2]): „Etiamsi nulla exstaret necessitas ecclesiasticae disciplinae, expetendum revera nobis fuerat illud privilegium sedis vestrae, quo susceptis regni clavibus post resurrectionem Salvatoris per totum orbem beatissimi Petri singularis praedicatio universorum illuminationi prospexit, cujus vicarii [3]) principatus sicut eminet, ita metuendus est ab omnibus et amandus. Proinde nos Deum in vobis primitus adorantes, cui sine querela servitis, ad fidem recurrimus in apostolico ore laudatam, inde responsa quaerentes, unde *nihil errore,* nihil praesumptione, sed pontificali totum deliberatione praecipitur.“

574. Concilium remense a. 1857 profitetur decret. c. 4: «Et vero in tota retro antiquitate christiana b. Petrus ipse vel ejus successor pontifex romanus appellatur firma et solidissima petra, supra quam Salvator Ecclesiam aedificavit, Christi vicarius in terra, apostolorum princeps, Ecclesiae caput, columna, magnum et firmum fundamentum, firmamentum fidei etc. Sed nec a patrum traditione concilia unquam recessere... Cum igitur pontifex romanus in b. Petro, cujus apostolicam sedem occupat, mandatum acceperit a Christo agnos et oves totumve gregem christianum pascendi, necnon claves regni coelorum cum suprema potestate in universo orbe terrarum ligandi ac solvendi, illius utique officium est ac munus, non solum veritatem catholicam defendere, et si quae de fide morumve regulis subortae fuerint quaestiones, suo irreformabili quidem judicio definire, sed etiam eadem auctoritate quidquid universali Ecclesiae expedire judicaverit, in iis quae ad populi christiani disciplinam pertinent, statuere, ita, ut vera illius decretis et constitutionibus, cujuscunque sint generis, obedientia praestari

---

[1]) Cf. Schrader, de unitate romana II, 318 ss.; Schneemann Stimmen aus Maria Laach X. n. 202 ss.; Collect. conc. lacensis, ubi quam plurima reperiuntur concilia provincialia orbis catholici, quae hoc docent; Roskovány, passim in op. Romanus pontifex; Freppel, de primatu rom. pontificis ejusque infallibili magisterio juxta ultima Galliarum concilia provincialia, Taurini 1870 etc.

[2]) Ep. 13. a. 463—464 n. 1. ed. Thiel.

[3]) Vicarii nomine intelligendus est romanus pontifex. Petri enim successores jam priscis temporibus ejus vicarii vocari consueverunt. Eadem profitetur conc. romanum a. 826 (Migne 97, 689). S. Bernardus in persona Franciae episcoporum ad Innocentium II. ep. 337. n. 1. scribit: „Nulli dubium est, quod ea, quae apostolica firmantur auctoritate, rata semper exsistunt, nec alicujus possunt deinceps mutilari cavillatione vel invidia depravari.“ Similia habent episcopi Germaniae ad Joannem IX. († 905) (Migne 131, 35).

debeat ab omnibus fidelibus ac etiam ecclesiarum praelatis etc.» Concilium westmonasteriense a. 1852 decr. 7: »Fundamentum igitur verae et orthodoxae fidei ponimus, quod D. N. J. Christus ponere voluit inconcussam scil. Petri cathedram, totius orbis magistram et matrem s. romanam ecclesiam. Quidquid ab ipsa semel definitum est, eo ipso ratum et certum tenemus.« Concilium spoletanum a. 1849, cui interfuit Joachim Pecci, modo feliciter regnans summus Pontifex Leo XIII., in ep. ad Pium IX., qua ei subjicit decreta edita, profitetur: »In sanctitate tua successorem veneramur b. Petri, cui infallibilitatis praerogativa donato munus fratres suos in fide confirmandi fuit ab ipso Christo concreditum.« Concilium coloniense a. 1860 p. 1. tit. 6. c. 24: »Ipse (rom. pontifex) est omnium christianorum pater et doctor, cujus in fidei quaestionibus per se irreformabile est judicium.« Concilium ultrajectense a. 1865: „Romani pontificis judicium in iis, quae ad fidem moresque spectant, infallibile esse indubitanter retinemus.« Jam vero episcoporum ordo non solum in concilium oecumenicum collectus, sed etiam per orbem dispersus in unitate cum romano pontifice docens est infallibilis (n. 378). Sed quando magis constat episcopos per orbem dispersos aliquid docere, quam cum id solemniter docent ubique terrarum in concilia provincialia collecti? Atqui episcopi per orbem dispersi jam ante concilium vaticanum tot in conciliis provincialibus infallibilitatem romani pontificis docuerunt. Ergo concilii vaticani definitio nonnisi solemnior est manifestatio fidei illius, quae diffusa jam vigebat in Ecclesia infallibili. Quapropter admiranda est sapiens Dei providentia, quae ad obturanda ora adversariorum tam universalem solemnemque fidei manifestationem praemisit ipsi concilio vaticano.

575. *Traditionis suffragium.* — Eadem praerogativa colligitur 7. ex sensu theoretico et practico antiquitatis. Quid enim a. aliud supponunt tot consultationes undique romanae cathedrae propositae, nisi quod omnibus esset persuasum, inde prodire responsa doctrinae purae nullo errore infecta?

Factis pluribus supra n. 509 ss. allatis alia adde. Proposuerat Severus scholasticus constantinopolitanus Fulgentio Ferrando diacono carthaginiensi quaestionem, utrum Jesus Christus dici possit ‚unus de sancta et individua Trinitate.‘ Qui respondit ep. 5. n. 1: „Interroga, vir prudentissime, si quid veritatis cupis audire, principaliter apostolicae sedis antistitem, cujus sana doctrina constat judicio veritatis et fulcitur munimine auctoritatis.« Consulunt „Columbus primae sedis episcopus concilii Numidiae et Stephanus primae sedis episcopus concilii byzaceni et Reparatus primae sedis ep. concilii Mauritaniae et universi episcopi de tribus conciliis antedictis africanae provinciae« Theodorum († 649) „patrem patrum et summum omnium praesulum pontificem.« Quare? quia, ut ajunt, «magnum et indeficientem omnibus christianis fluenta redundantem apud apostolicam sedem consistere fontem nullus ambigere possit, de quo rivuli prodeunt affluenter universum largissime irrigantes orbem christianorum, cui etiam in honore beatissimi Petri patrum decreta peculiarem omnem decrevere reverentiam in requirendis Dei rebus, quae omnino et sollicite debent, maxime vero justeque ab ipso praesulum examinari vertice apostolico, cujus vetusta sollicitudo

est tam mala damnare, quam probare laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est, ut quidquid quamvis in remotis vel in longinquis positis ageretur provinciis, non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almae sedis vestrae fuisset deductum, ut hujus auctoritate justa quae fuisset pronunciatio firmaretur, indeque sumerent ceterae ecclesiae velut de natali suo fonte praedicationis exordium, et per diversas totius mundi regiones puritatis incorruptae maneant fidei sacramenta salutis.«

576. Cathedra Petri **b.** habebatur centrum unitatis fidei (cf. n. 544) et norma tuta orthodoxiae. Ideo qui communione jungebatur romano pontifici, verus censebatur catholicus (n. 419); ii vero, quorum fides in suspicionem vocabatur, apud hanc sedem purgare se nitebantur (n. 518), ejusdemque approbationem et communionem ambiebant [1]). Quapropter romani pontifices fidei formulas subscribendas proponebant, quo haeretici in Ecclesiam reciperentur vel de haeresi suspecti orthodoxi haberentur [2]), illorumque constitutiones decretis conciliorum oecumenicorum jungi solebant tamquam paris auctoritatis [3]);

---

[1]) Quocirca Gelasius ep. 27. n. 4. ait, constare „semper auctoritate sedis apostolicae hujusmodi personas aut discussas vel esse purgatas, aut sic ab aliis, quibus competebat, episcopis absolutas, ut tamen absolutio earum ex sedis apostolicae consensione penderet.« Prudentius Peristephanon hymno 11. de s. Hippolyti passione refert, martyrem consultum „quaenam secta foret melior,« respondisse:

Fugite, o miseri, exsecranda Novati
Schismata; catholicis reddite vos populis.
Una fides vigeat, prisca quae condita templo est;
Quam Paulus retinet quamque cathedra Petri.

[2]) Praeter formulam Hormisdae (de qua supra n. 563ª et 578) cf. ep. 5. Damasi ad Paulinum ep. antioch. opusc. XVII, 193. Ivo carnot. († 1116) ep. 8. canonem (*Nolite* dist. 11.) citat: „Haereticum esse constat, qui romanae Ecclesiae non concordat.« Quod pulcherrime ita expressit Petrus Damianus opusc. V: „Nos si quid erravimus, ad Petri magisterium libenter corrigendi accedimus et retractationis opprobrium non veremur. Haec est enim illa, ut ita loquar, officina fabrilis, cui nimirum is, qui fabri dicebatur filius, praesidet, ad cujus regulam omnis merito moneta reducitur, ad cujus rectitudinis lineam quidquid uspiam depravatum fuerit, reformatur.« Cf. Schrader l. c. l. 2. n. 262.

[3]) Ita ex gr. Coelestinus ep. 21. ad episc. Galliae n. 12. sanctiones sedis apostolicae vocat inviolabiles; Simplicius scribit (a. 477) Zenoni imp. ep. 6. n. 4: „Calcedonensis synodi constituta vel ea, quae beatae memoriae praedecessor meus Leo apostolica eruditione perdocuit, intemerata vigere jubeatis: quia nec ullo modo retractari potest, quod illorum definitione sopitum est, nec ullatenus recipi toties uno undique ore damnatus.« Eutychius ep. CP. in ep. ad Vigilium, postquam professus est se suscipere quatuor concilia oecumenica, prosequitur (Migne 69, 64): „Suscipimus autem et amplectimur et epistolas praesulum romanae sedis apostolicae tam aliorum quam Leonis sanctae memoriae de recta fide scriptas et de quatuor sanctis conciliis vel uno eorum.« Quam professionem plurimi episcopi Orientis subscripserunt. Vigilius initio

atque propterea romanorum praesulum sententia par censebatur ad sopiendas controversias (n. 524) tantaeque auctoritatis, ut ipsi nullam de ea, ac si esset dubia, permitterent vel admitterent disputationem. Atqui fides, quae tuta sit orthodoxiae norma cum omnibus hisce consectariis, super omne dubium posita, infallibilis sit necesse est.

577. Praeter tot facta jam alias allata pauca haec addantur: »Et ut brevis sententiae claustello (i. e. ut paucis) cuncta concludantur, scribit Aldhelmus (a. 709) nomine concilii episcoporum ex tota pene Britannia Geruntio regi simulque cunctis Dei sacerdotibus per Domnonia conversantibus, frustra de fide catholica inaniter gloriatur, qui dogma et regulam sancti Petri non sectatur. Fundamentum quippe Ecclesiae et firmamentum fidei principaliter in Christo et sequenter in Petro collocatum nequaquam ingruentibus tempestatum turbinibus nutabundum vacillabit, ita Apostolo promulgante: *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est J. Christus*[1]). Petro autem veritas ita privilegium sanxit Ecclesiae: *Tu es Petrus*« etc. En fides cathedrae apostolicae regula est fidei. Praeclarissima sunt, quae in causa Pyrrhi disputat Maximus M. († 662): „Itaque si vult haereticus non esse, neque audire, non isti aut illi satisfaciat, superfluum quippe hoc et irrationabile est; quia sicut uno contra eum scandalizato omnes scandalizati sunt: ita quoque uno satisfacto omnes procul dubio satisfiunt. Festinet prae omnibus sedi romanae satisfacere. Hac enim satisfacta communiter ubique omnes pium hunc et orthodoxum praedicabunt. Nam frustra solummodo loquitur, qui mihi similes suadendos putat, et non

---

sui Constituti (a. 553) mentionem facit universorum Domini sacerdotum professionum, „per quas ss. patrum et venerabilium quatuor synodorum ac praesulum sedis apostolicae inhaerere definitionibus monstrarentur.« Cf. Pelagii I. ep. 7. ad univ. pop. Dei (Mansi IX, 717) et Nicolai I. ep. 75. ad episc. Galliae et professionem fidei in l. diurno (Mig. 165, 65 ss.). Imo Bernaldus presb. constantiensis (fl. c. 1080) in apologetico super decreta Gregorii VII. scribit c. 3: „Decreta vero ss. romanorum pontificum, si possemus, etiam studiosius quam illa quatuor concilia (oecumenica) venerari et observare deberemus, cum et ipsa concilia omni firmitate carerent, si non apostolicae sedis pontifices ea per apostolicam auctoritatem et congregare et comprobare decrevissent (Mig. 148, 1109).«

[1]) 1. Cor. 3, 11. Addamus insigne testimonium s. Thomae cant. († 1170) ep. 74. ad suffraganeos Cantiae prov. (Mig. 190, 534): „Quis romanam Ecclesiam caput omnium ecclesiarum et fontem catholicae doctrinae ambigit esse? Quis claves regni coelorum Petro traditas esse ignorat? Nonne in fide et doctrina Petri totius Ecclesiae structura consurgit, donec occurramus omnes Christo in virum perfectum in unitate fidei et agnitione Filii Dei? Necesse quidem est multos esse qui plantent, multos qui irrigent . . . Sed quicunque sit qui rigat aut plantat, Deus nulli dat incrementum nisi illi, qui plantavit in fide Petri et doctrinae ipsius acquiescit. Sane ad eum maxima populi judicia referuntur a romano examinanda pontifice, et dispositi sub eo matris Ecclesiae magistratus, quatenus in partem sollicitudinis acciti sunt, creditam exercent potestatem . . . Ordinem hunc Petrus docuit: hunc usque modo catholica servavit Ecclesia, nec unquam auctore Domino, quidquid moliatur iniquitas, subvertetur.«

satisfacit et implorat sanctissimae romanorum ecclesiae beatissimum papam, i. e. apostolicam sedem, quae ab ipso incarnato Dei Verbo sed et omnibus sanctis synodis secundum sacros canones et terminos universarum, quae in toto terrarum orbe sunt, sanctarum Dei ecclesiarum in omnibus et per omnia percepit et habet imperium, auctoritatem et potestatem ligandi atque solvendi[1]).« En quantopere ambienda approbatio sedis romanae, ut orthodoxus quis possit censeri.

578. Misit Hormisdas legatos suos in Orientem ad recipiendos episcopos a schismate acaciano redeuntes[2]) cum libello fidei (n. 563), quem omnes, qui sedis apostolicae communionem desiderarent, subscribere debebant, insuper adjecit indiculum de modo, quo se in hoc negotio gererent. »Cui (imperatori) praesentati, ita Hormisdas, salutantes literas nostras offerte, suggerentes, magnum nos de ejus imperio gaudium percepisse et nimium gratulari, quod eum Deus omnipotens ad hoc evexit juxta ejus sacras literas, ut secundum ea, quae sunt ab apostolicae sedis constituta praesulibus, Deo auctore et regno ejus adnitente, ecclesiarum et pax et unitas his temporibus desiderata proveniat. Quod si vos hortatus fuerit, ut constantinopolitanum videatis episcopum, intimate vos praefinita habere, quae etiam ab eis saepe sint cognita, quae ab universis episcopis catholicam unionem amplectentibus professio debeat celebrari. Haec si episcopus constantinopolitanus implere paratus est, ei gratanter occurrimus; si vero sedis apostolicae adhortationem sequi contemnit, quid necesse est, ut ad occasionem contentionis salutatio nostra proficiat, quibus non est disputationis aut certaminis causa in mandatis[3])?« Qua in re Hormisdas secutus est exemplum s. Coelestini similia suis ad concilium ephesinum legatis mandata dantis (n. 559). Ita et s. Agatho legatos suos ad concilium oecumenicum VI. cum fidei professione mittens injungit[4]), »ut nihil de eis, quae regulariter definita sunt, minuatur, nihil mutetur vel augeatur, sed eadem et verbis et sensibus illibata custodiantur.« Quod mox iterum inculcat. Et in ep. ad synodum ait, legatos debere apostolicae fidei confessionem offerre, »non tamen tamquam de incertis contendere, sed ut certa atque immutabilia proferre.« Quapropter in ep. fine solemniter declarat: »Quicunque proinde sacerdotum haec, quae in hac nostrae humilitatis confessione continentur, nobiscum sinceriter praedicare desiderat, ut nostrae

---

[1]) Ep. ad Petrum illustrem Mig. patrol. 91, 144.

[2]) Vix ullum exstat splendidius argumentum pro jurisdictionis primatu romani pontificis in universum Orientem hac legatione Hormisdae et gestis ab ipso pro componendo schismate acaciano. Quamplurimae epistolae ab ipso vel ad ipsum ab imperatore et episcopis orientalibus ejusque legatis scriptae huc spectant.

[3]) Ep. 49. n. 2. Cum quidam Thessalonicae episcopi vellent facere »certamina de libellis, dicentes: Sunt capitula, quae debent emendari,« dixerunt legati, »non esse in potestate ipsorum hoc facere: si vultis facere (i. e. subscribere), Deo gratias; si non vultis facere, venimus, salutavimus vos, perambulamus« i. e. recedemus et abibimus. En cum quanta auctoritate egerint Hormisdae legati. Similia leguntur occasione primi schismatis photiani in vita Hadriani II. Migne 122, 1254.

[4]) Cf. Migne 87, 1164.

apostolicae fidei concordes, ut sacerdotes ... suscipimus. Qui vero haec confiteri noluerint, ut infestos catholicae atque apostolicae confessioni perpetuae condemnationis reos esse censemus.« En romanorum pontificum decreta supra disceptationis aleam posita.

579. Censebatur **c.** Petrus in romano pontifice, qui pro munere suo Ecclesiam docet, loqui, docere, Ecclesiam regere atque quaerentibus praestare fidei veritatem. Atqui Petri fides nunquam sane deficiet; ergo nec heredis Petri, per quem veluti docet. Romanus autem pontifex toties Petri heredem gerit, quoties ex primatus plenitudine agit et loquitur. Ergo nisi Petrum ipsum dicere velimus fallibilem, pontifex Petri heredem agens non errabit. Quare hac solemni loquendi forma infallibilitatis privilegium sat clare est expressum. An non illud expressit Xystus III., cum ad Joannem antiochenum scribit ep. 6. n. 5 (a. 433): „B. Petrus apostolus in successoribus suis quod accepit, hoc tradidit. Quis ab ejus se velit separare doctrina, quam ipse inter apostolos primum magister edocuit?“ vel Simplicius[1]) ad Basiliscum Aug.: „Perstat enim in successoribus suis haec et eadem apostolicae norma doctrinae, cui Dominus curam totius ovilis injunxit, cui se usque in finem seculi minime defuturum, cui portas inferi nunquam praevalituras esse promisit.“

580. Ad haec **d.** cathedra romana in damnandis haeresibus primatum habuit, ac plures haereses tum demum censebantur peremptorie damnatae, cum Roma locuta esset. Hinc notissima illa s. Augustini verba: „Jam enim de hac causa duo concilia missa sunt ad sedem apostolicam, inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est, utinam finiatur aliquando error[2]).“ Propterea censuit[3]) nullum amplius concilium in causa pelagiana esse nesessarium, cum „literis b. memoriae

---

[1]) Ep. 3. n. 3. a. 476; cf. n. 505. Hinc Constantinus imp. in literis ad Leonem II. de ep. dogmatica Agathonis scribit: „Veluti ipsum principem apostolici chori primaeque cathedrae antistitem Petrum contuiti sumus mentium nostrarum oculis totius dispensationis mysterium divinitus eloquentem« etc. Et de Macario legimus Hard. 1, 1462: „Renuit enim s. Agathonis literis assentiri veluti in ipsum coryphaeum ac principem Petrum insaniens.«

[2]) Serm. 131. Horum commentarium praebet s. Prosper c. collatorem c. 21. n. 68: „Non ergo cum istis (pelagianis) nova acie dimicandum est, nec quasi contra ignotos hostes specialia sunt ineunda certamina. Tunc istorum machinae fractae sunt, tunc in superbiae suae sociis ac principibus corruerunt, quando beatae memoriae Innocentius nefandi erroris capita apostolico mucrone percussit; quando Pelagium ad proferendam in se suosque sententiam palaestinorum episcoporum synodus coarctavit; quando africanorum conciliorum decretis beatae recordationis papa Zosimus sententiae suae robur adnexuit et ad impiorum detruncationem gladio Petri dextras omnium armavit antistitum.« Cf. n. 524 s.

[3]) L. 2. c. duas ep. pelag. c. 3. n. 5.

papae Innocentii de hac re dubitatio tota sublata sit." Et contra Julianum, qui cum aliis episcopis ad concilium oecumenicum appellaverat, scribit l. 3. c. 1. n. 5: „Vestra apud competens judicium communium episcoporum modo causa finita est, nec amplius vobiscum agendum est, quantum ad jus examinis pertinet, nisi ut prolatam de hac re sententiam cum pace sequamini: quod si nolueritis, a turbulenta vel insidiosa inquietudine cohibeamini." Similia habet Sozomenus de Macedonii errore H. E. VI, 22: „Cum haec quaestio ageretur, et contendendi studium magis magisque in dies cresceret, episcopus urbis Romae (Damasus) scripsit (a. 378) ad orientales ecclesias, ut Trinitatem consubstantialem ac honore gloriaque aequalem una cum occidentalibus episcopis confiterentur. Quo facto utpote controversia judicio romanae ecclesiae terminata singuli quievere, eaque quaestio finem accepisse visa est." Huc referre possumus, quae testatur ep. 110 (n. 559) Marcianus imp. scil. vel ex eo solum pluribus dubiam fuisse Eutychis per concilium chalcedonense damnationem, quod dubia ipsis fuerit s. Leonis confirmatio: unde liquet, haereticorum damnationem peremptoriam reddi consensu romani pontificis. Jam vero eo ipso, quod in damnandis haereticis tantum sibi vindicet romana sedes, merito infertur, haeresim ad eam accessum habere non posse: quomodo enim ejus judicium censeri posset peremptorium et causa finita, si illud non supra omne dubium sit positum, si non sit infallibile? „Hoc est, inquit Gelasius, quod sedes apostolica magnopere praecavet, ut quia munda radix est apostoli gloriosa confessio, nulla rima pravitatis, nulla prorsus contagione maculetur. Nam si (quod Deus avertat, quod fieri non posse confidimus) tale aliquid proveniret, unde cuiquam resistere auderemus errori, vel unde correctionem errantibus posceremus [1])?"

---

[1]) Ep. 12. ad Anastasium Aug. n. 6. a. 494. Cf. Joannis VIII. ep. 108 et 109 (Mig. 126, 759 ss.) et Leonis IX., qui ep. 100 ad Michaelem CP. episc. n. 7 (a. 1054) citatis verbis Luc. 22, 32 ita prosequitur: »Erit ergo quisquam tantae dementiae, qui orationem illius, cujus velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare? Nonne a sede principis apostolorum, romana videlicet Ecclesia, tam per eundem Petrum, quam per successores suos reprobata et convicta atque expugnata sunt omnium haereticorum commenta, et fratrum corda in fide Petri, quae hactenus nec defecit, nec usque in finem deficiet, sunt confirmata?« Quaeritur, quid tenendum sit de opinione, secundum quam romanus pontifex, quatenus est persona privata, in haeresim incidere possit. Eam admiserunt non solum ii theologi, qui rom. pontificis negarunt infallibilitatem, sed plures etiam ex iis, qui alioquin strenue hanc praerogativam propugnarunt. Nobis placent, quae de ea cum plurimis theologis statuit Suarez de fide disp. 10. sect. 6. n. 11: »Procedunt (accusatores pontificum) supponendo, verum pontificem (ut privatam

581. *Effugium excluditur.* — Et haec sufficiant de sensu theoretico et practico antiquitatis. Neque dicant gallicani ad hujus vim elevandam, romanorum pontificum decreta habita fuisse infallibilia propter expressum vel tacitum Ecclesiae assensum, qui illa commitari soleret. Haec enim theoria, quae pluribus arrisit, quod veluti media videretur inter duo extrema ideoque ad conciliandos animos discordes aptissima: si attentius consideretur, vanam inutilemque reddit pontificis infallibilitatem, quam specie tenus eidem adscribit. Nam in ea semper dubium erit, qualis assensus requiratur, ut pontificis decretum censeri possit irreformabile. Tacitusne an expressus? et quomodo hic assensus innotescet? quamdiu exspectandum erit, donec de eo certi esse possimus, praesertim si tacitus sufficiat? an per mensem, per annum, per decennium? quantus vero requiritur? et quid faciendum in dubio de sufficientia ejusmodi assensus? Haec vero et similia jure nostro quaerere licebit. Quis autem putet, a tot tamque incertis conditionibus supremi pastoris docendi authentiam pendere? Nullum jam profecto erit pontificis decretum, de cujus infallibilitate dubia non possint moveri, eo quod haereticis vel contumacibus incertus plerumque, haud sine aliqua veri specie, sit hic consensus; quare nullum erit efficax ad causam controversiamque finiendam. Ad rem conc. burdigalense a. 1850 in ep. ad papam pro confirm.: »Confitemur etiam judicium rom. pontificis, ut sit ratum et firmum, non indigere assensu aliarum ecclesiarum: tali enim assensu exspectato janua aperiretur pervicaciae novatorum, qui nunquam sufficienter probatum aut manifestatum contenderent ecclesiarum ipsos condemnantium sensum, ut funesta saepius constitit experientia.« Neque timendum est, rom. pontificem posse aliquid definire, quod alienum sit a sensu Ecclesiae et coetu episcoporum, tunc enim **a.** non amplius esset Ecclesiae caput. Ad haec **b.** Spiritus s. efficiet, ut et episcoporum coetus romano pontifici unitate fidei sit conjunctus et hic definiat id, quod in Ecclesiae traditione contineatur, quamvis ea in nonnullis ecclesiis particularibus forte obscurata fuerit (n. 217). Quare **c.** ex pontificis definitione nobis constabit de episcoporum consensu. Proinde **d.** propositio: Pontifex seorsim ab episcopis est infallibilis, distingui ita poterit: in ordine ontologico, nego: tunc enim pontifex esset neque caput, neque primas Ecclesiae; in ordine logico,

---

personam) posse incidere in haeresim. Quod licet multi verosimiliter affirment, mihi tamen breviter et magis pium et probabilius videtur, posse quidem papam ut privatam personam errare ex ignorantia, non tamen ex contumacia. Quamvis enim efficere Deus possit, ut haereticus papa non noceat Ecclesiae, suavior tamen modus divinae providentiae est, ut, quia Deus promisit papam definientem nunquam erraturum, consequenter provideat, ne unquam ille haereticus sit.« Quod si tamen quis opinionem illam sequi vellet, prae oculis habeat, quae in hac hypothesi statuit cum Viva thes. damn. parte 2. Tanner theol. scholast. disp. de fide q. 4. dub. 6: »Nec privata haeresis (pontificis) in ullum Ecclesiae praejudicium cedit. Aut enim notoria est aut occulta: si primum, jam hoc ipso pontifex sua potestate excidit, etiam ante concilii declarationem (hanc tamen plures theologi exigunt, imo aliqui sententiam judiciariam, qua munere pontificio privetur); si secundum, jam hoc ipso ea Ecclesiae nihil incommodat.« Cf. Andries pag. 413 ss.

conc., scil. pontificis definitio est infallibilis, etiamsi non cognoscatur episcoporum consensus.

582. Ad argumenta proposita accedit 8. invictum illud, quod ex dogmatum analogia atque ex primatus fine derivavimus (n. 466) quodque ita conc. vaticanum saltem innuit: „Hoc igitur veritatis et fidei nunquam deficientis charisma Petro ejusque in hac cathedra successoribus divinitus collatum est, ut excelso suo munere in omnium salutem fungerentur, ut universus Christi grex per eos ab erroris venenosa esca aversus coelestis doctrinae pabulo nutriretur, ut sublata schismatis occasione, Ecclesia tota una conservaretur, atque suo fundamento innixa, firma adversus inferi portas consisteret.“ Quae argumenta si accurate omnia expendantur, manifesto apparebit, dogma hoc longe majori argumentorum numero, pondere et splendore muniri, quam plura alia dogmata [1]). Fateor quidem multa contra illud quoque afferri: sed quodnam est dogma, contra quod non multa opponi soleant? atque haud pauci sunt fidei catholicae articuli, contra quos forte plures etiam gravioresque opponi possint exceptiones, quibus tamen non obstantibus inconcusse a quovis creduntur catholico. Quot testimonia sat implexa et difficilia afferuntur a socinianis contra Christi divinitatem e patrum antenicaenorum operibus, imo ex ipsis divinis literis? et tamen ejus divinitas stat inconcussa. Quot patres, imo concilia adversari videntur canoni s. Scripturae Tridenti proposito? et tamen unice legitimus est. Adversus dogma de eucharistia quot arma petuntur sive e quorundam patrum scriptis sive e rationis penu? et nihilominus ea est vera substantialisque caro Salvatoris nostri. Mirum ergo esse non debet, si pro cujusque dogmatis catholici conditione nec fides de romani pontificis infallibilitate a difficultatibus sit immunis; quae difficultates, dum augent meritum fidei, dogmatis falsitatem nunquam evincent.

583. *Exceptionibus satisfit.* — Interim Deo gratiae sunt agendae, quod difficultates contra pontificis infallibilitatem longe pauciores et minores sint, quam contra plura alia dogmata catholica. Cum vero praecipua, quae contra definitionem vaticanam excipi possint, jam in antecessum collegerit Döllinger [2]), sufficiet potiora expendisse, iis praetermissis, quae ex hucusque dictis solutionem habent.

---

[1]) Cujusmodi ex. gr. sunt ea, quae spectant canonem Scripturarum, plura sacramenta, visionem beatificam jam ante corporum resurrectionem etc.

[2]) In lib. Erwägungen für die Bischöfe des Conciliums über die Frage der päpstlichen Unfehlbarkeit, Monachii 1869. Adversum quem cf. egregium opusc. Neue Erwägungen über die Frage der päpstlichen Unfehlbarkeit aus den anerkannten historischen Schriften Döllingers urkundlich zusammengestellt (auctore Scheeben), Ratisbonae 1870.

Jactat quidem **1.** ex ecclesia orientali neminem pontificis agnovisse infallibilitatem. At orientales erant illi episcopi, qui subscripserunt formulae Hormisdae (n. 563[a]); orientales Theodorus Studita (ib. annot.), Maximus confessor, Sergius cypriensis (n. 567 annot.), Stephans dorensis (n. 569) etc., quos supra audivimus. Quod si contendat, eos diserte hanc sententiam non tueri, reponimus, sufficere quod aequivalenter eam enuncient. Ceterum haud scio an unus patrum orientalium diserte significet conciliorum oecumenicorum infallibilitatem, quae certe illis dubia non fuit. Idem reponimus assertioni audaci, ex Ecclesia occidentali testimonia indubia afferri non posse. Legantur siquidem nn. 511 ss.

584. Opponit **2.** quod inter nullius antiquioris haeresiarchae errores ille numeretur de improbata pontificis infallibilitate, quam tamen saltem facto ipso negarunt. Sed neque inter alicujus haeretici errores ille recensetur, quod conciliorum oecumenicorum infallibilitatem negaverit. Verum sicuti plures idcirco habiti sunt haeretici, quod horum conciliorum definitiones reprobaverint: ita plures quoque habiti sunt haeretici, quod a romanis pontificibus damnati morem non gesserint. Quocirca in formula Hormisdae universim enunciatur, non contentientes sedi apostolicae sequestratos esse habendos a communione Ecclesiae catholicae (n. 563[a]).

585. In patrum scriptis, opponit **3.** Döllinger, quae agunt de regula fidei deque Ecclesiae auctoritate, in scriptis scil. Tertulliani, Cypriani, Augustini, Gennadii et Vincentii lirinensis nunquam mentio occurrit hujus praerogativae ut medii percommodi ad dirimendas controversias: omnes hi patres cognoscunt tantum Ecclesiae traditionem triplici dote praeditam antiquitatis, universalitatis, consensionis. Verum **a.** negamus patres nunquam mentionem facere supremae docendi auctoritatis episcopi romani tamquam medii expediti ad dirimendas controversias tutoque agnoscendam sinceram doctrinam. Huc spectant verba Irenaei n. 544, consilium Fulgentii Ferrandi Severo scholastico n. 575, Theodori Studitae Leoni sacellario n. 563 annot. et Petri Chrysologi Eutychi datum n. 505; Augustini gaudium de finita responso romano causa pelagiana n. 580; Sergii cypriensis confessio n. 567 annot., Flaviani insigne testimonium n. 517, Bernardi sententia n. 564 an., imo schismaticorum orientalium confessio aperta n. 512. Neque solum **b.** theoretice patres hoc medium insinuant, sed persaepe eo in dubiis sunt usi, ut jam pluribus factis ostendimus n. 508 s. et 575.

586. Quod vero **c.** nominatim Tertullianum, Cyprianum, Augustinum, Gennadium et Vincentium lirinensem spectat, advertimus ex his saltem tres, Tertullianum scil., Cyprianum et Gennadium neque concilii oecumenici mentionem facere. Quis tamen adversariorum inde inferet, hoc non esse medium sive efficax sive infallibile ad dirimendas controversias? Augustinus vero suo exemplo in causa pelagiana hoc probat medium (n. 580). Quare horum patrum in quibusdam scriptis silentium non aequivalet negationi,

sed probat tantum eos vel noluisse scribere disputationem de controversiarum judice, vel eos hoc argumentum non exhausisse, quod in omni fere argumento verum est; nullum enim forte undequaque tractarunt singulari aliquo libro, sed pro opportunitate data et sub aliquo tantum respectu. De Vincentii lirinensis canone egimus n. 219.

587. Quae vero **4.** opponit Döllinger responsum vix merent. Contendit enim sententiam de romani pontificis infallibilitate nonnisi sec. XIII. ad finem vergente per s. Thomam eumque spuriis testimoniis deceptum in theologiam scholae fuisse inductam, theologosque deinceps mercibus pseudoisidorianis antiquitatis auram illi conciliasse. Nam **a.** tam antiqua est haec doctrina, quam antiqua verba: *Tu es Petrus* etc. seu generatim promissa Christi Petro facta, quorum vim nunquam convellent adversarii; quare **b.** s. Thomas hanc fidem non invexit, sed in Ecclesia jam reperit. Non confictus est **c.** textus Luc. 22, 32, cui in primis innititur s. Thomas in probanda pontificis infallibilitate[1]). Nonnisi praecipitanter **d.** affirmatur textus illos patrum, quibus utitur in op. adversus graecorum errores, esse confictos et spurios[2]). Non infitiamur theologos in probando dogmate usos subinde esse textibus spuriis, sed inscitia vel calumnia esset affirmare, eorum argumenta inniti tantum textibus confictis; innituntur enim verbis Christi, dogmatum analogiae innumerisque patrum effatis prorsus genuinis, quorum multa in hac thesi invenies.

588. Opponit **5.** historiam Ecclesiae per decem priora secula fore aenigma in hypothesi infallibilitatis romani pontificis, cum ad dirimendas controversias non ad sedem apostolicam provocatum fuerit, sed convocatae sint synodi oecumenicae, licet earum celebratio cum tot conjuncta esset incommodis. Sed **a.** concessa pontificis infallibilitate, synodi universales persaepe possunt esse summae utilitatis[3]), tum quia pontifex non ex tripode et pro arbitrio definire potest, quid divinitus sit revelatum, sed diligenti facta in traditionem divinam inquisitione: ad quam peropportuna est mutua episcoporum undique congregatorum collatio; tum quia obortis magnis dissidiis et turbis promptius et efficacius remedium est mutuum consilium et colloquium pastorum Ecclesiae, cum ipsorum praesertim sit decreta in bonum Ecclesiae edita exsecutioni mandare; tum quia tot venerandorum patrum unanimis sententia et definitio magis movet titubantium in fide mentes, magisque confundit haereticorum perfidiam osque eorum obturat, quam

---

[1]) 2. 2. q. 1. a. 10; expos. symb. ap. n. 9.

[2]) Uccelli in opusc. Dei testi esaminati da s. Tomaso d'Aquino nell' opusculo contro gli errori dei greci relativamente all' infallibilità pontificia, textuum illorum genuinitatem vindicat. Cf. Raich in Katholik 1871. II. p. 214 ss.; Leitner Th. v. Aquin über das unfehlbare Lehramt; Heinrich § 97.

[3]) Cf. prooemium sess. 3. conc. vatic., ubi fructus insignes, qui orbi christiano e conciliis oecumenicis, nominatim e tridentino, provenerunt, commendantur.

unius episcopi romani licet infallibilis auctoritas, praesertim cum ejus infallibilitas nondum fuerit semper et penes omnes super omne dubium. Quocirca **b.** vel ipsi apostoli, licet singuli essent infallibiles, in synodum convenere, in qua facta est *magna conquisitio* (Act. 15, 7); et ipsi rom. pontifices concilia oecumenica convocarunt, eo etiam tempore, quo secundum adversarios praevaluit jam haec doctrina, scil. medio aevo; imo Pius IX., licet jam solemniter asserta fuerit primatui infallibilitas, concilii vaticani continuationem ardenter desiderabat. Ceterum **c.** falsum est, antiquitus creditum fuisse, solum conciliorum auctoritate legitime componi posse dissidia et quaestiones de fide: agnovit hoc jus antiquitas etiam in romano pontifice.

589. Plura facta suis locis jam adduximus (n. 585). In primis vero expendatur insigne Flaviani episcopi CP. testimonium n. 517. Accipe jam alia. Relatis turbis monotheleticis ita prosequitur Martinus I. in concilio lateranensi secret. 2: „Quibus pene omnibus omnem mundum conturbantibus atque sollicitantibus, necessitate compulsi ex diversis locis querelas contra eos seu accusationes ad apostolicam nostram sedem plurimi orthodoxi detulisse monstrantur, et tam in scripto deprecantes et conjurantes, quamque in cominus positi postulantes, ut totius mali tantaeque eversionis per apostolicam sedem abscindatur commentum, quatenus minime totum corpus catholicae Ecclesiae nocibilis eorum ectheseos languor disrumpere valeat[1].“ Imo in epistola encyclica testatur[2]: „Et majus est dicere, generalitates synodorum per sua scripta non solum invitantes emendare propriam haeresim, sed et nos ipsos i. e. apostolicam sedem conjurantes et protestantes erigere secundum regularem auctoritatem, et non usque ad finem per tot tempora permittere contrariorum novitatem sanctas Dei catholicas depasci ecclesias.“ Cum monachi scythae in Oriente turbas excitarent propter formulam: ‚Unus ex Trinitate crucifixus est‘, ad sedem apostolicam recurrerunt ipsi et catholici, inter quos etiam Justinianus (nondum imperator): „Petimus, rogat ipse Hormisdam, ut si possibile est, celerrimo dato responso et satisfactis religiosis monachis Joannem et Leontium ad nos remittatis: nisi enim precibus et diligentia vestra ista quaestio soluta fuerit, veremur, ne non possit ecclesiarum sanctarum pax provenire[3].“ Et iterum in alia ep. (99) scribit: „Post semel divina misericordia donatam Ecclesiae catholicae unitatem quidam asserunt, Christum Dei D. N. pro nostra salute carne crucifixum unum de Trinitate debere praedicari: quod si suscipiendum sit, paterna provisione reverentia vestra cautissimo suo rescripto, quid sequi quidve super hoc evitare debeamus, nos certiorare dignetur... Imponite igitur vobis semel susceptum laborem, sancte ac venerabilis pater, etiam in hoc praedecessores vestros sequentes, quorum memoriam et amplectimini et consortio pontificatus ornatis, et de hac intentione liberos nos properate reddere et securos. Hoc enim credimus esse catholicum, quod vestro religioso responso nobis fuerit intimatum... Haec enim omnia ideo petimus

---

[1]) Mansi 10, 879. a. 649. [2]) Ib. p. 1174.

[3]) Ep. 89 inter ep. Hormisdae ed. Thiel; cf. ep. 120. 127. 132. 135.

vos disponere cautius, ut ne locus mendacio vel insidiis detur; quoniam summo cum desiderio fidem catholicam amplectentes vestra doctrina unitatem universo orbi petimus condonari.« Quid hisce praeclarius? Ipse imperator Justinus ad Hormisdam recurrit (a. 520) scribens[1]: „A nobis quidam destinabitur ad certiorem faciendam beatitudinem tuam super omnibus et insinuandas vobis supplicationes, quae nobis oblatae sunt (pro fide catholica ex diversis provinciis), et responsum pietatis vestrae referendum, quo possint resecari tandem dubitationes incongruae.«

590. Provocat **6.** ad synodum hierosolymitanam, in qua quaestio de legalibus peremptorie non fuerit dirempta a Petro, sed communi consilio secundum Jacobi sententiam. Verum ut hinc aliquid inferatur, supponi deberet, ne Petrum quidem fuisse infallibilem: quod puto penes theologos catholicos auditum nunquam est.

591. Etiamsi **7.** concederemus, quod tamen sibi contradicens[2]) affirmat Döllinger, conciliorum oecumenicorum decreta dogmatica jam ante pontificiam confirmationem vim habuisse obligandi, nihil propterea sequeretur contra romani praesulis infallibilitatem: inde tantum inferre liceret, praeter pontificem etiam concilia oecumenica hac potiri praerogativa. Verum negamus conciliorum decreta esse ante pontificis confirmationem peremptoria[3]).

592. Majoris momenti est, quod **8.** excipit, *romanorum pontificum epistolas in conciliis examini fuisse subjectas,* proinde non fuisse habitas infallibiles. Sed advertatur, multiplex alicujus doctrinae examen distingui, examinisque alium atque alium esse posse finem. Potest **a.** doctrina haeretica subjici examini, ut reprobetur et damnetur; potest **b.** de aliquo doctrinae capite quaeri, an illud sit revelatum, seu ut comprobetur revelatum ac de eo demum definitio edatur; potest **c.** etiam dogma catholicum examini subjici, non quasi id dubium foret, sed „ut, inquit s. Leo[4]), veritas clarius renitescat et fortius retineatur,“ scil. ut inquiratur in ejusdem fundamenta, ambitum, sensum; ut comprobetur conquisitis Scripturae effatis traditionisque testimoniis; ut refellantur haereticorum argumenta et dissipentur nutantium dubia. Hoc sensu concilia posteriora subinde examini subjecerunt ea, quae jam in prioribus peremptorie definita fuerant, imo conciliorum quoque oecumenicorum vel romanorum pontificum decreta (n. 561). Quod examen non supponit dubium de definitionis veritate, sicut nec examen theologi probe orthodoxi, quo accurate expendit dogmata catholica, supponit haec ei esse incerta.

593. Ejusmodi examen suae epistolae permisit s. Leo in concilio chalcedonensi (ad quod factum nominatim provocat Döllinger); cujus

---

[1]) Ep. 108. Cf. ep. 116. 130; verba plurium episcoporum schismaticorum n. 512 et verba auctoris ll. carolinorum n. 508 in annot.

[2]) H. E. 1, 177. 180. [3]) Cf. supra n. 558.

[4]) Ep. 120. ad Theodor. n. 1.

permissionis et examinis praeclaram reddit rationem l. c., quam, cum ea magni sit momenti in hac controversia, integram exhibebimus. „Gloriamur in Domino, ita pontifex scribit ad Theodoretum, cum propheta canentes: *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit coelum et terram* (Ps. 123, 8): qui nullum nos in nostris fratribus detrimentum sustinere permisit, sed quae nostro prius ministerio definierat, universae fraternitatis irretractabili firmavit assensu[1]): ut vere a se prodiisse ostenderet, quod prius a prima omnium sede formatum, totius christiani orbis judicium recepisset: ut in hoc quoque capiti membra concordent. In quo amplior nobis accrescit gaudendi materia, dum tanto magis se perculit inimicus, quanto contra Christi ministros saevius insurrexit. Nam ne aliarum sedium ad eam, quam ceteris omnium Dominus statuit praesidere, consensus assentatio videretur, aut alia quaelibet subrepere posset adversa suspicio, inventi prius sunt[2]), qui

---

[1]) Unde non sequitur, judicia romanae sedis, quasi per se non satis firma, concilii oecumenici assensu et confirmatione indigere, ut passim Quesnellus inculcat; nam cum hanc definitionem s. Leo adscribat Deo, profecto non exigebat ad ejus firmitatem assensum concilii. Quocirca etiam suam definitionem in ep. 28. ad Flavianum editam firmam habuit per sese et irretractabilem, ita ut nec concilium censuerit necessarium (ep. 37), nec in concilio de fide voluerit quaestionem moveri, ac si dubia et anceps esset doctrina, quam in eadem ep. definierat. Cf. ep. 82. 90. 93. c. 2; 94. In ep. 88. ad Paschasinum episc. lilybaetanum ante concilium scripta dicit se ipsi mittere epistolam, quam universalis Ecclesia amplectitur; et iterum c. 3. testatur „totam CP. ecclesiam cum monasteriis omnibus et multis episcopis praebuisse consensum“ et se „proxime epistolam CP. episcopi accepisse, quae refert, antiochenum episcopum missis per provincias suas tractoriis (*f.* ad) universos episcopos et epistolae (ad Flavianum) praebuisse consensum;“ quare ex sententia gallicanorum jam censeri debuit irretractabilis. Et revera synodus gallorum ep. 99. pro symbolo fidei illam habuit. Sed jam ante hunc Ecclesiae consensum scripserat s. Leo ep. 34. c. 2. ad Julianum coënsem: »Ad fratrem nostrum Flavianum sufficientia pro qualitate causae scripta direxi, quibus et vestra dilectio et Ecclesia universa cognoscat, de antiqua et singulari fide, quam indoctus impugnator incessit, quid divinitus traditum teneamus et quid incommutabiliter praedicemus.“ Cf. etiam ep. 69. 70. Quod si sub Theodosio concilium petiit, illud non ob incertitudinem doctrinae jam definitae, quam retractari noluerat, sed ob removenda scandala et ob pacem facilius conciliandam postulavit. Neque episcoporum assensus per se est irretractabilis, sed redditur irretractabilis, cum ipsi pontificiam amplectuntur definitionem vel cum accedit pontificia confirmatio. Hoc est adeo verum, ut ipsi patres chalcedonenses ac dein Marcianus imperator chalcedonensis definitionis confirmationem a pontifice petierint, ne dubium haberetur, quod in concilio fuerat definitum (cf. n. 559), quo professi sunt, concilii judicia ut irretractabilia sint, pontificis indigere confirmatione; et Anatolius in sua ad Leonem ep. 101. de gestis in concilio n. 3. fatetur: „Opus erat . . . ut in rectae fidei vestrae sensum omnium conveniret intelligentia.“ Cf. Ballerinii in h. l. et annot., quam epistolae ad Flavianum praemisimus opusc. XXV, 165. et annot. proximam post sequentem.

[2]) *Inventi prius sunt,* illyriciani scil. et palaestini, dum legeretur ep. 28. ad Flavianum act. 2., dubitationem tribus in locis protulerunt, quam statim Aëtius

de judiciis nostris ambigerent. Et dum nonnulli a dissensionis incitati auctore ad contradictionum bella prosiliunt, ad majus bonum malo ejus, auctore totius bonitatis dispensante, perventum est. Dulcius siquidem munera gratiae divinae proveniunt, quoties non sine magnis sudoribus acquiruntur: et minus bonum videri solet pax continuata per otium, quam reddita per labores. Ipsa quoque veritas et clarius renitescit, et fortius retinetur, dum quae fides prius docuerat, haec postea examinatio confirmarit[1]). Multum denique sacerdotalis officii meritum splendescit, ubi sic summorum servatur auctoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas. Et ad majorem Dei gloriam proficit finis examinis, quando ad hoc se accepit exserendi fiducia, ut vincatur adversitas: ne quod per se probatur reprobum, silentii praejudicio videatur oppressum.« Ceterum qua reverentia exciperentur romanorum pontificum epistolae in conciliis, exponit Nicolaus I. in ep. 98. ad Michaelem imp., postquam graviter conquestus est, suam epistolam Constantinopolim in causa imaginum et Photii missam fuisse corruptam et in synodo de hac causa habita silentio pressam. »Sed vere, ita ille, non sic in synodis prisco tempore collectis, non sic actum fuisse nonnullorum gesta conciliorum demonstrant. In illis enim apostolicae sedis scripta non sub occultationis modio tegebantur, sed ut omnibus, qui erant in domo Dei,

---

et Theodoretus excludere nisi sunt. Illyriciani vero, quibus adhuc nonnihil ambigentibus ac inducias petentibus quinque dies concessi fuerunt, didicere, quae ob diversitatem linguae in Leonis epistola non recte intellexerant: et similiter palaestini, ut traditur act. 4.

[1]) Falluntur, qui ex his verbis colligunt, Leonem putasse episcopis in conc. chalcedonensi liberum et licitum fuisse, suam definitionem in ep. 28. ad Flavianum expositam ita examini subjicere, ut potuissent ab ea dissentire et judicium ei contrarium pronunciare. Id nunquam s. Leo permisisset, qui ad Pulcheriam imperatricem ep. 95. c. 1. scribens declarat, se legatos misisse, »datis etiam ad venerabilem synodum congruentibus scriptis, quibus fraternitas advocata cognosceret, *quam formam servare in hac dijudicatione deberet:* ne ulla temeritas aut fidei regulis aut canonum statutis aut benignitatis remediis obviaret.« Quod etiam agnoverunt patres concilii, unde »Cecropius reverentissimus episcopus sebastopolitanus dixit: Emerserunt quae ad Eutychen pertinebant, et super iis forma data est a sanctissimo archiepiscopo romanae urbis, et sequimur eum et epistolae omnes subscripsimus. Reverentissimi episcopi clamaverunt: ‚Ista omnes dicimus: sufficiunt quae exposita sunt, alteram expositionem non licet fieri' (Hard. II, 286).« Ejusmodi proinde examen permisit s. Leo, quale theologus circa revelationis dogmata ad ea confirmanda, vel posterius concilium de praecedentis synodi oecumenicae decretis instituere potest: et tale examen pontifex laudat hic reddita praeclara ratione; tale examen instituit concilium chalcedonense. Quo etiam sensu »summorum servatur auctoritas, ut non imminuatur inferiorum libertas.« Si vero inferiorum libertas exigeret, ut examine instituto possint et definita reprobare, non amplius servaretur summorum auctoritas. Hinc sicut dependentia judicum inferiorum a rege approbante vel rescindente eorum judicium aut a legibus, quas sequi debent, non impedit judicandi sive jus sive auctoritatem: ita nec conciliorum praecedentium ac proinde neque pontificum infallibilitas tollit vel minuit episcoporum docendi judicandique sive jus sive auctoritatem. Cf. Orsi de irreformabili rom. pontificis judicio t. 1. p. 1. cc. 15. 17; p. 2. c. 37.

lucerent, in propatulo ponebantur, et ut si qua turpitudo vel macula in fidei pulchritudine a quolibet tentaretur induci, facile patesceret: ac si specula in omnibus habebantur, et quasi quaedam rectitudinis formula, qua imprimi ceteri possent, posita colebantur.«

594. At (9) *Cyprianus cum episcopis africanis rejecit Stephani definitionem* in quaestione de valore baptismi ab haereticis collati [1]), et tamen vel Romae jam olim sanctus habitus est; ipseque Augustinus Cyprianum non aliter excusat, quam quod ejus tempore ea quaestio nondum fuerit concilii universalis auctoritate dirempta (n. 409); ergo neque Cyprianus neque Augustinus Stephani sententiam tamquam peremptoriam agnoverunt. Verum **a.** decretum s. Stephani non fuit fidei definitio [2]), sed praeceptum de servanda consuetudine tradita, quare hoc factum minus est ad rem. Ad haec **b.** Cyprianus restitit non soli s. Stephano, sed universae fere Ecclesiae, quae romani episcopi praxim sequebatur. Atqui universalis Ecclesia vel hujus major pars cum unitatis centro conspirans ex cujuscunque catholici theologi sententia censebatur infallibilis. Ergo si hoc factum aliquid probaret, sequeretur Cyprianum negasse etiam ipsius Ecclesiae infallibilitatem. Ceterum **c.** Cyprianus licet sanctus, imo sanctissimus vir fuerit, renitendo decreto s. Stephani graviter in fide erravit, errore, quem forte bona fides excusaverit. Quare sicuti ex resistentia s. Cypriani contra dogma catholicum de valore baptismi ab haereticis collati non sequitur hujus falsitas: ita etiamsi s. doctor practice seu ipso facto romani pontificis negasset infallibilitatem, non sequeretur hanc esse rejiciendam. Exemplum tibi potius sit, quantum quis erret, qui renititur decretis

---

[1]) Concedimus adversariis, ne declinare videamur difficultatem, s. Cyprianum cum suis episcopis celebrasse tertium concilium, in quo gravissimis verbis reprobant baptismum a haereticis collatum, cognito jam s. Stephani decreto. Verum haec suppositio non est adeo certa, forte ne probabilis quidem, ut ostendit Grisar Zeitschr. für kath. Theol. Oeniponti 1881. p. 193—222. Imo admodum probabile est, quod censet Augustinus ep. 93, in qua pie tuetur s. Cyprianum: „Non incongruenter de tali viro existimandum est, *quod correxerit* (suam sententiam) et fortasse suppressum sit ab iis, qui hoc errore nimium delectati sunt et tanto velut patrocinio carere noluerunt.« Evidens enim est, quod romana Ecclesia Cyprianum non adeo coluisset, si in contumacia esset mortuus. Cf. opusc. IX, 166. ed. 2.

[2]) Haec saltem est quorundam theologorum sententia. Cf. Thomassinus diss. 2. de conc. n. 24; Franzelin de tradit. th. 8. annot. et suaderi potest ex ipsis, quae supersunt, Stephani verbis, quae praecepti, non definitionis formam prae se ferunt. Cf. diss. apud Migne patrol. lat. curs. completi III, 313. Ceterum non desunt, qui putent, s. Cyprianum quaestionem hanc habuisse non pro dogmatica, sed pro disciplinari, adeoque etiam s. Stephani sententiam non pro doctrinali. Qua in hypothesi exceptio non esset ad rem. Cf. Palmieri th. 28. 35.

romani pontificis. Idcirco vero **d.** Augustinus, qui in hypothesi, quod Cyprianus Stephani decreto se opposuerit (de quo tamen dubitat), eum non ab omni culpa liberat, concilii defectum ad eum excusandum urget, quod contra donatistas agat, qui, licet controversia jam in concilio plenario secundum s. doctorem authentice ventilata et definita esset, catholicam veritatem impugnare pergebant, in quo certe minus venia et excusatione erant digni. Quanti autem fecerit s. Augustinus cathedrae apostolicae definitionem, patet ex supra dictis de controversia cum pelagianis (n. 580); quibus adde praeclarissimum illius dictum, quo de haeresi ariana inquit[1]: „Non crederis veram fidem tenere catholicae, quae fidem non doces esse servandam romanam."

595. Jam accedamus ad adversariorum Achillem (**10**), *ad Honorii damnationem*[2]), quam universa Ecclesia ipsique romani pontifices receperunt. Quid de hac tenendum sit, ad quaedam capita revocabimus. Praetermissa quaestione sive de genuinitate epistolarum Honorii ad Sergium sive de actorum concilii VI. integritate[3]), utraque etiam concessa, omnino certum est **1.**, Honorium *nullam ex cathedra edidisse definitionem,* ut patet **a.** ex consensu gravissimorum theologorum non solum antiquorum, sed et recentiorum: non solum romanorum, quos ultramontanos dicere volent, sed et gallicanorum[4]); ut patet **b.** ex

---

[1]) Serm. 120. n. 13. in bibl. nova PP. ed. cl. Mai I, 273.

[2]) Admiranda est divina providentia, quae tot seculorum lapsu ita sedem apostolicam protexit, ut dum reliquae sedes patriarchales misere lapsae sint in errores, haeresim, schisma, romana sedes impervia fuerit omni haeresi: adeo ut adversarii ex tot pontificibus vix uni erroris maculam inurere possint, a qua tamen et hic pronunciandus est liber. Dicimus vix uni, neque enim Liberii lapsus **1.** est certus, imo confictus videtur; quod si **2.** probari possit, non est ad rem, esset enim defectus constantiae in propugnanda justitia et in tuenda formula nicaena, prodendo veluti s. Athanasium et silentio premendo consubstantialis professionem; nam non subscripsit formulam ex se haereticam, sed ejusmodi professionem, quae in sensum catholicum explicari potuit. Cf. Hefele Conciliengeschichte I. § 81. Etiamsi vero **3.** formulam subscripsisset haereticam, lapsus ejus non esset ad rem. Subscriptio enim formulae haereticae pro recuperanda libertate et vi illata extorta est lapsus personalis, est peccatum contra fidem, non est definitio ex cathedra, qua praescribitur, quid sit ab universa Ecclesia credendum. Cf. Katholik 1868. II, 513 ss. et 1884. I, 1 ss. ubi praeeunte Rossi Bulletino di archaeol. crist. 1883. nova instituitur Liberii apologia, quae innititur carmine vetusto recenter reperto. De Zosimo († 419), qui in causa Coelestii errasse affirmatur cf. opusc. XVIII, 133 ss.

[3]) De hac dubitat adhuc vel card. Mai in bibl. nova PP. IV, 49, ut praetermittamus Vincenzi.

[4]) Cf. ex. gr. Nat. Alexander Hist. eccl. diss. 2. in sec. VII. prop. 2; Roncaglia in animadversionibus subjectis; Thomassinus diss. 20. in conc.

defectu promulgationis, nam Honorii literae usque ad pontificis et Sergii obitum erant ignotae[1]): ubi autem deest promulgatio, quomodo dici potest romanum pontificem omnium christianorum pastoris ac doctoris munere fungi et doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definire, in quo tantum casu infallibilis pronunciatur? Patet **c.** ex ipsis Honorii verbis ep. 2: „Auferentes ergo, sicut diximus, scandalum novellae adinventionis, non nos oportet unam vel duas operationes definientes praedicare etc.;“ et in ep. priori: „Utrum autem propter opera divinitatis et humanitatis una an geminae operationes debeant derivatae dici vel intelligi, ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis.“ Quam ob rem nullibi praecipit, sed hortatur tantum et consulit abstinendum esse a vocabulo unius vel duplicis voluntatis: neque enim **d.** Sergius postulaverat aliquam fidei definitionem, sed tantum silentii oeconomici quoad voces unius vel duplicis operationis approbationem. Colligitur **e.** ex literis Agathonis ad Constantinum imp., in qua testatur, romanos pontifices nunquam destitisse hortari episcopos constantinopolitanos, „ut a pravi dogmatis errore saltem tacendo desisterent,“ quibus respicere videtur Honorii epistolas[2]). Nihil ergo definivit Honorius, sed tantum silentium commendavit.

596. *Honorii epistolae* **2.** *nullum continent errorem contra fidem,* licet unam fateatur in Christo voluntatem. Hoc colligitur **a.** ex authentica interpretatione Joannis Samponi abbatis, cujus opera usus fuerat Honorius in conscribendis illis literis. Quare s. Maximus in disput. cum Pyrrho: „Quis fide dignus, inquit, istiusmodi epistolae interpres, is qui eam ex persona Honorii scripsit, cum et adhuc vitae superstes sit, ac qui cum aliis suis virtutibus pietatis dogmatibus omnem Occidentem illustrat, an ii, qui Constantinopoli loquuntur, quod

---

IV. n. 18 ss.; Ballerinii c. 15. § 9. n. 35; Regnier de Eccl. Christi sect. 3. c. 3.

[1]) Sergius saltem quoad vixit non videtur ad Honorii literas provocasse ad suos asserendos errores; iis primum abusus est Pyrrhus, ut colligimus ex verbis Joannis IV. (n. 596), unde mox scandalizavit omnes occidentales partes. Imo ep. altera ad Sergium primum videtur fuisse prolata in conc. oecumenico VI. (a. 680—81). Mirum quoque est per 40 annos et ultra usque ad illud concilium, licet saepius fuerit discussus error monotheletarum et etiam damnatus, de Honorio ejusque quam fingunt definitione nullam fieri mentionem; et si de illo postea fit mentio, eum ab omni excusari errore. Ita Aeneas paris. (a. 870) l. adv. graecos Liberii quidem meminit, qui lapsus sit, non vero Honorii (Mig. 121, 687); ita sec. VIII. Elipandus (Mig. 96, 867).

[2]) Mig. 87, 1172. Alia pro hac assertione proponit Orsi de irreformabili rom. pont. judicio t. 1. p. 1. c. 22. a. 2. § 1.

in mentem venit?" Respondet Pyrrhus: „Qui hanc composuit." „Is igitur ipse, prosequitur Maximus, cum ad sanctum Constantinum imp. ex persona rursus s. Joannis papae de hac epistola scriberet, dixit: Unam voluntatem diximus in Domino, non divinitatis ejus et humanitatis, sed humanitatis dumtaxat. Cum enim Sergius scripsisset, quod quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent, respondit: Unam voluntatem diximus Christum, non duas contrarias voluntates habuisse, carnis scil. et spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed unam tantum, quae naturaliter ejus humanitatem insigniret[1]). „Testatur **b.** Joannes IV., qui apologiam scripsit pro Honorio, in qua inter alia legimus: „Quantum enim ex diversis suggestionibus, quae ad nos catervatim venerunt, quinimo et ex ipso quoque auditu didicimus, omnes occidentales partes scandalizatae turbantur, fratre nostro Pyrrho patriarcha per literas suas huc atque illuc transmissas nova quaedam et praeter regulam fidei praedicante et ad proprium sensum quasi sanctae memoriae Honorium papam decessorem nostrum attrahere festinante, quod a mente catholici patris erat penitus alienum." Explicat dein quo sensu Honorius duas videatur negare in Christo voluntates, cujus explicationis haec est summa: „Praedictus ergo decessor meus docens de mysterio incarnationis Christi dicebat, non fuisse in eo, sicut in nobis peccatoribus mentis et carnis contrarias voluntates: quod quidam ad proprium sensum convertentes, divinitatis ejus et humanitatis unam eum voluntatem docuisse suspicati sunt, quod veritati omnimodis est contrarium." Quem in sensum **c.** Honorium intellexit etiam insignis tunc temporis fidei propugnator s. Maximus confessor, qui Pyrrhum adegit, ut fateretur[2]): „Meus decessor (Sergius) vocis errore deceptus, hoc (quod Honorius scripsit) simplicius accepit;" atque eundem in sensum **d.** Honorium intellexisse dicendus est et Agatho, alioquin non toties solemniterque in sua ad Constantinum imp. epistola inculcaret, romanam ecclesiam „nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexam esse (cf. n. 563 annot.)."

---

[1]) Migne patrol. gr. 91, 327. Cf. etiam Anastasius bibliothecarius, qui in collectaneis ad Joannem diac. (Mig. 129, 560) scribit: „Si omnia exaggerare volumus, quae in Honorii papae excusationem colligere possumus, facilius charta nobis, quam sermo deficiet." Ibidem (559) advertit: „Quis autem erit, qui nobis interim dicat, utrum ipse (Honorius) pro certo dictaverit epistolam, de qua illum anathematizandi fomitem calumniatores susceperunt, cum et ex scriptoris vel indisciplinatione vel in pontificem odio quid contingere (legendum forte *confingi*) tale potuerit?"

[2]) L. c. p. 330. Fusius Honorium tuetur et explicat idem Maximus in tomo dogmatico ad Marianum presb. ib. p. 238 ss.

597. Neque mirum **e.** cum id pateat ex ipsis Honorii literis. Satis clare enim proponit doctrinam catholicam, cum scribit ep. 2: „Pro una, quam quidam dicunt operatione, oportet nos unum operatorem Christum Dominum in utrisque naturis veridice confiteri: et pro duabus operationibus ablato geminae operationis vocabulo[1]) ipsas potius duas naturas i. e. divinitatis et carnis assumptae in una persona Unigeniti Dei Patris inconfuse, indivise atque inconvertibiliter nobiscum praedicare propria operantes.« Si enim caro i. e. natura humana operata est propria et inconvertibiliter fuit assumpta, ea operata est operatione humana: nam natura humana carens propria operatione maxime est conversa et facta alia. Evidenter igitur agnoscit Honorius in Christo praeter operationem divinam etiam humanam, proinde duplicem operationem. Quod vero in Christo unam tantum agnoscens voluntatem, non excludat quamlibet voluntatem humanam praeter divinam, sed tantum duas voluntates contrarias sibique repugnantes, voluntatem carnis seu concupiscentiam repugnantem tum voluntati divinae tum voluntati rationali, adeo clare colligitur ex Honorii verbis, ut mirum sit potuisse aliquos hac de re dubitare. „Unde et unam voluntatem fatemur D. N. J. Christi, inquit ipse ep. priori, quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa[2]): illa profecto, quae ante peccatum creata est, non quae post praevaricationem vitiata[3]) . . . Non est itaque assumpta a Salvatore vitiata natura, quae repugnaret legi mentis ejus, sed venit quaerere et salvare quod perierat i. e. vitiatam humani generis naturam. Nam lex alia in membris aut voluntas diversa[4]) non fuit vel contraria Salvatori, quia super legem natus est humanae conditionis[5]).« Quot incisa tot fere argumenta pro hac interpretatione.

598. Quocirca **3.** *anathema* a conc. VI. in Honorium dictum *non propter errorem,* quem docuerit, *latum censeri debet, sed propter con-*

---

[1]) Ergo si Honorius erravit, non erravit circa rem, dogmatis substantiam, sed circa modum loquendi, quod timens de vocabulis altercationem, maluerit, ut abstineretur a vocabulis unius vel duplicis operationis, contentus ea fidei formula, qua virtute continetur duplicis operationis confessio quaeque vix differt a fidei professione, quam ipse Leo I. in celebri ad Flavianum ep. ita enunciat: »Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est; Verbo scil. operante quod Verbi est et carne exsequente quod carnis est.«

[2]) Atqui natura essentialiter includit voluntatem rationalem, neque enim eam habet propter culpam: ergo assumendo naturam, non culpam, assumpsit voluntatem rationalem.

[3]) Atqui natura humana ante lapsum praedita erat voluntate rationali, caruit vero concupiscentia repugnante legi mentis, in quam incidit per lapsum, unde in se experitur duplicem veluti voluntatem contrariam (Rom. 7, 15 ss.). Ergo assumendo naturam humanam, qualis fuit ante praevaricationem, non vitiatam, assumpsit quidem voluntatem, non vero concupiscentiam.

[4]) Ergo voluntas diversa, qua caruit Christus, est idem ac lex in membris; atqui lex in membris non est voluntas rationalis, sed concupiscentia: hac ergo, non illa caruit.

[5]) Haec supernaturalis nascendi conditio eximere quidem potuit a concupiscentia, a rebelli lege membrorum, nunquam vero a voluntate rationali. Cf. Franzelin de incarnatione th. 40.

silium illis in adjunctis admodum inopportunum datum, quod haud parum errorem promovit monotheleticum. Et etiamsi forte patres concilii aliud intenderint, hunc tantum in sensum anathema est authenticum. Nam cum patres concilii non potuerint de Honorio judicare nisi consentiente sede apostolica, ut significat Hadrianus II. in epistola in concilii oecumenici VIII. act. 7. lecta [1]), synodi judicium erit authenticum, in quantum confirmatum est ab eadem sede. Quo vero sensu sedes apostolica illud approbaverit, docet nos Leo II. ad Hispaniae episcopos scribens: „Aeterna condemnatione multati sunt Theodorus, Cyrus, Sergius etc. cum Honorio, qui flammam haeretici dogmatis, non ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem exstinxit, sed negligendo confovit[2]);“ quibus verbis omnino videtur temperare sententiae rigorem.

599. Haud immerito **4.** conferri potest haec condemnatio non una de causa cum illa reprehensione, qua Paulus in causa legalium *in faciem Cephae restitit, quia reprehensibilis erat*[3]). Sicut enim Petrus neque **a.** erravit in

---

[1]) Ita enim scribit: „Romanum pontificem de omnium ecclesiarum praesulibus judicasse legimus, de eo vero quemquam judicasse non legimus. Licet enim Honorio ab orientalibus post mortem anathema sit dictum, sciendum tamen est, quia fuerat super haeresi accusatus, propter quam solam licitum est minoribus majorum suorum motibus resistendi vel pravos sensus libere respuendi: quamvis et ibi nec patriarcharum nec ceterorum antistitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferendi sententiam, nisi ejusdem primae sedis pontificis consensus praecessisset auctoritas (Mansi 16, 126).“ Quare autem romana sedes permiserit Honorium, qui non improbabiliter dici potest innocens, a synodo VI. tam rigide dijudicare, bene significavit Pitra jur. gr. II, 85: „Summam rem aequo animo consideranti perspicuum est, eam fuisse graecorum indomitam superbiam tum maxime a VI. et VII. synodo et inde ad Photium, ut neque haereticorum nomina e s. dyptychis erui, neque inseri romanorum memorias, neque Sergium, Pyrrhum, Paulum aliosque istius modi haereticorum antesignanos publice aperteque reprobari licuisset, nulla denique inter utramque Romam permansisset concordia, nisi antiquior (Roma) passa aliquid fuisset in Honorii detrimentum. Propterea integerrima fide s. sedis remanente ipsoque Honorio in pace Ecclesiae certissimis testimoniis quiescente permissum interea fuit, eum de incauta vigilantia argui, ‚quod non ut decuit apostolicam auctoritatem haeresim incipientem exstinxit, sed negligendo confovit‘.“

[2]) Eodem modo Honorii culpam exprimit et in ep. qua concilium confirmat: „Hanc apostolicam ecclesiam non apostolicae traditionis doctrina lustravit, sed profana proditione immaculatam maculari permisit;“ et in ep. ad Ervigium: „Immaculatam apostolicae traditionis regulam maculari consensit;“ et in professione fidei, quae habetur in diario rom. pontificum: „Pravis eorum assertionibus fomentum impendit.“ Cf. Garnier diss. 2. in librum diurnum n. 37. in Migne patrol. lat. 105, 154 ss.

[3]) Gal. 2, 11. Attenta Honorii virtute et sanctitate, quam plures scripto-

fide; neque **b.** peccavit sive objective aliquid illicite agendo (legalia enim servare tunc adhuc erat licitum), sive subjective, cum servare legalia esset licitum atque ipse in his servandis duceretur motivo honesto, sollicitudine pro judaeis ipsi specialiter concreditis (v. 8); sed **c.** idcirco reprehensibilis erat, quod ejus agendi ratio illis in adjunctis minus esset prudens, imo et gentibus recens conversis noxia (colligebant enim ex agendi ratione principis apostolorum, observationem legalium esse necessariam, quae persuasio multos remorari poterat ab amplectenda fide): ita Honorius reprehensibilis erat non propter errorem in fide, sed propter consilium silentio premendi vocabula unius vel duplicis operationis in Christo, optima quidem ex intentione datum, sed imprudens, quod admodum foveret monotheletarum errorem tunc gliscentem.

600. Affirmat ulterius (**11**) Döllinger, nostrum dogma consectarium esse axiomatis illius: *Prima sedes a nemine judicatur*: hoc autem ignotum fuisse primis quinque Ecclesiae seculis et nonnisi documentis inniti spuriis. Verum **a.** negamus infallibilitatem niti illi axiomati, quo neque usi sumus: innititur enim verbis Christi aliisque argumentis, ut vidimus; imo **b.** axioma illud consequitur sponte sua infallibilitatem, non vero (saltem non adeo clare et necessario) haec ex illo. Nam si prima sedes est infallibilis, manifestum est, eam superiori non esse obnoxiam tribunali; ex eo vero quod aliquod tribunal non ab alio judicetur i. e. superiori non sit obnoxium, non sequitur illud esse infallibile. Falsum vero est **c.** axioma illud esse inauditum primis quinque Ecclesiae seculis: nam notum jam erat Ennodio, qui in libello apologetico pro synodo palmari a. 501 (quem jubente synodo romana a. 503 exaravit, numerosa vero synodus approbavit atque inter monumenta Ecclesiae publica solemni modo retulit) ita scribit: »Aliorum forte hominum causas Deus voluerit per homines terminare: sedis istius praesulem suo sine quaestione reservavit arbitrio. Voluit b. Petri apostoli successores coelo tantum debere innocentiam et subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam etc.« Noverat illud synodus romana[1]) a. 501; expressit illud Avitus viennensis nomine episcoporum Galliae[2]);

---

res fide digni testantur (cf. insigne epitaphium Migne 80, 1000), excusari poterit vel a gravioris negligentiae culpa. Cf. Schneemann, Studien über die Honoriusfrage; Scheeben, das ökumenische Concil t. 2. p. 91 ss., Ratisbonae 1870; Civiltà Cattolica 1869. t. 9. p. 431 ss.; t. 10. p. 415 ss.

[1]) Apud Thiel Epistolae RR. PP. p. 658. 663. 676.

[2]) Ep. 31. quae tota est de hoc argumento, in qua inter alia legimus: »Non facile datur intelligi, qua vel ratione vel lege ab inferioribus eminentior judicetur. Nam cum celebri praecepto apostolus clamet (1. Tim. 5, 19) accusationem vel in presbyterum recipi non debere, quid in praecipuum generalis Ecclesiae criminationibus licere censendum est? Quod synodus ipsa venerabilis laudabili constitutione prospiciens causam, quam, quod salva ejus reverentia dictum sit, pene temere susceperat inquirendam, divino potius servavit examini . . . Sed et in sacerdotibus ceteris potest, si quis forte nutaverit reformari; at si papa Urbis vocatur in dubium, episcopatus jam videbitur, non episcopus vacillare . . . Ceterum non est gregis pastorem proprium terrere, sed judicis.« Quod autem ineunte

noverant illud jam Bonifatius, Zosimus et Gelasius (n. 571. 553). Denique **d.** negamus hoc axioma spuriis inniti monumentis; innititur enim primatus praerogativa, quemadmodum ea in divinis literis et in traditione delineatur[1]).

601. Provocat Döllinger (**12**) *ad concilia constantiense et basileense,* quae docuerunt, romanum pontificem in rebus fidei et morum conciliis oecumenicis esse obnoxium, quod e diametro adversatur pontificis infallibilitati. Verum de concilio constantiensi haec teneantur: **a.** decreta sess. IV. et V. prodiisse schismate adhuc vigente ab una obedientia Joannis XXIII. pontificis admodum dubii et quidem post ejus recessum; **b.** non prodiisse conciliariter, sed praeter morem et consuetudinem, seclusis cardinalium suffragiis admissisque ad suffragia etiam clericis et laicis, atque suffragiis secundum nationes latis[2]); neque **c.** ea decreta approbata fuisse a Martino V., qui declaravit se „omnia et singula determinata, conclusa et decreta in materia fidei (scil. contra Wicleff, Hus et Hieronymum de Praga, quorum etiam in confirmationis decreto meminit) per praesens concilium generale constantiense conciliariter tenere . . . ipsaque sic conciliariter facta approbare et ratificare et non aliter, nec alio modo[3]).“ Neque posteriores pontifices plus approbarunt. Etiamsi **d.** Martinus V. approbasset decreta, sequeretur tantum, concilium esse supra pontificem dubium in casu schismatis[4]), non vero extra hunc casum, cum pontifex est legitimus et certus[5]). Hinc conc. ita in edendis illis decretis exorditur: „Haec s. synodus constantiensis generale concilium faciens pro exstirpatione praesentis schismatis et unione et reformatione Ecclesiae.“

---

sec. VI. episcopis Galliae visum est evidens et sponte sua notionem supremi pastoris consequens, profecto non fuit inauditum prioribus Ecclesiae seculis.

[1]) Cf. supra n. 549 s.; Thomassinus diss. 15. in conc.

[2]) Cf. Ballerini de potestate ss. pontif. et concil. gener. c. 7 ss.

[3]) Collect. conc. venet. 16, 746. Ceterum hoc idem quondam fassus est ipse Döllinger Kirchengeschichte 2, 306. Cf. Ballerini in fasc. liter. la Scuola cattolica t. 8. p. 493 ss. Mediolani 1876; Palmieri th. 16.

[4]) Quatenus scil. judicare posset, an pontifex, de cujus legitima electione controvertitur, legitimus sit necne.

[5]) Cf. bullam Eugenii IV. ‚Moyses‘ a. 1439 cum notis Justiniani apud Harduinum IX, 1004 ss., in qua damnatur propositio: „Veritas de potestate concilii generalis universalem Ecclesiam repraesentantis supra papam et quemlibet alterum declarata per constantiense et hoc basileense generalia concilia est veritas fidei catholicae.“ Quod si Eugenius IV. conc. basileense approbavit usque ad ejusdem translationem, approbavit illud cum clausula: „Absque tamen praejudicio juris, dignitatis et praeeminentiae sedis apostolicae.“

Imo **e.** teste vel ipso Gersone[1]) jam Martinus V. ita se gessit, ut facto destrueret decretorum istorum robur fundamentale. Statuit[2]) enim: „Nulli fas est a supremo judice videlicet apostolica sede seu romano pontifice J. Christi vicario appellare aut illius judicium in causis fidei, quae tamquam majores ad ipsum et sedem apostolicam deferendae sunt, declinare.“ Quocirca nunquam haeretici habiti sunt, qui decretorum illorum auctoritatem negarent; et in ipso concilio constantiensi plurimi fuere, qui romani pontificis infallibilitatem docuerunt[3]), et post illud haec doctrina praevaluit, sicut etiam jam antea inter theologos fuerat communis. Quibus **f.** responsum est ad concilium basileense, cujus decreta hoc in argumento pluribus forte defectibus laborant[4]).

602. Provocat (**13**) ad decretum Eugenii IV. pro armenis. Admissa enim romani pontificis infallibilitate, illud foret infallibile; quo posito jam de ordinationibus episcoporum et presbyterorum in universa Ecclesia esset merito dubitandum: nam primis Ecclesiae seculis hi ordines collati non sunt eo ritu, qui secundum hoc infallibile decretum est essentialis, neque modo in Ecclesia orientali eo ritu conferuntur; actum ergo esset de episcopatu deque successione apostolica in Ecclesia, actum de legitimo vel ipsius concilii vaticani valore. Verum **a.** ipsa haec immania absurda, quae inferuntur, exceptionem reddunt suspectam; et revera innumeri theologi certe sagaces non obstante hoc decreto non destiterunt a propugnanda romani pontificis infallibilitate, nullam inde Ecclesiae timentes perniciem; sciebant nimirum **b.** hoc decretum non continere definitionem dogmaticam, quid sit de sacramentorum essentia, sed esse instructionem[5]), quid secundum praesentem Ecclesiae romanae praxim in sacramentorum administratione sit servandum. Quare **c.** etiamsi statuat materiam sacramenti ordinis esse illud, per cujus traditionem ordo confertur,

---

[1]) In dialogo apologet. pro condemnatione proposit. Joannis Parvi op. 1. 2. p. 390 s.

[2]) In constit. 10. Mart. 1418. Cf. Mazzella n. 1078 ss.

[3]) Cf. Scheeben, der Papst und das Concil von Janus.

[4]) Ipse Döllinger Kirchengeschichte 2, 347 coll. 306 et 325 ss. praeclare ostendit, haec decreta omni carere auctoritate.

[5]) Denzinger in enchiridio symb. et definit. ad illud advertit: „Qua de instructione praemittendum est, eam non esse definitionem de ministro, materia et forma sacramentorum, ut multi putabant, sed instructionem tantummodo practicam, quae tamen ut talis plenam habet auctoritatem. Ipsum decretum in fine distinguit inter ‚capitula, declarationes, definitiones, traditiones, praecepta, statuta et doctrinam,‘ quae in ipso contineantur.“

non propterea dirimit quaestionem [1]), utrum haec sit materia integra et ita essentialis, ut nunquam citra illam valuerit ordinis sacramentum. Quocirca **d.** theologi probe catholici etiam post hanc instructionem, nunquam reclamante romano pontifice, hac de re disputant, quod cum definitione e cathedra conciliari nequit.

603. Plura brevitatis gratia praetermittimus, ad quae aliaque solvenda haec prae oculis habeantur: **1.** Non quidquid romani pontifices laudarunt, instituerunt, egerunt, promoverunt, judicarunt, responderunt in suis epistolis, scripserunt etc. pro definitione e cathedra haberi debet; imo nec omnia, quae in bullis vel maxime dogmaticis leguntur, objectum sunt definitionis dogmaticae: verum eaedem regulae in determinando hoc objecto servari debent, quae sequendae sunt in statuendo ambitu definitionis conciliorum (n. 668). **2.** Plura pontificum decreta, quae falsitatis, exaggerationis, usurpationis etc. accusantur, jam a seculis tacito vel etiam expresso Ecclesiae consensu recepta sunt: quare ejusmodi criminationes petunt (pro more) ipsam Ecclesiae infallibilitatem. **3.** Damna et incommoda, quae nonnulli puerili timore societati civili timent sunt plane fictitia, non minus ac illa damna, quae ex revelatione et fide in scientiam redundare increduli pueriliter et inscite jactant. **4.** Quae nonnulli blaterant sive de spuriis documentis, quibus haec innitatur doctrina, sive de vi ac tyrannide, qua eadem fuerit inducta et propagata, sive de dubio illorum charactere, qui eandem propugnarint, inter figmenta et calumnias amandanda sunt.

604. *Definitionis opportunitas.* — Quaeri tandem posset, quare infallibilitatis praerogativa, quae tanti est momenti pro Ecclesiae regimine et praxi, tam sero definita fuerit. Respondemus **1.** etiam alias veritates summi momenti, a quibus multa alia dogmata pendent, sero, imo forte nunquam ab Ecclesia in conciliis diserte definitas fuisse, ut ex. gr. visibilitatem et infallibilitatem Ecclesiae, infallibilitatem conciliorum oecumenicorum, quam adeo urgent adversarii. Ideo autem **2.** non fuerunt definitae ejusmodi veritates, quod practice, quantum satis est, admitterentur. Ita eo ipso quod loquente concilio oecumenico censeretur controversia peremptorie definita, iique qui se nollent

---

[1]) Etiamsi concedatur, Eugenium IV. authentice docuisse materiam essentialem sacramenti ordinis esse instrumentorum traditionem, nihil propterea esset timendum. Semper enim defendere liceret opinionem, quae statuit, Christum pro ordinis sacramento materiam determinasse in genere tantum, voluisse scil., ut ordo conferatur ritu visibili et apto ad significandam traditionem potestatis, reliquisse autem Ecclesiae arbitrio, ut hunc ritum accuratius determinet. Jam vero secundum hanc hypothesim Ecclesia primis seculis usa est manuum impositione ad conferendos ordines superiores, seculorum autem lapsu pro potestate sibi facta hunc ritum ampliavit auxitque adjecta instrumentorum traditione, vel, si vis, mutavit in hanc traditionem; proinde modo in Ecclesia latina hic ritus erit essentialis: unde illa corollaria jam carent fundamento.

subjicere judicarentur haeretici, practice credebatur illud infallibile. Ita cum docente pontifice causa censeretur finita, contumaces haberentur haeretici: quantum satis est ad unitatem Ecclesiae, agnoscebatur ejusdem infallibilitas. Cum vero **3.** aucta in dies controversia et dubitatione non solum theoretica ob cleri gallicani declarationem, sed etiam practica, a jansenianis, febronianis aliisque neotericis, praesertim nostra aetate, omnia susdeque verterentur omnesque machinae et artes adhiberentur ad illam praerogativam in dubium vocandam: opportunum, imo plane necessarium fuit, solemni peremptoriaque definitione eam asserere: ut quod omnes practice jam crediderant, plerique etiam verbis scriptisque professi erant, ore quoque diserte omnes confiterentur. Debuit hoc Ecclesia **a.** fidelibus ad omnem dubitationis nubeculam ex ipsorum cordibus abigendam; debuit **b.** adversariis, qui eam ad peremptoriam declarationem pertinaciter provocabant; debuit **c.** ad comprimendum scientiae sese etiam in rebus theologicis adversus pontificis auctoritatem immodeste erigentis tumorem; debuit **d.** vel ordini sociali, ut nutantem jamjam auctoritatem divinitus institutam in Ecclesia, societate et familia adversus liberalismum firmaret [1]).

605. **Scholion.** *Infallibilitatis subjectum.* — Si quaeritur, quodnam sit subjectum infallibilitatis, non improbabiliter defendi posset, duplex: duplex enim est promissio divina: alia, qua haec praerogativa Petro ejusque successoribus promittitur, ut ostendimus; alia, qua eadem fit coetui pastorum, Petro utique ut centro adunatorum (n. 366). Vi hujus promissionis coetus pastorum est infallibilis, etiamsi pontifex per se non sit vel non supponatur infallibilis. Haec videtur sententia celeberrimi Laynez, ut colligimus ex ejus judicio de minuta bullae indictionis concilii, in quo inter alia legimus: »Opponet fortasse aliquis: Quid ergo opus est, ut pontifices confirment decreta conciliorum de fide, si per se ipsa tam firma sunt? Responderem, non ideo opus est confirmationis sedis apostolicae, quod concilia generalia legitima et legitime procedentia errare possint in fide, hoc enim falsissimum est; sed ideo adhibetur confirmatio, ut honor habeatur sedi apostolicae; ut constet illam a decretis concilii non dissentire; et, quod magis ad rem facit, ut perspicuum etiam sit concilia legitime esse legitimeque processisse, ac proinde errare minime potuisse. Quia enim concilia etiam legitime convocata errare possunt in fide, si legitime non procedant: tum demum nobis plene constat ea etiam legitime processisse, cum accedit confirmatio sedis apostolicae.« Card. Franzelin ad quaestionem ita respondet [2]): »Subjectum infallibilitatis a Christo promissae... non est duplex adaequate distinctum, sed est tum visibile caput Ecclesiae per se spectatum, tum hoc ipsum visibile caput velut componens et informans corpus Ecclesiae docentis, quae

---

[1]) Cf. Andries, cathedra romana pag. 46 ss.

[2]) Tr. de div. trad. post th. XII. Schol. 1. corol. 1. ed. 3.

ipsamet sic constituta (corpus cum capite) est infallibilis per assistentiam Spiritus veritatis.« Nam, ut antea monuerat p. 73, »corpus Ecclesiae docentis non est simpliciter Ecclesia docens, cui promissa est assistentia veritatis et tutela Christi in docendo, nisi quatenus suo visibili capite velut informatur, ut sit simpliciter Ecclesia docens;« et p. 115: »Conditio sine qua successores apostolorum non sunt Ecclesia docens, et causa formalis per quam constituuntur in ratione docentis Ecclesiae, cui promissa est tutela Christi et assistentia Spiritus veritatis in docendo, est visibile caput Ecclesiae a Christo institutum et unio atque consensio membrorum cum hoc capite, sicut universim forma unitatis visibilis est ipsum visibile caput Ecclesiae.« Secundum alios vero omnis infallibilitas ex rom. pontificis magisterio in Ecclesiam redundat.

606. Haec pro compendii angustiis sufficiant de romani pontificis infallibilitate. Ex omnibus autem liquet, eam intime cohaerere cum infallibilitate Ecclesiae, adeo ut illa impugnata et haec in discrimen vocetur. Neque mirum; idcirco enim domus sapientis architecti non corruit orta tempestate, quia *fundata erat super petram* (Matth. 7, 25). Idcirco ergo non praevalebunt portae inferi adversus Ecclesiam, sapientissimi architecti domum, quia aedificata est *super hanc petram* (ib. 16, 18). Si autem quaeris, quaenam sit *haec petra,* pronomen demonstrativum *haec,* non aliam petram designat, quam eam, quae praesens sistitur inciso immediate antecedenti: *Tu es Petrus.* Ergo manifestum est „s. Ecclesiam in apostolorum principis soliditate firmatam esse," ut scribit[1]) s. Gregorius M.

606[a]. Denique **11.** ex tot praerogativis primatus merito infertur aliud romani pontificis privilegium, immunitas scil. plena personalis h. e. jus exemptionis a quavis jurisdictione civilium potestatum. Quod ita probat Palmieri th. 24: **1.** «Vi juris canonici omnis clericus gaudet personali immunitate... Immunitas personalis jure canonico comprehendit quoque et praecipue rom. pontificem... hoc autem jus canonicum rom. ipse pontifex statuit et in eo statuendo non erravit. Atqui statuere non potuit nisi jam jure divino esset per se immunis. Ergo etc.... **2.** Potestas coactiva, quae propria est jurisdictionis, requirit talem vim in alium, ut ab hoc illa nequeat superiore potestate impediri aut ligari. Atqui romanus pontifex potest impedire aut ligare quamlibet potestatem coactivam, quae erga ejus personam exerceatur; igitur persona aucta primatu, eo quod talis, est immunis a jurisdictione cujusque alterius hominis. Major patet; probatur minor. Propter positivam, licet indirectam, subjectionem potestatis civilis potestati primatus, jus habet romanus pontifex tum prohibendi principibus secularibus ea, quae noxia forent Ecclesiae, tum praecipiendi ea, quae necessaria vel maxime utilia sint Ecclesiae: potest enim solvere et ligare quidquid ad bonum Ecclesiae regimen christianaeque reipublicae rectam ordinationem conducat. Atqui utile saltem et maxime utile Ecclesiae est, ut non exerceatur legalis

---

[1]) Ep. l. 6. ep. 37.

vis coactiva in romanum pontificem; etenim negari nequit, esse saltem **a.** maxime indecens, ut vicarius Christi totiusque orbis catholici pater in carcerem auctoritate juris trudatur ceterisque poenis multetur; **b.** id maxime officere existimationi, qua Christi vicarius penes omnes gaudere debet; et idcirco **c.** id vehementer nocere recto ac tranquillo regimini Ecclesiae: quapropter licet naturae jus, supposita institutione primatus, id absolute non vetet primitivo praecepto, at certe secundario praecepto id ut graviter inconveniens esse, persuadet. Ergo jus habet pontifex vi auctoritatis superioris, quae est auctoritas primatus, impediendi quamcunque vim legalem coactivam erga se ipsum, solvendique quamcunque legem contra se ipsum ab alio latam. Ergo potestas suprema principum erga ipsum romanum pontificem nequit esse coactiva h. e. proprie dicta jurisdictio.« Unde etiam infert **3.** jus immunitatis a laica jurisdictione esse primatui essentiale. Concedit tamen **4.** exercitium hujus juris non esse absolute necessarium Ecclesiae, ut ea sit, ut patet ex facto. »Primis enim Ecclesiae seculis non gaudebat exercitio hujus juris romanus pontifex et tamen Ecclesia stabat. Est tamen, prosequitur ipse, aliqua necessitas exercitii ejusdem. Nimirum Ecclesia non tantum jus habet ut sit, sed etiam ut bene sit, ut nempe perfecto modo convenienti suae naturae exsistat et regatur... Jam vero ut Ecclesia bene sit, evidens est, necesse esse, ut omnia ejus jura, inter quae sunt potissimum jura sui capitis, in actum deducantur: non enim frustra ea jura contulit Deus.« Ostendit deinde **5.** praeclare, quod explicatio vitae socialis, pax et tranquillitas Ecclesiae, auctoritas ejus judiciorum et praeceptorum, necnon et reverentia, quae ei ut capiti debetur, exigant ejus immunitatem a quacunque potestate laica et omnimodam independentiam. »Hinc statim ac Ecclesiae pax a Constantino reddita est, romanus pontifex immunitatem actualem nactus est, nec ea violata est aliquando nisi cum detrimento Ecclesiae.« Ulterius progrediens sagaciter probat **6.** bonum Ecclesiae non exigere solam immunitatem ejusdem, sed et quendam principatum, ut scil. ita immunitas et independentia in fidelium bonum verius et actu secundo obtineatur magisque in omnium oculos incurrat. Cf. supra n. 309 annot. schematis vaticani verba. Quapropter etiam Pius IX. damnavit prop. Syllabi 75. 76: »Abrogatio civilis imperii, quo apostolica sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret.«

607. Concludamus Nicolai I. ad Wenilonem archiep. senonensem et ejus coepiscopos verbis [1]), quae omnibus fidelibus, theologis praesertim, dicta sunt: „Vos autem, fratres carissimi, qui sancto utique Spiritu revelante, apostolicae sedis auctoritatem sensu capere et ad splendorem luminis ejus jam incedere laudabiliter inchoastis, cum illa usque in finem sapere, cum illa semper ambulare studete, ab illa deviare nefas judicate, ab ejus discrepare sensu ne ad modicum quidem momentum consentiatis. Quos illa recipit et vos quoque recipite: et quos illa respuit, abigere ipsi sicut ipsa mementote. Non enim illa respuit nisi membra, quae sibi non haerent, nec a se recidit, nisi quos

---

[1]) Mig. 119, 769.

in scandalum multis positos comprehendit. Non, inquam, recidit vel eruit a se nisi membrum, quod sanis membris in offensionem et perniciem noscitur exstitisse.“ Quare „absit mihi, inquit Gerhohus praep. reicherspergensis[1]), contra s. romanam Ecclesiam credere alicui, etiamsi linguis hominum loquatur et angelorum, etiamsi fulgeat virtutibus miraculorum: quoniam qualiscunque meriti sit qui contra fidem Petri sentit, quique successoribus ipsius legitimis in ratione fidei catholicae non consentit, portabit judicium quicunque est ille, etiamsi fuerit de numero electorum.“

---

[1]) In Ps. 25, 4. Mig. 193, 1162 († 1169); cf. Bruno astensis t. 2. Mig. 165, 1089.

18|3|15.

Tractatus IV.

De genesi et regula fidei.

608. Multifariam multisque modis olim Deum esse locutum patribus in prophetis, novissime vero per Jesum Christum (Hebr. 1, 1) ostendimus; hanc porro revelationem s. Scriptura divinisque traditionibus contineri atque per Ecclesiam ad quasque gentes, quae singulis seculis incolunt orbem, derivari hominibusque promulgari et explanari pariter demonstravimus. Quaestio jam oritur haud simplex, quomodo homo rationalis ad revelationem propositam promulgatamque se habeat; quinam sit processus seu genesis actus, quo homo revelationem amplectitur quique *fides* appellatur; quae hujus fidei dotes atque proprietates; quo modo authenticum Ecclesiae magisterium revelationem sibi traditam applicet ad regulandam universam credendi sentiendique rationem fidelium. Quibus quaestionibus satisfaciemus praesenti tractatu, quem in tres sectiones dividemus; quarum prima processum seu genesim actus fidei ex parte ipsius hominis credentis, altera habitum qui inter revelationem et rationem, inter fidem et scientiam intercedit, tertia propositionem doctrinae revelatae ex parte Ecclesiae docentis seu regulam fidei in concreto [1]) considerabit.

Sectio I.

De fidei genesi.

609. *Fidei praestantia.* — Dici nequit quantae praestantiae atque excellentiae sit actus fidei. Sane **1.** fides est fundamentum Ecclesiae illius, quam nec atrocissima inferni rabies vincet unquam; radix arboris

---

[1]) Dicimus in *concreto*: nam regula fidei remota est revelatio divina s. Scritura atque traditione divina contenta, proxima vero Ecclesia seu authenticum Ecclesiae magisterium. Modo de synthesi utriusque agendum i. e. de revelatione proposita promulgataque vel de propositione doctrinae revelatae, quatenus

magnae et fortis, similis illi, quam Nabuchodonosor vidit in somnio, cujus proceritas contingebat coelum, aspectus vero erat usque ad terminos universae terrae, cujus folia pulcherrima et fructus nimius, et in qua universorum esca, subter quam habitabant animalia et bestiae et in cujus ramis conversabantur volucres coeli, et ex qua vescebatur omnis caro [1]). Fides **2.** est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis [2]). Quod enim ratio est in ordine naturali, idem est fides secundum quandam analogiam in ordine supernaturali salutis. Nam **a.** sicut ratione distinguimur a brutis, ita fide (sane viva) secernuntur homines spirituales, filii Dei, ab hominibus animalibus, a filiis hujus seculi; sicut **b.** ratione extollimur supra sensus, ita fide supra rationem; sicut **c.** natura nonnisi rationalis capax est proprie dictae beatitudinis, ita *sine fide impossibile est placere Deo* (Hebr. 11, 6), proindeque consequi beatudinem supernaturalem; et quemadmodum **d.** ratio radix et fundamentum est omnis moralitatis, vitae bonae, quae deceat hominem, et meriti: ita nonnisi praefulgente fide (vel saltem illustratione supernaturali, quae ad gratiam fidei revocari potest) actus eliciuntur salutis Deo in praesenti rerum ordine grati et accepti, eaque radix est bonitatis supernaturalis, vitae quae Dei filios deceat atque meriti. „Fides **3.** inquit s. Thomas [3]), est assimilatio ad cognitionem divinam, in quantum per fidem nobis infusam inhaeremus ipsi primae veritati propter seipsam.“ Imo **4.** fides aurora quaedam est atque anticipatio visionis beatificae; nam *haec est vita aeterna: ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum* [4]), utique modo obscure, aenigmatice, per fidem: sed in altera vita per speciem, revelata facie, facie ad faciem. Quare **5.** fides est novus quidam oculus, novus sensus, nova quaedam διάνοια mens [5]), qua mundus aperitur incognitus, novi panduntur ordines, altiora bona; qua ea, quae oculus (naturalis) non vidit, nec auris audivit, et quae in cor hominis non ascenderunt, patefiunt; qua introducimur in ipsa profunda Dei [6]), participesque reddimur secretorum divinorum, quae Filius uni-

---

ea dirigitur fidelium assensus internus. Quare haec disputatio accuratiorem exhibebit magisterii ecclesiastici atque modi, quo idem exercetur, notionem.

[1]) Dan. 4, 7 ss. [2]) Conc. tridentinum s. 6. c. 8.

[3]) In Boëthium de Trin. q. 3. a. 1. ad 4.

[4]) Joan. 17, 3. [5]) 1. Joan. 5, 20.

[6]) 1. Cor. 2, 9. Hinc s. Bernardus de fide disserens s. 76. in cant. n. 6: „Attingit, inquit, inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit novissima, ipsam denique aeternitatem suo illo sinu vastissimo quodammodo circumcludit. Fidenter dixerim aeternam beatamque Trinitatem, quam non intelligo, credo: et fide teneo, quam non capio mente.“ Quam acute autem hi

genitus in sinu paterno recumbens nobis enarravit (Joan. 1, 18 col. 15, 15).

Fides **6.** tuta est in turbido praesentis vitae mari contra tot errorum dubiorumque molestorum procellas pharus, quae recti itineris semitam salutisque portum ostendit; est stella matutina nobis praelucens, suavi sua luce tot dissipans tenebras atque problemata, quibus involvimur, peremptorie solvens; est luminare majus, cui disciplinae ceterae ancillari debent. Est fides **7.** specialissimum ss. Trinitatis donum atque effectus: ad eam enim inchoandam, fovendam nutriendamque omnis dirigitur Patris revelatio; ad eam docendam promulgandamque non dedignatus est Deus Verbum fieri caro nosterque magister; ad eam animis inserendam omnis tendit Spiritus sancti superna illustratio; ad eam praedicandam conservandamque institutum est infallibile Ecclesiae magisterium. Quantum fidei pretium, ad quam tantus operationis divinae apparatus concurrit? Est fides **8.** nobilissimus rationis humanae gratia illustratae atque roboratae flos, homagium, obsequium, holocaustum; quo fidelis praestantissimam animae facultatem auctoritati divinae subjicit, impendit atque immolat, quo proinde Deus admodum glorificatur: hinc etiam **9.** magna est hominis perfectio ratione luminis, quo hominis mentem illustrat, ratione roboris, quod voluntati impertit, ratione nobilissimi amoris, quem in corde accendit, ratione pacis, quam inducit et diffundit per animam, ratione beatitudinis, cujus quaedam est anticipatio.

Unde liquet **10.** quantus sit fidei thesaurus: nempe tantus, ut pro illo nunquam Deo satis gratias agere possimus; tantus, ut pro

---

oculi videant, praeclare describit Chrysostomus hom. 28. in Gen. n. 3, ubi de iis dicit: „Supernis radiis illustrati omnia, quae in hac vita sunt, quasi umbram et somnium transeunt, non ulli ultra deceptioni obnoxii sunt, nec circumveniri possunt, sed etiamsi opes viderint, statim derident scientes, quam fugitivo quovis infideliores ab uno ad alium transeant;« n. 4: „Vidistis, dilecti, quam acute videant oculi fidei, si quando in Deum meus intenta fuerit? Vidistis, quomodo a nulla re visibili decipi possint, sed habeant rectum rerum judicium, neque in ullo fallantur?« etc.; cf. n. 6. Belle quoque Balduinus cantuar. tr. 1. de ss. euch. sacr. (Mig. 204, 403) occasione verborum Is. 45, 15: *Vere Deus absconditus tu es, rex Israel Salvator,* scribit: „Absconditus fuit Christus ab initio in sinu Patris; absconditus fuit post idem in forma servi, quam assumpsit; absconditus est et nunc in sacramento, quod ipse instituit. Absconditum in sinu Patris fides invenit; absconditum in homine fides nihilominus invenit, invenit et ipsa fides in sacramento absconditum. Magna virtus fidei magnam habet familiaritatis gratiam apud Deum. Ubi ubi invenerit, accessum habet ad eum et quodam domestico familiaritatis ausu ipsa penetralia ipsumque cubiculum irrumpit« etc. S. Thomas expos. in symb. apostolorum n. 1. opusc. VI. et infra n. 656.

illo conservando innumeri martyres crudelissima tormenta sint passi ipsumque suum fuderint sanguinem; tantus, ut pro illo in alios derivando milleni viri apostolici nulli pepercerint incommodo vel labori; est armatura invicta [1]), qua instructae tot virgines et puellae, tot senes et infantes vicerunt atque calcarunt mundum omnesque ejus insidias, fraudes, tyrannidem; nam *haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra* (1. Joan. 5, 4); est (si tamen non desint opera) syngraphus aeternitatis, nam *accedentem ad Deum oportet credere* (Hebr. 11, 6). Quare fides **11.** a qua christiani fideles dicuntur, undique supernaturalis est. Supernaturalis est **a.** ratione suae originis ex gratia; **b.** ratione objecti, mysteria enim attingit superrationalia; **c.** ratione motivi, quod est ipsa veritas increata, quae sua auctoritate movet ad assentiendum; **d.** ratione firmitatis, qua inhaeret suo motivo quaeque excedit imbecillitatem humanam; **e.** ratione fontis, quae est positiva Dei revelatio superans exigentiam humanam, qua mediante Deus familiariter cum hominibus conversatur; **f.** ratione primi magistri, qui est ipsa Sapientia caro facta; **g.** ratione normae, quae est infallibile Ecclesiae magisterium; **h.** ratione effectuum hac in vita et **i.** ratione termini seu visionis beatificae, quam aspirat. Ex iisdem fere capitibus virtus censeri debet theologica seu divina.

609ª. *Quaestio de genesi fidei difficilis.* — Cum ergo tanta sit fidei praestantia, digna profecto est, in cujus naturam, proprietates atque genesim diligentius inquiratur. Plurimi enim circa illam errarunt, sive quod illam irrationalem censuerint, sive quod confuderint cum opinione, sive quod illam rationi nimis subjecerint subtraxerintque gratiae atque generatim ejus notionem perverterint. Ad rem autem advertit Hugo a s. Victore[2]): „Quomodo de iis, quae credenda sunt fide, bene sentire possumus, si de ipsa fide male sentimus?“ Non infitiamur tamen quaestionem de fidei genesi esse admodum difficilem. Si enim **1.** generatim problema de origine idearum et cognitionum in philosophia nemine refragante est difficillimum atque fere insolubile: mirum esse non debet, si speciatim quaestio de fidei genesi sit obscura; eoque magis **2.** quod actus fidei, saltem is, de quo disserunt theologi, sit simul supernaturalis, atque proinde ad illius genesim concurrat elementum supernaturale, quod experientiam fugit, neque subjacet per se seu formaliter conscientiae testimonio, et gratiae operandi ratio secreta sit atque abscondita. „Valde remota est, inquit Augustinus[3]), a sensibus haec schola, in qua Pater auditur et docet, ut veniatur ad Filium; ibi est et ipse Filius, quia ipse est Verbum ejus, per quod sic docet, neque agit hoc

---

[1]) Fidei virtutem et efficaciam praeclare exponit auctor (Storchenau) libelli plane pretiosi der Glaube der Christen wie er sein soll, Augustae Vindel. 1792 § 16; Zwerger, der Glaube als göttl. Tugend c. 2. sect. 2; Weiss Apologie t. IV. diss. 23.

[2]) De sacr. l. 1. p. 10. c. 6. [3]) De praed. ss. c. 8.

cum carnis aure, sed cordis.« Ad haec **3.** fidei et incredulitatis genesis quam plurimum pendet a voluntatis influxu. Si autem unquam verum est, sane hoc in negotio *inscrutabile* est *cor hominis* (Jer. 17, 9); ab hujus enim bona vel mala dispositione fere pendet, ut rationes etiam lucidissimae suadeant ita, ut persuadeant vel persuadendi robur amittant. Non tamen diffitemur theologos quosdam suis theoriis non satis fundatis et nimis artificiosis quaestionem reddidisse magis obscuram et intricatam, quam ea revera sit.

610. *Fides actualis est actus intellectus.* — Multiplex quidem est notio voci fidei subjecta, eaque subinde significat praeter alia fidelitatem in servandis promissis, fiduciam, conscientiam, objectum ipsum creditum, quamlibet mentis assensionem vel persuasionem plus minusve firmam evidentibus rationibus non innixam[1]) etc.: nos tamen in praesentia de ea fide loquimur, qua credimus ea, quae a Deo per Christum nobis revelata sunt et a qua credentes fideles et christiani denominantur. De hac fide in primis tenendum est, eam proprie et formaliter consistere in actu intellectus, licet non negemus, eam vel supponere actus etiam voluntatis, qui ipsam partim praevertant, partim comitentur, vel inducere ad actus voluntatis, qui eam sponte sua consequuntur. Assertio nostra colligitur **1.** sive ex definitione fidei in genere, cujus fides divina est species, quaeque apte definitur a concilio coloniensi[2]) „assensus, quo iis, quae ab altero edicuntur, adhaeremus, non ob rei prolatae internam veritatem perspectam, sed ob loquentis auctoritatem seu peritiam veracitatemque certo nobis cognitam;“ sive ex definitione fidei christianae, quae dicitur a conc. vaticano[3]) „virtus supernaturalis, qua Dei aspirante et adjuvante gratia ab eo revelata vera esse credimus non propter intrinsecam rerum veritatem naturali lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest.“ Idem patet **2.** ex s. Scripturae effatis. Ita enim scribit Paulus[4]): *Fide intelligimus aptata esse secula* etc., et Petrus: *Et nos credidimus,* inquit[5]), *et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei;* et Job profitetur[6]): *Scio* (sane ex fide) *quod Redemptor meus vivit* etc. Patet **3.** ex universis Ecclesiae symbolis, quae sunt velut fidei expressio. Atqui in symbolis proponuntur veritates, mysteria etc., objectum proprium intellectus. Patet **4.** ex divinis

---

[1]) Cf. Gregorius de Valentia t. 3. comment. in s. Thomam disp. 1. q. 1. p. 1. Innumeras notiones praeposteras recenset Denzinger Vier Bücher von der religiösen Erkenntniss 2, 426 ss.; potiores Kleutgen Theol. der Vorzeit t. ultimi n. 100 ss.; Wieser Zeitschr. für kath. Theol. 6, 1 ss.

[2]) A. 1860 tit. 1. cap. 5. [3]) Sess. 3. cap. 3.

[4]) Hebr. 11, 3. [5]) Joan. 6, 70.

[6]) Job 19, 25 col. Joan. 11, 24.

literis universaque traditione, quarum manifesta est doctrina, fidei objectum esse veritates, mysteria; motivum ipsius esse auctoritatem Dei revelantis, non vero veritatis evidentiam; cognitionem, scientiam, firmam persuasionem esse ejus fructum, eique succedere visionem etc., quae omnia et singula supponunt fidem contineri assensu intellectus. Cum patribus **5.** conspirat schola, ut patet ex fidei definitionibus, quae in illa traduntur; ex ejusdem theoremate certo, fidem referendam esse inter virtutes intellectuales; ex tot quaestionibus circa fidem agitatis, ut ex. gr. utrum de eodem objecto fides et scientia haberi possit etc. Denique **6.** aliis omissis patet ex natura haeresis, quae opponitur fidei et quae, quamvis oriatur ex prava voluntatis dispositione, formaliter continetur errore atque dissensu ab Ecclesiae doctrina.

611. Cum ergo fides assensu mentis contineatur, in quolibet vero mentis assensu duo distingui possint, objectum scilicet materiale et objectum formale[1]), etiam in actu fidei duplex hoc objectum secernere oportet. Nomine objecti materialis generatim illud intelligitur, quod potentia respicit, attingit, circa quod actio versatur; objectum vero formale est causa seu ratio, propter quam facultas objectum attingit, quae praesente objecto materiali ipsam ad operandum movet (unde etiam motivum dicitur). Quod exemplo Lugo illustrat[2]): „Si amas medicinam propter sanitatem, medicina est objectum materiale, sanitas objectum formale: quia velut informat et vestit medicinam, quae secundum se non moveret voluntatem; vestita tamen a bonitate sanitatis allicit ad amorem.“ Quare inquirentibus in naturam fidei divinae de duplici hoc objecto disserendum est.

612. *Motivum formale fidei.* — Cum autem motivum formale assensus mentis veritati alicui exhibiti triplex esse possit, scilicet vel **a.** evidentia illi veritati insita et immediata, vel **b.** evidentia mediata ac derivata, vel **c.** auctoritas loquentis: tenendum est, motivum formale assensus fidei non esse evidentiam veritatis sive immediatam sive mediatam, sed revelantis Dei auctoritatem[3]). Haec est evidens

---

[1]) „Cujuslibet cognoscitivi habitus objectum duo habet, scil. id quod materialiter cognoscitur, quod est sicut materiale objectum, et id per quod cognoscitur, quod est formalis ratio objecti: sicut in scientia geometriae materialiter scita sunt conclusiones, formalis vero ratio sciendi sunt media demonstrationis, per quae conclusiones cognoscuntur. Sic igitur in fide, si consideremus formalem rationem objecti, nihil aliud est quam veritas prima. Non enim fides, de qua loquimur, assentit alicui, nisi quod est a Deo revelatum.“ S. Thomas 2. 2. q. 1. a. 1.

[2]) De fide disp. 1. s. 1.

[3]) Motivum proinde formale fidei neque est Dei dominium, ut censet Guilelmus paris., neque auctoritas Dei, quatenus est ejus dignitas et majestas fidem praecipiens, neque Dei entitas, neque sola Dei sapientia falli nescia quamque nihil latet, neque sola Dei veracitas, quae mentiri nequit; sed Dei auctoritas, quae utramque includit perfectionem seu in utraque fundatur; neque

doctrina catholica, ut patet ex fidei definitione a conc. vaticano proposita (supra n. 610) et ex ejusdem can. 2. (infra n. 614). Suadetur autem **1.** analogia cum fide humana, quae non innititur assertae veritatis evidentia, sed auctoritate et veracitate comperta loquentis. Probatur vero **2.** ex divinis literis sive cum fidem dicunt [1]) *argumentum* ἔλεγχον, persuasionem, convictionem veritatum *non apparentium,* quae proinde non innitatur evidentia; *beati qui non viderunt et crediderunt*[2]); sive cum significant, fidem habere idem esse ac *credere Deo* [3]), eamque inniti testimonio Dei [4]), vel esse quandam *captivitatem,* qua omnis intellectus redigatur in obsequium Christi [5]); esse *obedientiam* [6]), ideoque eam non esse sapientium in se confidentium, sed parvulorum et humilium.

613. Idem clarissime docent **3.** patres, sive cum docent duce Augustino[7]): »Quid est fides, nisi credere, quod non vides?« et Gregorio M.: »Quae apparent, jam fidem non habent, sed cognitionem[8]);« sive cum praeeunte

---

auctoritas quomodocunque motivum est formale, sed quatenus adjunctam habet locutionem seu revelationem (cf. annot. ad n. 628). Subtiliores theologorum quaestiones de formali fidei motivo cf. apud Ripalda de fide disp. 2; theol. wirceburg. tract. de virtutibus theologicis n. 137 ss.; Mazzella de virt. infusis disp. 2. a. 3. 4.

[1]) S. Paulus Hebr. 11, 1. ita de fide scribit: *Est autem fides sperandarum substantia* (ὑπόστασις) *rerum, argumentum non apparentium;* de quo textu praeclare disserit s. Thomas lect. 1. in h. l.; et de verit. q. 14. a. 2., ubi scribit: »Videtur dicendum, quod haec fidei notificatio sit completissima ejus definitio, non ita quod sit secundum debitam formam definitionis tradita, sed quia in ea sufficienter tanguntur omnia, quae exiguntur ad fidei definitionem.« Quaeritur quo sensu fides dicatur *substantia rerum sperandarum.* Secundum Thomam 2. 2. q. 4. a. 1. ideo, »quia prima inchoatio rerum sperandarum in nobis est per assensum fidei, quae virtute continet omnes res sperandas. In hoc enim speramus beatificari, quod videbimus aperta visione veritatem, cui per fidem adhaeremus.« Unde ab eo definitur fides »habitus mentis, quo inchoatur vita aeterna in nobis, faciens intellectum assentire non apparentibus. Per hoc autem fides ab omnibus aliis distinguitur, quae ad intellectum pertinent. Per hoc enim quod dicitur *argumentum,* distinguitur fides ab opinione, suspicione et dubitatione, per quam non est adhaesio intellectus firma ad aliquid. Per hoc autem quod dicitur *non apparentium,* distinguitur fides a scientia et intellectu, per quae fit aliquid apparens. Per hoc autem quod dicitur *substantia sperandarum rerum,* distinguitur virtus fidei a fide communiter sumpta, quae non ordinatur ad beatitudinem speratam. Omnes autem aliae definitiones, quaecunque de fide dantur, explicationes sunt hujus, quam Apostolus ponit.« Secundum alios vero fides substantia dicitur, quia est basis seu fundamentum spei, vel quia fides tribuit rebus sperandis subsistentiam in nobis. Cf. Hugo a s. Victore summae sent. tr. 1. c. 1.

[2]) Joan. 20, 29. [3]) Rom. 4, 3 ss.; 1. Thes. 2, 13.

[4]) 1. Joan. 5, 9 s. [5]) 2. Cor. 10, 5.

[6]) Rom. 10, 16. [7]) Tr. 40 in Joan. n. 9. [8]) Hom. 26 in Ev. n. 8.

Ambrosio protestantur[1]): „Ego rationem a Christo non exigo; si ratione convincor, fidem abnuo;“ nam ut advertit[2]) scriptor antiquus: „Considera, quod vocaris fidelis, non rationalis. Denique accepto hoc baptismo dicimus, fidelis factus sum, credo quod nescio;“ sive cum approbant Augustini dictum[3]): „Haec est enim laus fidei, si quod creditur, non videtur: nam quid magnum est, si creditur quod videtur?“ vel illud alterum[4]): „Fidem non fecerunt oculi, sed fides oculos facit;“ sive cum refellunt gnosticos, anomoeos et manichaeos, qui auctoritatem fidemque contemnentes omnibus mysteriorum γνῶσιν et manifestam rationem pollicebantur. Quare Augustinus advertit[5]): „Si Christo etiam credendum negant (manichaei), nisi indubitata ratio reddita fuerit, christiani non sunt. Nam id adversus nos pagani quidam dicunt, stulte quidem, sed non sibi adversi, nec repugnantes.“ Accedit **4.** auctoritas scholae praeeunte s. Thoma[6]), imo **5.** consensus universi nominis christiani, qui colligitur ex omnibus catechismis[7]).

614. **Scholion I.** *Falsae notiones fidei.* — Fatendum quidem est fidei nomen saepe sive secundum quandam analogiam sive per abusum aliis tribui mentis assensibus, a qua loquendi licentia maxime in theologia est abstinendum, ne circa fidei theologicae naturam turpiter errremus, atque alios in errores prolabamur, ut haud paucis in Germania theologis nostro seculo contigit. Proinde distingui debet fides **1.** a fiducia protestantium, quae est potius actus voluntatis, quem errorem fusius refutabimus disserentes de justificatione; **2.** ab opinione[8]), quacum convenit quidem in defectu evidentiae et libertate, sed differt certitudine et fundamento seu motivo; **3.** a religioso vel morali animi sensu (religiöses Bewusstsein, Gefühl der unbedingten Abhängigkeit), vel interiori sensibili experientia, seu pietistarum fide, quae ad coecum quendam instinctum revocatur, qui caret motivo rationali atque innititur sensu quodam vago, opinione subjectiva, imaginatione; vel **4.** ab approbatione idearum religiosarum seu moralium propter exigentiam practicam, ut homo servet suam propriam dignitatem, quae est fides kantiana; **5.** a scientia, quacum quidem fides convenit, quatenus est assensus firmus et rationalis, sed differt motivo; quare plane rejicienda est doctrina sive Hermesii, secundum quem omnis firma persuasio

---

[1]) De exc. fratris l. 2. n. 89.

[2]) Serm. 232 in app. serm. Aug. n. 2. [3]) Tr. 79 in Jo. n. 1.

[4]) Serm. 75 n. 3. in bibl. nova PP. ed. Mai t. 1.

[5]) De util. cred. n. 32. Integer hic libellus (opusc. t. VI) huc spectat. Doctrinam patrum cf. apud Denzinger 2, 471 ss.; 485 ss.; 514 ss.; fuse hac de re disputat Kleutgen n. 110 ss., praesertim in Beilagen zu den Werken über Theol. und Philosophie II. § 2. 4. 5; Heinrich t. 1. § 55 ss.

[6]) 2. 2. q. 1. a. 1. [7]) Cf. conc. trid. sess. 6. cap. 6, 8.

[8]) Cf. s. Thomas l. 2. q. 67. a. 3; s. Bernardus de consid. V, 3. opusc. XLVII.

rationibus cogentibus theoreticis vel practicis inducta fides est dicenda, sive rationalistarum, quibus duce Wegscheider fides religiosa est persuasio rationis de rebus divinis; **6.** a cognitione mediata causae ex effectu, substantiae ex phaenomenis, quo sensu secundum Güntherum cognitio Dei ex creaturis est etiam fides: nam licet effectus et phaenomena dici possint testimonia (realia), quibus innixi ad cognitionem sive causae sive substantiae pertingimus, tamen non ejusmodi testimonio innititur fides, a qua fideles dicimur. Illa enim fides nihil aliud est quam scientia a posteriori, a qua plane distinguitur fides christiana. Quocirca concilium vaticanum sess. 3. de fide can. 2. statuit: „Si quis dixerit, fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri, ut veritas revelata propter auctoritatem Dei revelantis credatur, A. S.“ **7.** Ab assensu immediato, quo assentimus primis rationis principiis, quem patres graeci subinde fidem dicunt, cum docent fidem priorem esse scientia. Est siquidem aliqua analogia inter hunc assensum et assensum fidei, cum uterque innitatur auctoritati alicui ac velut loquelae: hic quidem loquelae Dei revelantis, ille vero loquelae evidentiae se ipsam manifestantis; uterque est immediatus citra demonstrationem, firmissimus, indubius et in suo ordine principium subsequentis cognitionis; sed differunt, quod assensus fidei non sit evidens, ille vero lucidissimus sit et evidens [1]).

615. **Scholion II.** *De eodem objecto fides et scientia haberi potest.* — Licet fidei assensus non innitatur veritatis evidentiae sive immediatae, sive mediatae, nil tamen impedit, quominus propter auctoritatem Dei revelantis credatur objectum, quod aliunde nobis est evidens; seu fieri potest, ut de eodem objecto, si non eodem actu eodemque instanti, distinctis certe actibus fidem et scientiam habeamus [2]). Quam communiorem sententiam hisce cum de Lugo (de fide d. 2. s. 2. n. 67) limitibus circumscribimus: „Aliquae sunt cognitiones evidentes, cum quibus videtur repugnare assensus fidei; ita Vasquez [3]), Suarez [4]) et alii recentiores. Hanc conclusionem probat mihi sola experientia, quam negare non possum; dum enim actu video solem, quantumvis mihi aliquis dicat diem esse, et quantumvis coner assentiri propter testimonium dicentis, non possum, sed solum judico diem esse, quia id video. Ratio autem a priori hujus repugnantiae licet plures afferantur,

---

[1]) Cf. in primis s. Thomas de verit. q. 14. a. 1., qui accurate assensum fidei ab aliis mentis actibus distinguit, quidque ei sit proprium determinat.

[2]) Auctores pro sententia affirmante et negante cf. apud Denzinger 2. 518 s. Pro sententia negante citari solent in primis s. Thomas, dein Hugo a s. Victore, qui de sacr. l. 1. p. 3. c. 20. statuit: „Quae sunt ex ratione, omnino nota sunt, et credi non possunt, quoniam sciuntur;“ Capreolus, Canus, Bannez, Cajetanus, Scotus, Fonseca, Molina etc.

[3]) In 3. p. d. 53. n. 5; d. 62. n. 63. [4]) Disp. 3. s. 9. n. 19.

nulla videtur conficere.« Expensis vero diversis theologorum rationibus iisque rejectis, »ea regula, inquit n. 86, potest in universum statui, ut tunc solum moveri possit intellectus a medio ad assensum conclusionis, cujus objectum aliunde immediate vel intuitive cognoscit, quando cognitio immediata non aufert omnino indigentiam, cui indigentiae aliquo modo saltem ex parte occurri possit per assensum genitum ex illo medio. Si enim haec cognitio per medium non deservit ad tollendam vel minuendam indigentiam illam, nec tunc poterit intellectus a medio moveri. Hinc est quod communiter loquendo circa ea, quae clare intuemur, non moveamur a testimonio alterius hominis ad ea credenda, nisi quando minus fidimus nostrae experientiae et quando magis confirmamur ex aliorum consensu.« Quam regulam videtur etiam s. Bonaventura innuere scribens[1]: »Ratio autem quare talis scientia simul potest esse de eodem cum ipsa fide, et quod una cognitio alteram non expellit, est, quia scientia manuductione ratiocinationis, licet aliquam certitudinem faciat et evidentiam circa divina, illa tamen certitudo et evidentia non est omnino clara, quamdiu sumus in via... Unde illuminatio et certitudo talis scientiae non est tanta, quod habita illa superfluat illuminatio fidei, imo valde est cum illa pernecessaria.« Neque obstant sententiae communiori, quae affirmat posse haberi simul fidem et scientiam de eodem objecto, verba Pauli dicentis fidem esse *argumentum non apparentium;* hisce enim Paulus tantum significat fidei objectum (materiale) ex majori potiorique parte esse non apparens, et objectum formale non esse evidentiam, seu fidem quantum est ex se esse inevidentem, non reddere evidens objectum credendum.

616. **Thesis LXXX.** ***Ut homo credere possit, praeter cognitionem auctoritatis divinae necesse est, ut certo sibi constet, Deum esse locutum. Deum autem locutum esse constat ex motivis, ut ajunt, credibilitatis, quae ratio humana certo cognoscere potest.***

Demonstratio p. I. Cum ex dictis in actu fidei assentiamus veritati propositae propter auctoritatem Dei revelantis, patet ad hoc, ut prudenter credamus, requiri **1.** ut cognoscamus Dei exsistentiam atque in testando auctoritatem parem ad determinandum assensum; **2.** factum revelationis; **3.** officium credendi; **4.** revelationis objectum. Quaeritur ergo, qua via haec nobis innotescant. Dilato interim puncto ultimo ad sectionem seq., ad tria priora hac in sectione respondebimus. Praetermissis subtilioribus quaestionibus variisque theologorum de iisdem opinionibus ea tantum breviter indicabimus, quae nobis videntur tenenda. Censent Viva, Antoine, Kilber, Schäzler aliique cum Suarez[2]) auctoritatem Dei, prout movet ad credenda revelata, debere

---

[1]) In 3. dist. 24. a. 2. q. 3.

[2]) D. 3. s. 6. Lugo plus minus sequuntur Hurtado, Amicus, Ripalda, Pallavicini, Mastrius et nostra aetate praesertim qui instar multorum est Franzelin. Cf. de his praeterea Heinrich § 34 ss.; Scheeben kath. Dogmatik t. 1. § 38 ss.; in primis Kleutgen Theol. der Vorzeit t. 4. disp. 3. s. et Beilagen etc. III. § 2.

cognosci et credi propter ipsam revelationem: „dicendo enim (Deus) aliquid, eo ipso dicit se esse veracem in eo, quod affirmat . . . ipsum autem formale objectum non in aliud resolvitur, sed per se ipsum creditur: quia potest de se ipso testificari et ita in seipso reflectitur et tali modo de se testificatur, ut faciat evidenter credibilia non solum alia quae dicit, sed etiam ea, quae de seipso testificatur.“ Qua in re fatetur ipse Suarez magnum esse fidei mysterium. Verum haec opinio, de qua de Lugo affirmat d. 3. s. 3. n. 59, eam semper sibi fuisse inintelligibilem, nullatenus nobis arridet, cum in ea **1.** nescio quis circulus vitiosus videatur committi. Vel enim praesupponitur, cum Deus aliquid revelat, ejus veracitas et auctoritas, vel non praesupponitur. Si praesupponitur aliunde nota, jam non innititur assensus in Dei veracitatem, a qua formaliter pendet fides, ipsa revelatione; si non praesupponitur, ergo assensus in Dei veracitatem, qui est omnis fidei fundamentum, fundari debebit in ipsa Dei revelatione; sed quomodo potest fundari in ipsa Dei revelatione, cum haec eatenus assensui fundamentum praebere possit, quatenus habetur seu censetur verax et auctoritate praedita? Fac enim **2.** de hac dote oriri dubium, quis prudenter credere poterit? eodemque jure **3.** dicere liceret quemlibet ita reflexe testari se esse veracem ideoque ipsi esse credendum. Seu quo jure Deus loquens exigere potest, ut sibi firmissime credatur, non vero creatura rationalis loquens, nisi mens humana videat et cognoscat aliud esse Deum loqui, aliud creaturam fallibilem. Quod si per revelationem immediate innotescit Dei veracitas, sicut ex loquela manifestatur loquentis exsistentia vel rationalitas: tunc assensus non innititur proprie auctoritati loquentis, revelationi formaliter qua tali propter loquentis veracitatem, sed assensus est evidens nititurque objectivae evidentiae veracitatis perspectae. Quare prima saltem cognitio Dei exsistentis et in loquendo summe veracis praeambula est ipsi actui fidei, nec formaliter fundatur in ipsa Dei revelatione. Et sane **4.** ratione (utique gratia adjuta) credere tenemur. Quomodo vero ratio ejusmodi assensum elicere potest, nisi videat omnia adesse, quae sufficiunt ad talem assensum, in primis motivum sufficiens ad gignendum ἔλεγχον οὐ βλεπομένων, ut rationabile sit obsequium ejus. Haec etiam **5.** nobis videtur ratio, quare veracitas Dei in ipsa revelatione non adeo inculcetur, quod ea fidei praesupponatur, non ex revelatione primum cognosci debeat, ut credere possimus. Reliquum ergo est ut innotescat ratione.

617. **Demonstratio p. II.** Omnis fidei actus ita enunciari potest: Credo hoc, quia Deus summa veritas id revelavit; ergo omnis actus fidei praesupponere debet cognitionem divinae revelationis, neque enim actu absoluto

credere possum alicui loquenti, nisi mihi constet, eum esse locutum. Jam vero volenti credere debet certo innotescere revelationis factum. Quare Innocentius XI. damnavit prop. 21: „Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis: imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.“ Et Pius IX. solemniter docet[1]): „Humana quidem ratio, ne in tanti momenti negotio decipiatur et erret, divinae revelationis factum diligenter inquirat oportet, ut certo sibi constet, Deum esse locutum, ac eidem, quemadmodum sapientissime docet Apostolus, rationabile obsequium exhibeat[2]).“ Quibus concilium coloniense subjicit[3]): „Fidei firmitas, etsi non his quidem argumentis (quae pro revelationis christianae credibilitate innuerat), conditione tamen praevia, sed ipsa Dei auctoritate primum cognita, dein etiam credita nititur: tamen requirit, ut qui credit, ratione certo cognoscat Deum esse locutum nulloque dubio prudenti hac de re pulsetur.“

618. Et revera certam cognitionem facti revelationis requiri, patet ex ipsa rei natura. Nam actus fidei actus esse debet plane certus, firmus, omne excludens dubium: prudenter autem excludi nequit dubium omne, quotiescunque fidei suppositum, cujusmodi est revelationis factum, dubio prudenti est obnoxium. Ergo revelationis factum credenti debet esse indubium. „Non enim crederet (fidelis), inquit s. Thomas 2. 2. q. 1. a. 4. ad 2, nisi videret ea esse credenda vel propter evidentiam signorum vel propter aliquid ejusmodi.“ Sane si sufficeret ad credendum probabilis tantum revelationis notitia, innumerae propositiones theologicae, etiam sibi contrariae, dummodo probabiliter ex revelatione probentur, accedente sola Ecclesiae propositione, possent esse dogmata catholica, et absque illa a theologis saltem fide divina credi[4]); ex quo lata aperiretur via levitati in credendo, cum probabilitatis notio sit satis laxa et elastica: unde etiam monet Joannes: *Carissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint, quoniam multi pseudoprophetae exierunt in mundum* (1. ep. 4, 1).

619. **Demonstratio p. III.** Factum revelationis innotescere debet motivis credibilitatis, ut diximus jam n. 22 ss. Hoc tenendum est **a.** contra quosdam pseudomysticos, qui revelationem tuentur internam; **b.** contra supernaturalistas protestantes, qui provocant

---

[1]) In lit. encycl. 9. Nov. 1846.

[2]) Rom. 13, 1. [3]) Tit. 1. cap. 5.

[4]) Huc referri potest quod statuit concilium tridentinum sess. 6. cap. 9, nullum scil. scire posse „certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.“ Atqui non solum utcunque, verum etiam magna cum probabilitate quis scire potest, se Dei gratiam esse consecutum. Quare si sola probabilitas sufficeret ad fundandam fidem supernaturalem, de qua loquimur, posset quis stante illa probabilitate credere, se esse in Dei gratia, quod adversatur concilio tridentino. Cf. Lugo de fide disp. 5. s. 1.

ad internum sensum et experientiam; **c.** contra quosdam theologos catholicos, qui fingunt specialem quandam Dei operationem in animam credentis, et **d.** contra rationalistas, qui exigunt rationes internas, quae reddant revelationem credibilem [1]). Ratio asserti est perspicua; nam cum revelatio singulis non fiat (quo in casu etiam opus esset criteriis) illiusque testes non simus, neque illa per se sit evidens; nisi credibilis fieri i. e. fide digna demonstrari posset, impossibilis esset fides rationalis; nisi vero idoneis argumentis et motivis credibilis fieri deberet, omni fraudi et deceptioni lata aperiretur via, nullique prudenti fidei locus relinqueretur. Quocirca Christus toties provocat ad miracula, ex quorum cognitione supponit judaeos pervenire posse ad agnitionem divinae missionis. *Opera enim quae dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me* (Jo. 5, 36); *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre* [2]). Apologetae religionis christianae omnem adhibent diligentiam, ut revelationis christianae factum probent, persuasi nonnisi hac probatione praemissa postulari posse fidem. Rationem autem posse cognoscere credibilitatis motiva, quibus probatur revelationis factum, doctrina est catholica, ut patet ex prop. Bautainio ad subscribendum propositis 2. 3. 4. 5. et 6., quae ita habet: „Ratio cum certitudine authenticitatem revelationis judaeis per Moysen et christianis per J. Christum factae probare valet.“ Hoc docet Pius IX., cujus verba supra dedimus n. 139. annot., ac demum definivit conc. vaticanum [3]): „Si quis dixerit ... miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem rite probari, A. S.“ Probatur assertio tota religionis christianae apologia. Ratione enim ibidem probavimus et requiri aliqua criteria, et indicavimus quaenam illa sint; et iis, quae constituimus, rationis lumine, non ipsa revelatione innixi, ostendimus demonstrari certo (n. 132) revelationem christianam divinae esse originis.

620. Sedulo tamen advertatur, motiva credibilitatis, licet iis homines moveantur, inducantur, disponantur ad fidem [4]), et licet illis revelationis

---

[1]) Cf. de his erroribus Kleutgen d. 4. c. 1.

[2]) Jo. 10, 37; cf. v. 25; 3, 2; 14, 11 s.; 20, 30 s.; Matth. 11, 4 etc.

[3]) Sess. 3. can. 4. de fide; cf. etiam c. 3.

[4]) Haec enim motiva seu argumenta probant revelationis factum, seu Deum revera hanc vel illam revelasse doctrinam; qua cognitione posita sponte sua seu naturali conscientiae dictamine monetur homo de obligatione credendi Deo revelanti, quae est juris naturae; et ideo si bonae sit voluntatis, assensum prae-

factum certum reddatur, nunquam ea constituere ipsum motivum formale fidei christianae et theologicae. Quod tenendum est contra scholam hermesianam, secundum quam fideles credunt veritates revelatas propter credibilitatis motiva, quae illarum revelationem divinam demonstrant. Verum **1.** haec opinio adversatur universali sentiendi rationi nominis christiani, quod pro motivo formali fidei christianae ipsam habet summam auctoritatem Dei revelantis; nam ideo credimus, quia Deus, qui est ipsa veritas, hoc vel illud revelavit. Ad haec **2.** motivum formale fidei theologicae pro omnibus fidelibus unum est atque idem: motiva vero credibilitatis, quibus iidem inducti credunt, alia atque alia sunt pro diversis; motivum formale refertur ad ipsas veritates credendas: motiva credibilitatis referuntur per se et immediate ad factum revelationis, non vero ad ipsas veritates credendas[1]; motivum formale fidei gignere debet certitudinem, quae sit super omnia: motiva autem credibilitatis pariunt tantum certitudinem moralem.

621. **Corollarium.** *Ratio ne nimis deprimatur.* — Quare theologi illi, qui, ut revelationis necessitatem extollant, rationem deprimunt omnemque cognitionis rationalis originem vel certitudinem ex revelatione repetunt, ut traditionalistae etc., revelationi potius nocent quam prosunt, imo eam subvertunt. Sicut enim gratia universim naturam praesupponit, cui inseritur, ut eam perficiat: ita speciatim fides praesupponit rationem, „credere enim non possemus, inquit Augustinus[2], nisi animas rationales haberemus.“ Neque fides praesupponit solum rationis facultatem, verum etiam rationis usum. „Sic fides praesupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam et ut perfectio perfectibile[3].“ Quocirca Bautain atque etiam Bonetty debuerunt subscribere prop. 5: „Rationis usus fidem praecedit et ad eam hominem ope revelationis et gratiae conducit;“ et concilium coloniense l. c. statuit: „Tam consona rationi est fides, ut illa ad hanc inducat viamque sternat. Non enim credimus, nisi ratione perspicientes, Deo esse credendum eumque esse locutum.“ Quapropter jam Clemens alex. philosophiam Strom. I, 5. dicit „προπαιδείαν iis, qui fidem ex demonstratione percipiunt,“ atque iterum scribit: „Praeparat philosophia ei viam muniens, qui a Christo perficitur.“

---

bebit propter Dei auctoritatem. En qua ratione haec motiva moveant, disponant, praeparent, inducant ad fidem. Quod ita expressit Pius IX. in encyclica d. 9. Nov. 1846: „Itaque humana ratio ex splendidissimis hisce aeque ac firmissimis argumentis clare aperteque cognoscens, Deum ejusdem fidei auctorem exsistere, ulterius progredi nequit, sed quavis difficultate ac dubitatione penitus abjecta atque remota, omne eidem fidei obsequium praebeat oportet, cum pro certo habeat, a Deo traditum esse, quidquid fides ipsa hominibus credendum et agendum proponit.“

[1]) Neque enim credimus ex. gr. Deum esse unum et trinum, unionem in Christo hypostaticam, realem corporis Christi in eucharistia praesentiam propter miracula, sed quia Deus haec revelavit. Et sane eadem fieri potuissent miracula, etiamsi unio in Christo esset moralis tantum, etiamsi eucharistia esset tantum symbolum vacuum corporis Christi; sed tunc non eadem fuisset revelatio, neque eadem (objective) fides.

[2]) Ep. 120. n. 3.

[3]) S. Thomas 1. q. 2. a. 2. ad 1; a. 8. ad 2. et passim.

622. **Scholion I.** Gravis tamen quaestio oritur, *cujusmodi certitudo de revelationis facto requiratur ac sufficiat,* ut prudenter credere possimus et ad credendum obligemur. Qua de re haec prae oculis habeantur: **1.** Licet collectio omnium motivorum credibilitatis summam quandam gignat certitudinem (cf. n. 139), haec tamen necessaria non est, ut patet ex facto: rarissimi enim sunt fideles, qui dum credere velint, omnem hanc motivorum summam prae oculis habeant vel etiam mente complecti possint, contenti enim solent esse uno alterove. Multo minus **2.** requiritur revelationis evidentia. „Nimium tribueretur, inquit concilium coloniense[1]), rationi, si ad demonstrandam revelationem ejusmodi requirerentur argumenta, quae non solum omne dubium prudens excluderent, sed quae sua evidentia omnem homini potestatem dubium quodcunque quamvis imprudens concipiendi adimerent. Majorem enim libertatem, quam quae argumentis ejusmodi evidentia sua nos urgentibus reliqua esset, Deus, qui insignis meriti occasionem homini praebere volebat, teste experientia, cum fide conjunxit. Si argumentis certis quidem, non tamen semper tanta, de qua dictum est, evidentia fulgentibus, in negotiis etiam gravissimis vitae communis duci solemus, neque ut alteri fidem habeamus, evidentiam illam semper exigimus, cur, ut revelationi prudenter assentiamur, alia exigeremus argumenta?“ etc. Imo sententia communis et verior, ut eam vocat de Lugo[2]), docet, actum fidei proprie dictae (scil. liberae et meritoriae, prouti ea esse debet in praesenti vita) consistere non posse cum evidenti revelatione divina (n. 138): unde inferunt theologi, fidem daemonis[3]), cui divina revelatio est evidens, non esse fidem proprie dictam[4]). Quare **3.** sufficit certitudo moralis excludens omne prudens dubium, ut revelatio fiat evidenter credibilis (n. 140).

623. Haec autem **4.** certitudo moralis non est uniusmodi pro omnibus, sed, ut ajunt theologi, respectiva esse debet i. e. consentanea et proportione respondens captui illius, qui fidem vult amplecti. Igitur eo majorem esse oportet, quo hic est doctior et ad perspiciendas difficultates, quae opponi solent vel possunt, perspicacior; eo vero pauciora credibilitatis requiruntur motiva, quo minus est instructus, qui fide est imbuendus, quo minus difficultatibus in contrarium perspiciendis est idoneus, quo minus dubii pru-

---

[1]) Tit. 1. cap. 6. [2]) Disp. 2. s. 1. [3]) Jac. 2, 19.

[4]) Ita s. Thomas de verit. q. 14. a. 9. ad 4: „Daemones non voluntate assentiunt his, quae credere dicuntur, sed coacti evidentia signorum, ex quibus convincitur, verum esse, quod fideles credunt; quamvis illa signa non faciunt apparere id, quod creditur, ut per hoc possint dici visionem eorum, quae creduntur, habere. Unde et credere aequivoce dicitur de hominibus fidelibus et daemonibus: nec est in eis fides ex aliquo lumine gratiae infuso (hoc est aliud discrimen inter fidem daemonum et fidem christianorum), sicut est in fidelibus.“

dentis capax vel ei obnoxius[1]). Quapropter de Lugo ad objectionem, quomodo rusticus credens parocho fidem proponenti, ejusmodi certitudinem ad credendum sufficientem habeat, respondet: „Rusticum illum vel puerum non judicare absolute et in universum, quod motiva sibi proposita obligent quemlibet ad credendum firmiter, sed solum quod obligent ipsum, et hoc quidem verum et evidens est; cum enim non occurrant ei rationes, quae homini docto occurrerent ad prudenter formidandum, non potest ipse prudenter formidare, et pro ejus captu motiva illa fortissima sunt, quae debilia essent in ordine ad alios[2]).«

624. *De puerorum fide.* — Quod autem nominatim **5.** pueros attinet, haec advertantur: **a.** etiam parvulorum esse fidem, *talium est enim regnum coelorum* (Matth. 19, 14); quare **b.** cum Deus impossibilia non praecipiat, his quoque revelationem ita posse fieri credibilem, ut pro tenuitate ingenioli sui tuto possint credere. Multo vero pauciora **c.** ad hoc requiri in puero quam in adulto α. propter minus excultum ingenium dubiique non adeo capax; β. proptor innatam animi humilitatem et credendi propensionem; γ. quia parvuli anima tabula est rasa nondum spinis praejudiciorum errorumque nebulis obsita; δ. quia pauciora eaque minus explicite credere tenetur. Hinc **d.** quoties in Ecclesia vera revelatio eo modo, qui parvulorum capacitati respondeat, proponitur, pueri animam propter quandam habitus fidei

---

[1]) Abundat autem revelatio christiana tot credibilitatis motivis, ut nulla sit hominum etiam doctorum conditio, quae non possit ejusmodi moralem et respectivam de illius veritate consequi certitudinem. „Argumenta illa, docet concilium coloniense tit. 1. cap. 5, quibus Deum locutum esse evincitur, quaeque motiva credibilitatis dicuntur, cum sint tam multa, tam varia, alia semper pro alia hominum conditione, aetate, indole mentisque cultura praesto sunt, ipseque puer, dum a parentibus fidem docetur, aliqua, quae ei quidem sufficiunt, haurit.« „Quin etiam, addit concilium vaticanum sess. 3. cap. 3. de fide, Ecclesia per se ipsa ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile. Quo fit, ut ipsa veluti signum levatum in nationes, et ad se invitet qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem, quam profitemur.« Ad rem autem advertitur in annot. 19. ad schema constit. dogmaticae de doctrina cath. patrum conc. vatic. examini propositum: „Sicut namque in veritatibus quibusdam naturalibus disponente providentia Dei naturali totum genus humanum citra demonstrationem scientificam habet plenam certitudinem, quae inquisitione philosophica potest quidem in suis fundamentis amplius et distinctius explicari, sed nullis rationibus apparentibus labefactari: ita divina bonitas et sapientia in ordine providentiae supernaturalis disposuit Ecclesiam catholicam iis insignem characteribus, ut in ea citra scientificas inquisitiones, quibus longe maxima pars hominum idonea non est, etiam rudes habeant facile cognoscibile compendium motivorum credibilitatis ad plenam certitudinem, quae poterunt per disciplinas apologeticas distinctiori et ampliori explicatione confirmari, sed non potest rationibus oppositis induci prudens dubium ad illam certitudinem labefactandam.«

[2]) Disp. 5. n. 36; cf. Franzelin in append. ad tr. de div. trad. c. 1. § 2.

in baptismo infusi sympathiam cum revelatione exterius proposita sua sponte suavique ratione ad credendum induci. Idem **e.** dicatur de pueris inter haereticos natis, respectu quorum parentes licet haeretici instrumentum sunt Ecclesiae ad gignendam fidem actualem, sicut in baptismo ad eos regenerandos. Quod si **f.** parentes proponant errores suae sectae proprios, ea missione non fruuntur, neque gratia ipsorum institutionem in filiorum animis juvabit: imo illegitime (quamvis forte bona fide) hanc sibi usurpant auctoritatem, sicut cum parentes catholici filios suos ad malum inducunt. Ceterum **g.** filii haereticorum haeresi imbuti, si sint bonae voluntatis et gratiae morem gerant, postquam adoleverint, vel errorem agnoscent vel manebunt in bona fide, quae eos ab haeresis crimine excusat atque a Deo permitti potest, tum quia non tenetur patrare miracula ad praecavendos errores aliorumque seductionem, tum ideo ne Ecclesia ejusque ministri socordes reddantur in procuranda errantium salute[1]).

625. *Gratiae in genesi fidei momentum.* — Memores **6.** semper esse debemus, multum conferre supernam gratiam, ut vel minima credibilitatis motiva respectivam gignant certitudinem, sive illustrando intellectum, ut is illa ea apprehendat ratione, ut suadeant et persuadeant; sive bene disponendo voluntatem, ut prompte obaudiat voci veritatis eamque corde generoso amplectatur. Quam ob rem ita prosequitur concilium vaticanum l. c.: »Cui quidem testimonio (Ecclesiae) efficax subsidium accedit ex superna virtute. Etenim benignissimus Dominus et errantes gratia sua excitat atque adjuvat, ut ad agnitionem veritatis venire possint: et eos, quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, in hoc eodem lumine, ut perseverent, gratia sua confirmat, non deserens nisi deseratur.« De qua gratiae illustratione praeclare disserunt patres; ita Augustinus[2]): »Visorum suasionibus agit Deus, ut velimus et ut credamus sive extrinsecus per evangelicas exhortationes . . . sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem; sed consentire vel dissentire propriae voluntatis est.« Et de se scribit[3]): »Egisti mecum miris et occultis modis, tu illud egisti Deus meus, nam a Domino gressus hominis dirigentur.« Gratiam ergo sequendo eique cooperando homines trahuntur a Patre luminum ad fidem; gratiam vero negligendo eique resistendo deficient a fide, ut ait Apostolus: *Bonam conscientiam . . . quidam repellentes circa fidem naufragaverunt*[4]).

---

[1]) Cf. de hac quaestione difficili Gerdil Introduzione allo studio della religione pag. 137 ss.; Pompignan, Controverse pacifique entre M. Lefranc de Pompignan et un savant de Genéve sur l'autorité d'Eglise en général, in theol. cursu completo ed. Migne 6, 1096 ss.; Perrone praelect. t. 8. de bapt. c. 4. prop. 2; theol. wirceb. t. 4. de virt. theolog. n. 172 ss.; infra n. 635.

[2]) De spir. et lit. c. 34. n. 60. [3]) Confess. l. 5. c. 7.

[4]) 1. Tim. 1, 19. Praeclare auctor op. de vocatione omnium gentium l. 2. c. 26: »Gratia quidem Dei illa in omni justificatione principaliter praeeminet, suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium corque ipsum illuminando et fidei affectionibus imbuendo; sed etiam voluntas hominis subjungitur ei atque conjungitur, quae ad hoc praedictis est excitata praesidiis, ut divino in se coopere-

626. *Discrimen inter fidem et virtutes morales.* — Verum **7.** excipi posset, sufficere ad alias virtutes laudabiliter, prudenter atque meritorie exercendas persaepe solam probabilitatem circa objectum, quod illae praesupponunt. Ita laudabiliter exercetur misericordia, etiamsi probabilis tantum sit indigentia pauperis; laudabiliter et prudenter obeditur, etiamsi praecipiendi jus superioris sit tantum probabile etc., quare ergo prudenter atque meritorie credi nequit, si probabilis tantum est revelatio? Cui difficultati ut respondeamus, advertimus, magnum esse discrimen inter fidem et virtutes morales, ideoque ad has plerumque sufficere probabilitatem, ad illam requiri certitudinem. Sane **a.** fides propter firmitatem sui motivi ex sese est immutabilis, ideoque quod semel credidimus, non licet unquam negare (nisi constet de revelationis falsitate): virtutes vero morales non obligant semper ad eundem semper actum exercendum: ita misericordiae virtus non obligat, ut eidem pauperi semper detur eleemosyna, neque ita obligat, ut nunquam liceat eam ipsi denegare. **b.** Virtus fidei adnexas habet gravissimas obligationes, quae totam pervadunt hominis vitam; quapropter merito homo exigere potest, ut certo ei innotescat revelatio: virtutes vero morales, quae stante sola probabilitate prudenter exerceri possunt vel etiam debent, ejusmodi obligationes adnexas non habent; quodsi grave quoddam onus adjunctum haberent, merito postulari poterit certitudo. Quamvis **c.** merere possimus assentiendo bona fide etiam errori propter bonam devotamque animi voluntatem, tamen bonitas fidei qua talis, cum contineatur mentis assensu, pendet essentialiter a veritate objecti: neque is ulla voluntatis bonitate bonus reddi potest, si objectum sit falsum, quia tunc est erroneus; quare ut prudenter laudabiliterque firmum elicere possimus actum fidei, certos nos esse oportet de objecti veritate: de hac autem certi tantum esse possumus, si certa sit revelatio: contra virtutis moralis bonitas non pendet a veritate theoretica judicii circa actus objectum, sed a conformitate cum regula morum, quae saepe dictat, stante etiam sola probabilitate laudabiliter exerceri posse virtutem[1]). Verum **d.** praecipua differentia in eo est sita, quod actus fidei

---

tur operi, et incipiat exercere ad meritum, quod de superno semine concepit ad studium; de sua habens mutabilitate si deficit, de gratiae opitulatione si proficit. Quae opitulatio per innumeros modos sive occultos sive manifestos omnibus adhibetur: et quod a multis refutatur, ipsorum est nequitiae; quod autem a multis suscipitur, et gratiae est divinae et voluntatis humanae.« Quocirca s. Thomas 2. 2. q. 2. a. 9. ad 3. statuit: »Ille qui credit, habet sufficiens inductivum ad credendum: inducitur enim auctoritate divinae doctrinae miraculis confirmatae, et quod plus est, interiori instinctu Dei invitantis.« Quae praeclare confirmantur et illustrantur biographiis illorum, qui suae ad veram fidem conversionis historiam literis consignarunt. Ceterum de hoc gratiae influxu uberius disseremus in tractatu de gratia et infra thesi LXXXIII.

[1]) Ita bonitas eleemosynae non pendet a veritate judicii de alterius indigentia, nam etiamsi hoc sit erroneum, eleemosyna laudabilis esse potest; sed pendet a conformitate cum regula morum, quae dictat, bonum esse dare eleemosynam pauperi. Quoniam vero raro haberi potest certitudo de alterius paupertate, ne haec virtus fere nunquam possit exerceri, prudens judicium sufficiens ad meritum et virtutem habetur, quoties majori minorive probabilitate judicetur ille pauper qui eleemosynam petit.

firmissimus esse debet atque talis, qui omne dubium deliberatum plane excludat; atqui hoc fieri prudenter nequit, si ejus fundamentum, scil. factum revelationis, sit tantum probabile i. e. ejusmodi de quo deliberate dubitare liceat. Contra virtutes morales non exigunt, ut quodvis occurrens dubium deliberatum excludatur; ita e. g. filius perfectam exhibere potest obedientiam non obstante dubio, utrum is, qui ei praecipit, sit vere ipsius pater nec ne; et vir misericors, dum distribuit eleemosynas, dubitare permittitur de petentis paupertate etc.[1]).

627. **Scholion I.** *Quomodo exsistentia et auctoritas Dei credi possit.* — Auctoritas Dei revelantis (infinita Dei sapientia et veracitas), quatenus tamquam objectum formale actui fidei praesupponitur, cognoscenda est cognitione quidem supernaturali, ex viribus supernaturalibus profecta, sed quae citra testantis auctoritatis motivum ex ratione intestina hauriatur; hoc vero affirmantes non negamus, auctoritatem Dei ipso revelationis deposito quoque contineri et sub hac ratione tamquam fidei objectum materiale propter auctoritatem Dei revelantis formali actu fidei esse credendam[2]). Quae quomodo componi possint, ut melius perspiciatur, observandum est **1.** circa objectum idem materiale versari posse ejusdem subjecti actus ex objecto formali diversos ideoque hac ex parte nil obstare, quominus Dei auctoritas ab eodem homine et immediate ex rationibus internis cognoscatur et mediate ex testimonio credatur. Neque **2.** timendus est progressus in infinitum; ultro enim concedimus et etiam contendimus, ipsum formalem actum fidei, quo Dei revelantis credatur auctoritas, tamquam fundamento suo inniti ea auctoritatis ejusdem cognitione, quae ultimatim saltem non petatur ex motivo auctoritatis Dei testificantis, quaeque proinde non sit fides formalis, sed sit auctoritatis Dei insitis ex rationibus immediata intellectio; itaque creditur auctoritas Dei revelantis propter auctoritatem Dei non creditam, sed intrinsecus cognoscibilem et praecognitam; unde in hoc actu fidei, quo creditur Dei auctoritas, involvitur assensus supernaturalis duplex, saltem virtualiter distinctus, in eandem veritatem, quae est infinita Dei auctoritas: alter quidem ipsi formali actui fidei prioritate naturae praesuppositus, quo adhaeretur auctoritati Dei, quatenus est principium fidei per se ipsum apprehensum; alter est ipse formalis actus fidei, quo in eandem auctoritatem assentimur sub alia ratione, quatenus scil. est veritas revelata ideoque credenda propter auctoritatem aliunde, i. e. immediate, cognitam Dei revelantis.

Neque **3.** objiciatur, otiosum videri illum assensum fidei, qui elici non possit nisi praelucente cognitione eaque supernaturali ejusdem veritatis, quae credenda proponatur: quandoquidem inutilis profecto non est censendus ille actus, quo creatura rationalis absolutae erga Deum revelantem submissionis officio satisfacit. Similiter atque Dei auctoritas etiam factum revelationis divinae sub una ratione, quatenus alterum est fidei principium, cognoscitur supernaturaliter quidem, sed ex rationibus internis,

---

[1]) Cf. Viva, trutina in propos. damnatas, in prop. 21. ab Innocentio XI. damnatam; Lugo, disp. 1. n. 318 ss.

[2]) De sapientia divina cf. v. gr. Ps. 146, 5; 2. Cor. 2, 10. 11; Hebr. 5, 13; de veracitate divina Jo. 8, 26; Hebr. 6, 18 etc.

factis scil. supernaturalibus simul cum verbis unam Dei locutionem componentibus (n. 627 s.); sub alia vero ratione, quatenus actu saltem exercito revelationis factum veritas est revelata, formali fidei assensu propter revelantis Dei auctoritatem creditur. Nec minus ex his liquet, quomodo ipsa Dei exsistentia, quamvis in facto objectivo revelationis divinis characteribus ornatae jam intellecta, proindeque in assensu fidem naturae prioritate praecedente implicite jam affirmata, nihilominus etiam actu fidei formalis propter revelantis Dei auctoritatem explicite credi posset adeoque et debeat; est enim Dei exsistentia etiam una eaque princeps ex veritatibus a Deo revelatis; revelata est exercite in qualibet revelatione; revelata est insuper explicite, ut constat vel ex illo Apostoli ad Hebr. 11, 6: *Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est,* ὅτι ἐστί. Itaque exigitur ab Apostolo fides in ipsam Dei exsistentiam non minus quam in id, quod per particulam *et* subjicitur; *et* (quia) *inquirentibus se remunerator sit.* Atqui ex una parte, testante concilio trid. sess. 6. cap. 6, hoc loco de ea fide agitur, quae est radix et fundamentum justificationis; ait enim concilium: „De hac dispositione (ad ipsam justitiam) scriptum est: *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit;* ex altera autem parte fides disponens ad justificationem non est fides late dicta, sed fides, cujus motivum sit auctoritas Dei revelantis; hinc est proscripta ab Innocentio XI. haec propositio (23): „Fides late dicta, ex testimonio creaturarum similive motivo, ad justificationem sufficit.“ Ergo fides praestanda in Dei exsistentiam est formalis propter auctoritatem Dei revelantis. Unde est etiam primus fidei articulus: ‚Credo in Deum‘, quibus verbis fideles fidem suam in Dei exsistentiam intendunt profiteri[1].“

628. **Thesis LXXXI.** ***Cognita jam revelationis exsistentia, innotescit quoque homini officium, quo obstringitur revelationi sibi factae assentiendi seu credendi et quidem assensu tali, qui sit super omnia et quodvis dubium deliberatum excludat.***

Demonstratio p. I. Cognita revelationis exsistentia homini sponte sua seu rationis lumine innotescere officium, quo obstringitur revelationi sibi divinitus factae credendi, videtur per se evidens. Si enim **I.** jure naturae filii tenentur parentibus credere, quanto magis creatura Creatori, cui perfectam debet obedientiam, etiam intellectus, si eam Deus exigit; *si* enim *testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est* (1. Jo. 5, 9). Atqui Deus intellectus obedientiam per fidem exigit ipsa revelatione. Ideo concilium vaticanum sess. 3. cap. 3. docet: „Cum homo a Deo tamquam Creatore et Domino suo totus dependeat et ratio creata increatae Veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur.“ Et sane **2.** si homini prudenti et gravi nolle credere jam magna persaepe est injuria, quanto magis Deo loquenti detrectare

---

[1]) Cf. Franzelin l. c. et de Deo uno thes. 9.

fidem. Praeclare s. Ambrosius[1]: „Si Deo, inquit, non credimus, cui credimus? . . . An asserentis persona discutitur? Si viri boni dicerent, nefas putaremus non credere.“ Et ad rem docet concilium coloniense tit. 1. c. 4: „Profecto si Deus ad homines loquitur, eo loquitur consilio, ut sibi fides habeatur. Nec potest is, qui fidem detrectat, non inferre injuriam aut Dei scientiae aut veracitati, dum eum erroris aut fraudis non expertem innuit, aut Dei sapientiae, dum eum absque consilio agere vel loqui opinatur, aut supremo ejus dominio, cui se non vult submittere etc.“ Hinc Pius IX. pronunciat: „Quis enim ignorat vel ignorare potest, omnem Deo loquenti fidem esse habendam nihilque rationi magis esse consentaneum, quam iis acquiescere firmiterque adhaerere, quae a Deo, qui nec falli nec fallere potest, revelata esse constiterit[2]?“ Praeterea **3.** evidens est rationis lumini, Dei esse praescribere conditiones, citra quas salus aeterna, praesertim si ea omnem naturae superet exigentiam, nequeat obtineri: ideoque eas esse servandas a creatura rationali, si velit esse beata. Atqui evidenter in revelatione proposita, de cujus veritate dubitari nequit, est expressum, *sine fide impossibile est placere Deo*[3]*; qui non crediderit, condemnabitur*[4]. Ergo posita revelatione solo rationis lumine agnoscere potest homo, se sub aeternae salutis periculo ad credendum teneri.

629. **Demonstratio p. II.** Deo autem revelanti non quomodocunque esse credendum, sed assensu excludente omne dubium deliberatum, imo super omnia, probatur inde **1.** quod assensus firmitas in ratione esse debeat ponderis et gravitatis motivi. Atqui motivum fidei scil. auctoritas Dei, qui est ipsa veritas, omnium motivorum est gravissimum. Merito igitur Pius IX. l. supra c. docet: „omnem Deo loquenti fidem esse habendam.“ Ideo etiam Paulus exigere potuit, ut etiamsi angelus de coelo aliter doceret, non audiatur, sed anathematizetur[5]. Ad haec **2.** ea fides isque assensus Deo revelanti est exhibendus, quem Deus pro supremo suo primatu in ordine intellectuali et qua summa veritas jure exigit. Atqui Deus sicut summum bonum exigit amorem ex toto corde, qui sit super omnia: ita ut summa ve-

---

[1]) In Luc. l. 4. n. 71: „Si tibi vir gravis et laudabilis aliquid polliceretur, haberes utique pollicenti fidem, nec te falli aut decipi ab eo crederes, quem stare in sermonibus atque in actibus suis scires. Nunc Deus tecum loquitur, et tu mente incredula perfidus fluctuas? . . . Hoc est Deum omnino non nosse« etc. Cyprianus, de mortalitate n. 6. Cf. Mazzella de virt. infusis disp. 4. a. 8, qui errores circa credendi obligationem paucis refellit.

[2]) In lit. encycl. 9. Nov. 1846; cf. etiam supra adnot. ad n. 626.

[3]) Hebr. 11, 6. [4]) Marc. 16, 16.

[5]) Gal. 1, 8 s.; cf. 1. Thess. 2, 13; 1. Joan. 5, 9 s.

ritas postulat fidem pariter ex toto corde, seu ex tota mente, qui propterea excludat omne dubium deliberatum. *Dixit autem Philippus* (eunucho): *Si credis ex toto corde, licet* (baptizari) Act. 8, 37. *In repromissione etiam Dei non haesitavit diffidentia* (Abraham), *sed confortatus est fide, dans gloriam Deo: plenissime sciens, quia quaecunque promisit, potens est facere. Ideo et reputatum est illi ad justitiam.* Rom. 4, 20—22.

630. Quod etiam **3.** inculcant patres. Ita Clemens alex.: »Non exspectamus testimonium hominum, sed voce Domini probamus quod quaeritur, quae est magis fide digna, quam quaevis demonstratio, vel potius, quae est sola demonstratio, per quam scientiam, qui solum gustaverunt Scripturas, sunt fideles[1].« Quare acute advertit[2]: »Fidem autem imitatur opinio sicut adulator amicum et lupus canem.« S. Basilius[3]: »Quid est proprium fidei? Certa et indubitata persuasio veritatis verborum divinorum, quae nulla neque ex naturali necessitate inducta, nec pietatis nomine efficta ratiocinatione concutiatur.« Chrysostomus[4]: »Atque rursus si de iis, quae non cadunt sub aspectum, non apertius fuerit cuipiam persuasum, quam de iis quae videntur, non potest esse fides.« Et iterum[5]: »Ne igitur attendamus quaestionibus: ideo enim fideles vocamur, ut sine ulla dubitatione dictis credamus et nihil dubitemus. Si enim illa humana essent, oporteret illa accurate scrutari; si vero Dei sunt, illa honorare tantum oportet et credere; si non credamus, neque Deum esse persuasum nobis erit. Quomodo enim nosti Deum esse, si rationes ab illo repetas? Hoc primum indicium est te nosse Deum, si credas iis, quae ille dicit sine argumentis et probationibus;« Cassianus de incarn. l. 4. c. 6: »Rationem dicti quaeris? non reddo. Interim Deus hoc dixit: Deus hoc locutus est mihi. Verum illius summa ratio est. Removeo argumenta, removeo disputationes; sola mihi ad credulitatem sufficit persona dicentis. Non licet mihi de fide dicti ambigere, non licet deliberare. Quid mihi quaerere quomodo verum sit, quod Deus dixerit, cum dubitare non debeam, quin verum sit quod Deus dixerit?« S. Bernardus adversus errores Abaelardi[6]: »Tu mihi subsibilas: fides est aestimatio? Tu mihi ambiguum garris, quo nihil est certius?« Quapropter Hugo a s. Victore infert[7]: »Ubi adhuc dubitatio est, fides non est.«

631. **Thesis LXXXII.** ***Fidei assensus seu actus non est fructus demonstrationis necessarius, sed liber manet et nonnisi ex voluntatis imperio pioque credulitatis affectu elicitur.***

Declaratio. Ex hactenus dictis patet, rationem in triplici ordine, ontologico scil., theologico et ethico praevertere fidem. Quo non obstante fides christiana est libera neque fructus necessarius demonstrationis, qua apologetae revelationem christianam evidenter credibilem credendamque demonstrant, ut conc. vaticanum sess. 3. can. 5. de

---

[1]) Strom. l. 7. c. 15. [2]) Ib. l. 2. c. 4. [3]) Moral. c. 22.
[4]) In Hebr. 11. h. 21. [5]) Hom. 1. in 1. ep. ad Tim. n. 3.
[6]) Ep. 190. c. 4. n. 9. [7]) De sacr. l. 1. p. 10. c. 2.

fide definivit: „Si quis dixerit assensum fidei christianae non esse liberum, sed argumentis humanae rationis necessario produci . . . A. S.“ Cum autem contra Hermes tuemur fidem esse liberam, id non affirmamus de ea in actu tantum primo seu eo sensu, quo etiam aliquis assensus demonstrationem necessario alioquin consequens liber dici potest, quatenus scil. non tenemur attendere ad demonstrationem, quae ad illum mentem determinat: sed omnino tenendum est, fidei assensum esse liberum etiam in actu secundo posita omni ad demonstrationem attentione et ea quidem libertate, qua etiam reliqui virtutum actus sunt liberi. Quod ita praeclare exponit s. Thomas [1]): „In scientia duo possunt considerari, scilicet ipse assensus scientis in rem scitam et consideratio rei scitae. Assensus autem scientiae non subjicitur libero arbitrio, quia sciens cogitur ad assentiendum per efficaciam demonstrationis, et ideo assensus scientiae non est meritorius. Sed consideratio actualis rei scitae subjacet libero arbitrio; est enim in potestate hominis considerare et non considerare. Et ideo consideratio scientiae potest esse meritoria, si referatur ad finem caritatis, id est ad honorem Dei vel utilitatem proximi. Sed in fide utrumque subjacet libero arbitrio, et ideo quantum ad utrumque actus fidei potest esse meritorius.“

632. **Demonstratio.** Sane **1.** fides sicut et actus aliarum virtutum in divinis literis praecipitur, laudatur, praemio donatur, incredulitas vero prohibetur, damnatur, punitur [2]). Atqui praeceptum, poena, praemium etc. supponunt libertatem. Neque alia **2.** est patrum universaeque scholae doctrina. Speciminis gratia sint haec Irenaei [3]): „Non tantum in operibus, sed etiam in fide, liberum et suae potestatis arbitrium hominis servavit Dominus dicens: *Secundum fidem tuam fiat tibi* [4]);“ Augustinus [5]): „Intrare quisquis in Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere potest sacramentum nolens, credere non potest nisi volens;“ „quia, ut rationem reddens inquit

---

[1]) In 2. 2. q. 2. a. q. ad 2; cf. Kleutgen n. 126 ss.; Denzinger 2, 599 ss. Ab Innocentio VIII. damnata est ut erronea et haeresim sapiens propositio (18) ex l. Joan. Pic. Mirandulani nongentarum conclusionum: „Dico probabiliter et nisi esset communis modus dicendi theologorum in oppositum firmiter assererem, assero tamen hoc dictum in se esse probabile et est quod sicut nullus opinatur, aliquid ita esse, praecise quia vult sic opinari, ita nullus credit aliquid ita esse verum praecise quia vult credere, id esse verum. Corollarium: Non est in potestate libera hominis credere, articulum fidei esse verum, quando placet, et credere eum esse falsum, quando sibi placet.“

[2]) Cf. Rom. 4, 3. 20 ss.; 10, 9 ss.; Jo. 3, 15 ss.; 16, 27; Marc. 16, 16.

[3]) L. 4. c. 62. [4]) Matth. 9, 29. [5]) Tr. 26. in Joan. n. 2.

concilium tolet. IV. cap. 55, sicut homo propria arbitrii voluntate serpenti obediens perit, sic propriae mentis conversione quisque credendo salvetur." Ceterum **3.** fidei libertatem testatur vel propria experientia. Ejus vero **4.** ratio est, quod intellectus ad assensum rapiatur et determinetur sola veritatis evidentia. Atqui demonstratio christiana non reddit veritates revelatas evidentes[1]), neque evidentia (proprie et presse dicta) interna, neque externa (cf. n. 137 s.), licet eadem reddat revelationem evidenter credibilem (cf. n. 140). Quare poterit quidem mens determinari demonstratione ad judicium, has veritates esse prudenter credibiles, esse credendas[2]), ideoque voluntatem posse et etiam debere imperare intellectui assensum: non vero ad ipsum determinatur assensum, a quo retardatur et inevidentia revelationis et obscuritate mysterii et difficultate ipsius actus fidei (n. 637): unde requiritur voluntatis imperium et energia, ut mens his non obstantibus firmum exhibeat revelationi assensum.

633. **Scholion.** *Dubium positivum de vera fide non est permissum.* — Ad rem docet concilium coloniense tit. 1. cap. 6.: „Longissime vero aberrant qui hanc homini vindicant libertatem, ut fidem divinam abjiciat aut suspendat scrutaturus interim argumenta, quibus inductus sit ad credendum. Etenim credendi obligatio perpetua est, nec ullo unquam tempore ei se homo subducere debet; perpetuo etiam gratia sua nos Deus, ut credamus, movet et adjuvat, cui unquam resistere nefas est. Argumenta demum, quibus ad credendum homo inductus est, hujusmodi sunt, ut quo magis perpenduntur, eo clariora et graviora appareant, unde consequitur, causam, cur homo, quasi illa non sufficiant, fidem suspendat, exsistere nunquam posse. Itaque sententiam, quae dubium positivum basim statuit omnis

---

[1]) De Lugo disp. 2. sect. 1. docet, **1.** eam tantum revelationis evidentiam conciliari non posse cum fidei libertate, quae est summa; ad hanc vero **2.** non sufficere miracula, quae coram fiant, cum semper dubium saltem imprudens oriri possit, utrum ea revera sint miracula, utrum facta sint in confirmationem doctrinae propositae etc.; propterea forte **3.** ne apostolos quidem, neque b. Mariam V., evidentiam habuisse revelationis. Illi vero theologi, qui videntur concedere fidem consistere posse cum evidenti revelationis cognitione, verbis forte tantum a nobis dissentiunt, quatenus in hac hypothesi non loquuntur de fide libera, meritoria, christiana, sed in genere de fide; quo nomine intelligunt assensum quemlibet veritati in se obscurae, quamvis propter evidentem testificationem authenticam extrinsecus evidenti, exhibitum (ut ex. gr. assensus in exsistentiam Americae), ideoque etiam assensum necessarium: quem alii theologi, saltem in hac hypothesi, ad scientiam potius revocant.

[2]) S. Thomas 2. 2. q. 5. a. 2: „Intellectus convincitur ad hoc quod judicet esse credendum his, quae dicuntur, licet non convincatur per evidentiam rei; sicut si aliquis propheta praenunciaret in sermone Domini aliquid futurum et adhiberet signum, mortuum suscitando, ex hoc signo convinceretur intellectus videntis, ut cognosceret manifesto hoc dici a Deo, qui non mentitur.

theologicae inquisitionis, jam proscriptam[1]) denuo proscribimus.« Quare concilium vatic. statuit[2]) canonem (6): „Si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici justam causam habere possint, fidem, quam sub Ecclesiae magisterio jam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint, A. S.« Quibus damnatur Hermesii theoria, quae commendat catholicis aeque ac heterodoxis suspensionem fidei et positivum dubium, donec demonstrationem secundum normas scientiae humanae ipsi absolverint.

634. *Dispar conditio catholici et haeretici orto dubio.* — Qua occasione merito quaeritur, quo jure statuamus, aliam esse conditionem catholici, aliam haeretici urgente dubio vel tentatione contra fidem, illique non licere suspendere assensum fidei, huic vero permitti dubium, inquisitionem, imo eum etiam obligari ad fidei mutationem. Rationem hujus inaequalis conditionis innuit supra conc. coloniense et innititur hisce principiis: **1.** Fieri nequit, ut revelatio in hominum utilitatem divinitus concessa et ad salutem necessaria, quo magis et sincerius investigetur, eo obscurior et incertior reddatur; contra ut saluti noxius error, quo magis et sinceriori diligentia inquiratur, eo probabilior, certior, credibilior apprehendatur. Supponimus **2.** jam demonstratum, religionem catholicam esse divinitus revelatam, ideoque veram, omnemque propterea doctrinam ab eo dissonam esse falsam. Fieri ergo **3.** nequit, ut religio catholica, cujus revelationis semel respectivam certitudinem adepti sumus (n. 622 ss.), quo magis sinceriusque investigatur, eo improbabilior, incertior, magisque dubia agnoscatur, ut merito pruderterque abjiciatur assensus in eam elicitus. Quare **4.** si in animo catholici oriuntur dubia circa suae religionis veritatem (quod fieri posse non negamus), non statim licet assensum semel susceptum in re tam gravi repudiare: sicut propter tentationes obortas non licet virtutem oppositam deserere, neque conjugi propter dubium de sinceritate consensus alterius partis in matrimonium, hoc abrumpere et ad alias convolare nuptias; sed consensu retento licebit ei fundamenta religionis catholicae investigare, dubiorum solutionem quaerere: securus enim esse potest, quo sincerius quaerit, impensius lumen a Deo petit, quo magis bonam voluntatem in hac inquisitione prae se fert, eo certiorem et credibiliorem ei reddi fidem catholicam atque in ea magis semper confirmari. Contra **5.** haeretico, qui oborto gravi dubio incipit inquirere bona voluntate et sincero studio inveniendi veritatem revelatam, quo sincerius inquiret in fundamenta suae sectae, eo clarius gradatim discet ejus falsitatem, adeo ut tandem clare perspiciat se versari in errore, ideoque non solum se posse, sed et teneri pristinae renunciare

---

[1]) Brevi Gregorii XVI. 26. Sept. 1835; cf. Kleutgen d. 6. c. 3. § 2.

[2]) Sess. 3. de fid. atque iterum cap. 3. docet: „Quocirca minime par est conditio eorum, qui per coeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis falsam religionem sectantur; illi enim, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt justam causam mutandi aut in dubium fidem eandem revocandi.« Quocirca damdata fuit ab Innocentio XI. prop. 20: „Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat, supernaturalem,« in quam cf. Viva.

persuasioni et alibi quaerere veritatem. Quod si **6.** non obstante diligenti inquisitione assiduaque oratione sectae suae falsitas non illuceret, certe coram Deo excusabitur manens bona fide in errore[1]).

635. **Thesis LXXXIII.** ***Ut autem homo credere possit ut oportet, fide scil. salutari atque christiana, quae initium sit et radix justificationis, necesse est, ut gratia illustrationis inspirationisque praeveniatur atque juvetur.***

Demonstratio. Thesis catholicum complectitur dogma saepe ab Ecclesia sancitum, iterumque recentissime a concilio vaticano quod docet[2]): „Licet autem fidei assensus nequaquam sit motus animi coecus, nemo tamen evangelicae praedicationi assentire potest, sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati[3]). Quare fides ipsa in se, etiamsi per caritatem non operetur, donum Dei est, et actus ejus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo obedientiam, gratiae ejus, cui resistere posset, consentiendo et cooperando[4]).“ Et can. 5: „Si quis dixerit . . . ad solam fidem vivam, quae per caritatem operatur, gratiam Dei necessariam esse, A. S.“ Probatur generatim thesis ex dogmate catholico de gratiae ad omnes actus salutares necessitate, tum speciatim ex dogmate contra semipelagianos statuto, de gratiae vel ad primum fidei initium necessitate, de quo utroque tamen data opera et longe opportunius in tractatu de gratia disputabimus.

636. *Radices necessitatis gratiae ad credendum.* — Quare hic gratiae necessitate ad fidei actum supposita potius in hujus necessitatis inquiremus fundamenta. Requiritur ergo **1.** gratia, quae dissipet intellectus tenebras, errores, praejudicia, ut is facile revelationem divinam agnoscat, certitudinemque illam assequatur, citra quam prudenter credere nequit; quod ita significat Chrysostomus[5]): „Quare autem non dixit (Paulus): Habentes eandem fidem, sed *habentes autem eundem spiritum fidei*[6])? . . . ostendens opus esse suppeditatione spiritus ad conscendendum ad altitudinem fidei et vilipendendam rationum (scil. in contrarium) imbecillitatem.“ Requiritur **2.** ad infringendam voluntatis duritiem, inflectendas perversas ejus inclinationes, sanandam in-

---

[1]) Cf. n. 315. 319. cum annot.; Kleutgen d. 6. c. 3. § 2.

[2]) Sess. 3. cap. 3. de fid. [3]) Conc. araus. II. can. 7.

[4]) Clemens Augustus archiep. colon. statuit adversus Hermesii errores prop. (13): „Fides est Dei donum et lumen, quo illustratus homo firmiter assentitur atque adhaeret his, quae, ut credantur, sunt divinitus revelata et ab Ecclesia nobis proposita.“

[5]) In Ps. 115. n. 2. [6]) 2. Cor. 4, 13.

credulitatem, adeo ut credibilitatis motiva voluntatem moveant et suadeant ita ut persuadeant, cum illorum vis et efficacia plurimum pendeat a bona voluntatis dispositione.

637. Eoque magis **3.** gratia requiritur, quo difficilior est actus fidei. Est difficilis **a.** quia fidei actus est praeceptus: nitimur autem in vetitum; quia **b.** fides exigit assensum circa veritates nulla reddita ratione interna, quod plus minusve est contra intellectus saltem exculti propensionem; imo **c.** exigit assensum circa veritates, quae rationis captum plane exsuperant et ipsi rationi omnique experientiae saepe adversari videntur, quaeque docentur **d.** per revelationem neque evidentem, neque immediatam, sed tantum moraliter certam et mediatam, eamque saepe propositam per homines rudes et illiteratos; quia **e.** exigit assensum super omnia ad exclusionem omnis dubii deliberati, etiamsi **f.** in contrarium proponantur gravissimae rationes et difficultates [1]); quia exigit **g.** assensum perennem, quem nunquam retractare licet, etsi damna immineant gravissima, mors intentetur; quia denique **h.** exigit assensum non theoreticum tantum, sed et practicum, vi cujus homo totus intus innovetur, adeo ut fides sit norma et vitae intellectualis (saltem in plurimis) et totius vitae practicae (nam fidelis ex fide vivere debet) exigens observantiam praeceptorum naturae corruptae difficilium [2]). Atqui ad conscendendam tantam fidei altitudinem opus est suppeditatione spiritus et roboris, nec sufficit imbecillitas naturae humanae.

638. Verum haec probant quidem magnam gratiae necessitatem, sed moralem tantum propter actus difficultatem, non absolutam, et gratiae solum medicinalis non elevantis necessitatem. Atqui tenendum est (ut suo loco videbimus) gratiam non solum medicinalem sed et elevantem esse necessariam, et quidem necessitate non tantum morali, sed absoluta. Quare dicendum est gratiam idcirco potissimum esse ad fidem necessariam, quod sit fundamentum, initium, semen et

---

[1]) Nam, ut ait Chrysostomus in Ps. 115. n. 3, fides »est quaedam sacra ancora, quae undique sustentat mentem, quae ei adhaeret: et tunc maxime ostenditur, quando in maxima rerum difficultate ei persuadet, qui illa est praeditus, ut bonam spem habeat expulsa turba ratiocinationum:« et hom. 22. in ep. ad Hebr. n. 1: »Fides generosa et juvenili opus habet anima et quae omnia exsuperet sensilia et humanarum rationum pertranseat imbecillitatem. Fieri non potest, ut aliter sit fidelis, nisi qui se extulerit super omnem consuetudinem.«

[2]) Si homo sibi relinquitur, cognitio Dei ita est languida, ut par non sit ad excitandum Dei amorem sincerum; hinc etiam penes gentiles nullum forte alicujus dilectionis divinae reperimus vestigium. Quare et cognitio fidei absque gratia, qua animetur, sterilis plane maneret et infecunda. Cf. de Lugo disp. 12. sect. 3; Kleutgen disp. 3. c. 4.

radix justificationis et visionis beatificae, nam, ut s. Thomas compendii theol. c. 2. ait, „fides praelibatio quaedam est illius cognitionis, quae nos in futuro beatos facit.“ Justificatio autem et visio beatifica eminenter sunt ordinis supernaturalis. Quare ejusdem ordinis sit fides oportet. Quod paulo secus ita cum s. Thoma illustrari potest [1]): „In omnibus, quae agunt propter finem, oportet esse inclinationem ad finem et quandam inchoationem finis, alioquin nunquam operarentur propter finem. Finis autem, ad quem divina largitas hominem ordinavit vel praedestinavit scil. fruitio sui ipsius, est omnino supra facultatem naturae creatae elevatus, quia *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se,* ut dicitur 1. Cor. 2, 9. Unde per naturalia tantum homo non habet sufficienter inclinationem ad finem illum, et ideo oportet, quod superaddatur homini aliquid, per quod habeat inclinationem ad finem illum, sicut per naturalia habet inclinationem ad finem sibi connaturalem, et ista superaddita dicuntur virtutes theologicae.“ Haec vero inclinatio in finem supernaturalem in creatura rationali fundari debet in cognitione illius finis, quae habetur per fidem; quare ipsa fides supernaturalis et ex gratia oborta esse debet (cf. n. 656).

639. Ex hucusque dictis liquet, actui fidei multiplicem mentis operationem praecedere. Quaeritur jam, quoadusque gratiae necessitas se extendat. Difficile quidem est definire accurate limitem ad quem usque naturae vires sufficiant et a quo necessitas gratiae incipiat. Ex praescripto tamen doctrinae catholicae statui potest principium generale, ad omnes illos actus praevios requiri gratiam, qui se habent initii, seminis, radicis auroraeque fidei instar, quique directe et positive ad fidem praeparant, alliciunt, disponunt.

640. *Discrimen inter fidem supernaturalem et naturalem.* — Cum nulla ratio sit dubitandi, hominem vel creaturam aliquam rationalem Deo revelanti viribus etiam naturae, proinde fide naturali credere posse (si enim homini loquenti credere potest, quare non etiam Deo loquenti, quam primum de hac locutione sufficienter constet?): quaeritur ad pleniorem fidei nostrae i. e. christianae et salutaris notionem, quodnam sit discrimen inter fidem naturalem et fidem salutarem, fidem ut oportet, quae radix sit vitae vere christianae. Ejusmodi discrimen est multiplex. Differunt enim **a.** principio eliciente, ut patet ex thesi; ideoque **b.** entitate, cum altera, si actum spectes, sit naturalis et tantum objective seu terminative supernaturalis, quatenus revelatio positiva Dei excedit per se debitum naturae: fides vero salutaris sit etiam entitative seu quoad actum et secundum substantiam, ut ajunt, supernaturalis; **c.** fructu, ut patet pariter ex dictis; **d.** effi-

---

[1]) In 3. l. dist. 23. q. 1. a. 4. sol. 3. Cf. de verit. q. 14. a. 2; 1, 2. q. 62. a. 1. 3; cf. Kleutgen t. 4. n. 146 ss.; Lugo d. 9 ss.

cacia, cum merito omni fidei vere salutari adscribi possint in ordine spirituali, nisi gratiae ponantur obstacula, effectus illi, quos recenset Christus Marc. 16, 17 s. (n. 415); **e.** qualitate, cum fides supernaturalis sit necessario vera, hinc infallibilis: neque enim gratia concurrit ad assensum erroneum; **f.** indole, cum non negemus gratia assensum ita elevari, roborari atque ad motivum formale attrahi, ut mens tota illi se dedat atque subjiciat, ab eoque penitus imbuatur nullaque amplius ratione humana ducatur et informetur[1]), ideoque exuat modum cognoscendi humanum et naturalem et particeps reddatur cognitionis divinae, quod ea ratione nunquam fiet, si mens sibi sit relicta. Denique **g.** fides naturalis est assensus servi domino exhibitus; fides supernaturalis, nisi gratiae ponantur obstacula, fides est vel saltem reddetur filii et amici, qua particeps fit secretorum consiliorumque paternorum, intimam init familiaritatem cum Deo, inchoat jam vitam divinam, quae demum terminetur in visione beatifica.

641. **Corollarium.** *Fides supernaturalis semper vera.* — „Si ergo habitus (idem dicatur de gratia actuali) fidei ad hoc infunditur, ut homo

---

[1]) Qua de re ita scribit Suarez l. 2. c. 11. de gratia: „Contrariam sententiam judico omnino veram, nimirum ita esse distinguendam fidem acquisitam (naturalem) circa mysteria fidei a fide infusa (ex gratia), ut nunquam possit intellectus suis viribus vel actu naturali attingere veritatem revelatam vel illi assentiri sub eadem omnino ratione, sub qua illam attingit fides infusa. Ita sentiunt moderni omnes, qui hoc punctum attigerunt.“ Discrimen autem inter fidem infusam seu supernaturalem et fidem naturalem ratione motivi formalis subtiliter explicat n. 9. et 31 s. secundum suam theoriam, quam minus probamus (n. 616). Secundum hanc enim non solum mysterium revelatum, sed ipsa Dei revelantis auctoritas et revelationis factum, propter ipsam revelationem ultimo creditur: quod non fit in fide naturali, in qua haec duo principia ex solis rationibus et conjecturis naturalibus tenemus, unde fides naturalis non resolvitur in solam Dei auctoritatem. Concedimus sane fidem christianam a naturali differre etiam ratione motivi, quatenus in hac motivum est auctoritas Dei revelantis sola ratione cognita: in illa eadem Dei auctoritas a ratione quidem apprehensa, sed quatenus ea est gratia supernaturali illustrata, roborata, elevata, ut altiori i. e. salutari modo illam apprehendat eaque moveatur et ad credendum determinetur. Hinc etiam est, ut in fide naturali assensus circa fidei principia i. e. Dei auctoritatem et revelationis factum non ea fruatur firmitate, qua praedita est fides supernaturalis, quae elicitur viribus gratia roboratis et elevatis, et ex pio credulitatis affectu ob reverentiam erga summam Dei loquentis auctoritatem. Ex hoc enim affectu homo totum se subjicit divinae auctoritati imperatque intellectui, ut eliciat assensum super omnia firmum circa haec duo principia, a quibus tamquam a motivo formali omnis actus fidei proprie dictae pendet, atque adeo firme amplectatur non solum veritatem revelatam, verum etiam eadem intensione et firmitate revelationis factum et Dei revelantis auctoritatem, quae assentiendi ratio non videtur propria fidei naturalis. Cf. n. 642. Scheeben l. 1. n. 782. 786. et l. 3. n. 736. Tuetur tamen de Lugo disp. 13. sect. 1. n. 11, modum illum credendi propter divinum testimonium et sistendo ultimo in ipso assensu firmissimo et super omnia non superare naturae vires ita, ut non possit etiam lumine rationis agnosci.

possit per actus supernaturales et fini supernaturali proportionatos mereri suam salutem, et hoc nonnisi sequendo doctrinam et disciplinam Dei, debuit hic habitus ex natura sua alligari ad solas revelationes Dei veras.« Ita de Lugo[1]); unde infert, assensum, quem quis exhiberet revelationi apparenti, quam existimat veram, ut contingere potest in pueris et rudibus credentibus propter parentum vel parochi propositionem, qui possunt esse haeretici vel indocti, non fore supernaturalem, neque fidei christianae assensum, sed actum naturalem. Subjicit tamen n. 91: »Fateor in praedicto casu rusticum habere piam voluntatis affectionem et supernaturalem quidem, qua vult credere fide divina mysterium falso propositum; fateor etiam mereri per illam voluntatem credendi, et peccare etiam aliquando, si eam non habeat; nego tamen posse elicere assensum fidei divinae circa illud objectum[2]).«

642. **Thesis LXXXIV.** ***Summae fidei certitudini et firmitati non officit, quod credibilitatis motiva moralem tantum praebeant certitudinem.***

Demonstratio. Thesis statuitur adversus assertores prop. 19. ab Innocentio XI. damnatae: „Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.“ Probatur vero ex dictis n. 629. Sane motiva credibilitatis non sunt ipsius fidei motivum (cf. n. 620), sed postquam ex iis agnovit ratio Deum esse locutum, voluntas suae obligationis memor praecipit intellectui assensum fidei propter Dei loquentis auctoritatem. Quo vero gravius motivum, eo firmior esse debet assensus; gravissimum autem motivum est auctoritas Dei loquentis. Quare non motiva credibilitatis, quae sunt conditionis tantum praeviae instar, determinant assensus firmitatem, sed Dei auctoritas, cui debetur assensus super omnia, summus Deoque dignus, partim ex reverentia erga Deum, partim ex amore salutis, ad quam ejusmodi actus conditio est necessaria, partim ob ipsam actus honestatem[3]). Haec autem assen-

---

[1]) Disp. 4. s. 6. n. 86. Quod ita paulo secus expressit Stentrup in suis praelectionibus de fide p. 140: »Habitui namque divinitus ad edendos actus statui filiorum Dei conformes ordinato essentiale est, non alios posse habere actus quam qui intrinseca sua entitate formaliter hominem perficiant, quum secus hominem non supra propriam naturae conditionem elevarent, sed infra eam deprimerent.«

[2]) Ita et Ripalda de ente supern. d. 11. s. 8.

[3]) Solent id theologi illustrare illius exemplo peccatoris, qui naufragii tempore ex timore poenae aeternae inducitur ad eliciendum actum perfectae caritatis, citra quem in illo periculo damnationem aeternam evadere nequit. Quo in casu damnationis periculum non est motivum amoris Dei, sed occasio inducens voluntatem ad eliciendum actum caritatis ex motivo huic virtuti proprio, in quo actu eliciendo juxta pretium et pondus tanti motivi eliciet actum, ac proinde amorem Dei super omnia. Aptior nobis videtur alia comparatio. Si quis ex testimonio servi fide digni cognoscit praesentem esse regem, profecto regi loquenti et praecipienti illud exhibebit mentis voluntatisque obsequium, quod regiam

sus firmitas ex reverentia et obsequio erga infinitam primae veritatis auctoritatem profecta redundabit in ipsum assensum circa duo illa principia, a quibus omnis actus fidei pendet, scil. circa summam Dei loquentis auctoritatem et factum revelationis. Proinde ille ipse pius credulitatis affectus, qui impellit nos ad assensum revelationi propter summam Dei auctoritatem super omnia et ex tota mente exhibendum, impellit nos quoque ad amplectendam ipsam Dei auctoritatem et factum revelationis assensu, qui excedat pondus motivorum credibilitatis, assensu, qui sit ex tota mente et super omnia [1]).

643. **Scholion.** Nonnulla dicenda sunt *de certitudine fidei* comparate ad certitudinem aliarum cognitionum nostrarum. »Communissima enim, inquit Lugo[2]), et verissima theologorum sententia est, fidem esse certiorem aliis cognitionibus evidentibus naturaliter, quas regulariter habemus: ita cum s. Thoma 2.2.q.4.a.8.tenent ceteri, quos congerunt et sequuntur Suarez d.6.s.5.n.10, Hurtado d. 58. s. 3. § 24. et alii communiter.« Quae doctrina ut rite intelligatur, haec prae oculis habeantur: **1.** Excessus certitudinis fidei supra scientiae certitudinem potissimum desumendus est ex adhaesione, qua intellectus ex voluntatis imperio adhaeret firmius fidei objecto, quam aliis scientiae veritatibus, quibus etiam, quamvis certissimis, potius renunciaret, quam veritatibus revelatis. Haec autem **2.** firmior adhaesio a pio credulitatis affectu praecipitur ob praecellentius motivum formale. »Si enim spectatur formale fidei objectum, inquit Tongiorgi[3]), hoc majorem ac firmiorem habet necessitatem quam omnis veritas, quae rationis lumine cognosci possit. Nam in se repugnat magis falsum esse id, quod testimonio divino confirmatur, quam id omne, quod intellectus humani lumine collustratur. Etenim Deus est essentialiter infallibilis et verax. Intellectus autem humanus ex participatione quadam et in quibusdam solum infallibilis est.« Unde liquet **3.** assensus firmitatem non esse tantum actui ipsi externam et mere affectivam, a solo nimirum voluntatis arbitrio assensum firmum imperante, ut cum quis opinioni probabili firmissime et pertinaciter inhaeret; sed esse firmitatem actui internam propter motivi firmitatem, ortam exinde, quod motivum formale fidei seu auctoritas divina sinatur

---

majestatem deceat, quod pretio et firmitate sua longe excedat assensum exhibitum famulo, cujus testimonio inductus est ad regis cognitionem. Ita motiva credibilitatis ancillantur divinae majestati testanturque ipsam adesse atque nobiscum per revelationem loqui.

[1]) Cf. Denzinger 2, 409. 509. s.; et praesertim 497; de Lugo disp. 1. sect. 6. 7; disp. 6. sect. 3; disp. 7. sect. 3, qui disp. 1. s. 6. n. 105. advertit: »Licet objectum formale partialiter cognosci possit lumine naturae, necesse tamen fuit, quod idemmet objectum (veritatis Dei: idem dicatur de facto revelationis) terminare posset actum supernaturalem elevante habitu (seu gratia actuali) fidei ipsum lumen naturale, ut circa illud objectum tamquam circa principium fidei eliceret assensum firmiorem, nobiliorem et certiorem ac perfectiorem ad fundandum assensum mysterii revelati.«

[2]) D. 6. s. 3. n. 34. [3]) Instit. phil. log. p. 2. l. 1. c. 2. a. 3.

agere secundum suum pondus ac pretium. Liquet **4.** hunc assensum esse quidem appretiative majorem, non vero necessario intensive, nedum secundum sensum, majorem assensu ex evidentia oborto: et cum majori fidei certitudine non pugnare assensum intensive majorem veritati naturali exhibitum, sicut cum amore Dei super omnia non pugnat amor creaturae alicujus intensive major. Negari tamen nequit **5.** scientiam non solum claritate et evidentia excedere fidem, sed etiam in aliqua majori exclusione formidinis et dubii. Nam licet fides, ait Lugo n. 35, omne dubium et formidinem actualem excludat (magis quam scientia, ut probat n. 42. et ex dictis patet), non tamen excludit potentiam physicam antecedentem ad dubitandum et formidandum: quam potentiam antecedentem excludit evidentia, quae scil. exstinguit vel dubii possibilitatem[1]). Licet vero **6.** assensus fidei mysteriis revelatis exhibitus certior sit aliis, a quibus non pendet, certior tamen non est illo, a quo formaliter pendet; neque enim possumus conclusioni firmius assentiri, quam motivo interno, cui innititur. Haec est ratio, quare firmitas assensus veritati revelatae exhibiti redundare debeat in assensum de veracitate Dei deque revelationis facto (n. 642), quamvis haec non ex ipsa revelatione primum, sed rationis lumine cognoscamus. Denique **7.** quod spectat illam animi dispositionem negandi potius veritates evidentes, quam revelatas, statui poterit cum de Lugo l. c. n. 51. haec regula, sufficere scil. ut fidelis paratus sit ad negandas potius omnes eas veritates evidentes, quas saltem ex voluntatis imperio negare poterit; neque enim potest esse paratus negare veritates, quas nullo modo potest negare; proinde neque talis animi promptitudo exigitur: sicut ad amorem Dei super omnia non est necessarium, ut voluntas parata sit ad blasphemandum Deum, si per hypothesim hoc placeret Deo. Ejusmodi enim hypotheses sunt plane chimaericae atque omnino cavendae.

644. **Corollarium.** *Fidei analysis.* — Quare si instituatur objectiva actus fidei analysis ad respondendum quaestioni, cur credis? di-

---

[1]) Praeclare hac de re disputat s. Bonaventura in dist. 28. a. 1. q. 4. hunc in modum: „Est certitudo speculationis et est certitudo adhaesionis. Et prima quidem respicit intellectum, secunda vero respicit ipsum affectum. Si loquamur de certitudine adhaesionis, sic major est certitudo in ipsa fide, quam sit in habitu scientiae, pro eo quod magis facit adhaerere ipsum credentem veritati creditae, quam aliqua scientia alicui rei scitae. Videmus enim veros fideles nec per argumenta, nec per blandimenta inclinari posse, ut veritatem, quam credunt, saltem oretenus negent (hoc vero oritur ex pio credulitatis affectu, ex voluntate gratia roborata, quae assensum supra omnia imperat) . . . Si autem loquamur de certitudine speculationis, quae quidem respicit ipsum intellectum et nudam veritatem, sic concedi potest, quod maior est certitudo in aliqua scientia, quam in fide, pro eo quod aliquis potest aliquid per scientiam certitudinaliter nosse, quod nullo modo potest de ea dubitare, nec aliquo modo discedere nec in corde suo ullo modo contradicere, sicut patet in cognitione dignitatum et primorum principiorum.“ Quod paucis ita expressit Thomas 2. 2. q. 4. a. 8. ad 3: „Perfectio intellectus et scientiae excedit cognitionem fidei quantum ad majorem manifestationem, non tamen quantum ad majorem adhaesionem.“ Cf. etiam in 1. dist. 23. q. 2. a. 2. sol. 3. ad 3; Pesch Lehre des h. Thomas über den Glaubensact, Zeitschr. für kath. Theol. Innsbruck 1884 pag. 50 ss.

cendum videtur: **1.** fidem dispositive, ut ajunt, resolvi in motiva credibilitatis, propter quae judicamus, revelationem christianam esse omnino credibilem et credendam; **2.** affective vero in objectivam fidei honestatem sitam in subjectione rationis creatae sub increata, propter quam voluntas imperat assensum fidei; „justum enim est, inquit s. Bonaventura[1]), ut intellectus noster ita captivetur et subjaceat summae veritati, sicut affectus noster debet subjacere summae bonitati.“ Ceterum et aliis motivis pius credulitatis affectus moveri potest ad imperandum fidei assensum. Elicitive **3.** reducitur fides in intellectum gratia illustratum et confortatum; hinc etsi contendamus cognitionem auctoritatis Dei et revelationis spectato modo cognoscendi, quem continet, esse rationalem, est enim idem ac modus cognitionis naturalis rationis nostrae, non propterea statuimus naturam principium, fundamentum ac radicem fidei: nam considerato principio efficiente, quod non est ratio cum suis naturalibus viribus, sed ratio divinis supernaturalibusque ornata et aptata ad eliciendam operationem supra omnem ordinem naturae evectam, non est rationalis, sed plane supernaturalis. Creditive seu formaliter **4.** resolvitur fides in auctoritatem Dei revelantis. Ut autem revera ultimo resolvatur in auctoritatem Dei, necesse non est ut Deus ipse sit ultimum principium cognoscendi (Erkenntnissgrund) exsistentiam et infallibilitatem revelationis. Ita quidem sentiunt theologi communiter, nec aliter sentire possunt, quousque axiomatis instar propugnant, fidem virtutem esse non posse theologicam, nisi excluso omni, quod creatum est, solo Deo nitatur. Verum frustra argumenta quaeruntur, quibus hoc quasi axioma comprobetur. Nititur autem fides ultimo revera auctoritate Dei, etiamsi illius et facti revelationis cognitio sit mediata tantum. Quod ut intelligatur, cum Stentrup animadvertimus[2]): „Motivum assensus fidei in actu secundo non est testimonium Dei infallibile absolute consideratum, sed est idem testimonium Dei relative prae mente movenda spectatum, ideoque iis propemodum circumvestitum, quibus menti cognoscibile redditur eique apparet. Haec autem, quibus testimonium infallibile Dei menti cognoscibile redditur, aperte ad motivum non spectant, ut aliquid quod constituit, sed ut aliquid quod ipsum mani-

---

[1]) In 3. dist. 23. a. 1. q. 1.

[2]) Loc. cit. th. 31. Cum utilitate conferri possunt ejusdem th. 27 ss., in quibus ostendit contra de Lugo, neque cognitionem auctoritatis divinae neque facti revelationis divinae debere esse immediatam, imo th. 29. statuit: »Ex his colligendum omnino videtur cognitionem, de qua agimus, secundum suum *esse* quidem, non autem secundum objectivum modum cognoscendi a naturali differre, ideoque mediatam censendam esse.«

festat et patefacit. Agedum ea, quae ad testimonium Dei infallibile ideoque ad motivum assensus fidei pertinent tantum ut ea, quae manifestant et patefaciunt ipsum, nullam habent propriam suique nominis vim movendi respectu assensus fidei, sed vis movendi, quae ipsis inest, tota refertur ad cognitionem infallibilis testimonii divini, ideoque efficere nequeunt, ut assensus fidei non nitatur soli infallibili Dei testimonio. Itaque profitemur, Deum seu satius infallibile Dei testimonium solum fidei, ut quae virtus theologica est, objectum formale esse debere, sed nihil est, quod ad professionem nos cogat, idem etiam ejus cognitionis, ad quam tamquam objectum materiale refertur, objectum formale esse debere, seu quod eodem redit, testimonium Dei infallibile cognitionis, quae ad ipsum, ut ad principium assensus fidei refertur, simul objectum esse debere et principium. Hinc falsum esse ducimus, quod dicunt, fidem eo modo, quo a ratione virtutis theologicae postulatur, Deo solo nixam esse non posse, nisi ipsa quoque cognitio objecti formalis, quam fides includit, solo Deo nixa sit". Directive denique **5.** resolvitur fides catholica in Ecclesiae auctoritatem, ut infra videbimus. Quae assertio, cum sponte sua sequatur ex hucusque dictis, ulteriore probatione non indiget.

Sectio II.

De habitu inter revelationem et rationem, fidem et scientiam.

645. Exposita, quantum per compendium licuit, fidei genesi, jam quaedam statuenda sunt de habitu inter revelationem et rationem, fidem inter et scientiam, cum plures circa hunc habitum vulgati fuerint errores, quorum alii per defectum, per excessum alii peccant. Quae autem tenenda sunt, ad quasdam propositiones seu principia revocabimus. **1.** „*Etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest:* cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur[1]). Omnem igitur assertionem veritati illuminatae fidei contrariam omnino

---

[1]) Quibus adde contradictiones sane multas inde profectas, quod disserendi leges violentur in impugnatione mysteriorum fidei, quodque ea ab incredulis rationi proclamentur contraria, quae nequeant imaginando apprehendi, quo tamen nihil indoctius.

falsam esse definimus [1]).“ Ita concilium vaticanum sess. 3. cap. 3. Quam doctrinam jam inculcarunt Leo X. et Pius IX. in literis encyclicis [2]), eamque profiteri debuit Bonetty prop. 1. ab ipso a. 1855 subscribenda: „Etsi fides sit supra rationem, nulla tamen vera dissensio, nullum dissidium inter ipsas inveniri unquam potest, cum ambae ab uno eodemque immutabili veritatis fonte, Deo optimo maximo, oriantur atque ita sibi mutuam operam ferant.“ Hujus autem assertionis hanc praeclaram reddit s. Thomas rationem: In mente divina nequit esse contradictio, nil enim infensius veritati contradictione. Atqui si veritas revelata adversaretur veritati alicui rationali, contradictio jam reperiretur in ratione increata, in mente divina, cum tam ratio quam revelatio sint duo radii, duplex irradiatio, locutio et participatio ejusdem rationis increatae. Concedi ergo nequit veritatem revelatam contradicere posse veritati rationali, seu quod idem est, fieri nequit, ut quae ex fide et theologia vera sunt, ea secundum rationem et philosophiam sanam sint falsa [3]). Unde infert [4]): „Si quid in dictis philosophorum inveniatur contrarium fidei, hoc non est philosophiae, sed magis philosophiae abusus ex defectu rationis. Et ideo possibile est ex principiis philosophiae hujusmodi errorem refellere vel ostendendo omnino esse impossibile, vel non esse necessarium.“

646. Tenendum **2.** est, *non totum objectum fidei christianae rationi esse pervium,* verum plures ad illud spectare veritates seu mysteria, quae humanae rationis captum excedant: quod tenendum est contra Güntherum. Non autem agimus hic de jure, utrum esse possint veritates, quae captum rationis excedant, qua de re egimus thesi I: sed de facto, utrum revelatio christiana complectatur mysteria. Hoc vero definitum est a concilio vaticano sess. 3. can. 1. de fide et ratione: „Si quis dixerit, in revelatione divina (utique christiana) nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari, A. S.“ Quod **1.** colligimus vel a priori, dummodo consideremus **a.** primum hujus fidei promulgatorem, qui fuit non nudus

---

[1]) Haec ultima verba leguntur jam in bulla ‚Apostolici regiminis‘ Leonis X. in conc. lateranensi V. edita.

[2]) 9. Nov. 1846 (n. 659), quibus in literis invehitur in eos, qui „audacissime blaterant, fidem humanae refragari rationi. Quo certe nihil dementius, nihil magis impium, nihil contra ipsam rationem magis repugnans fingi vel excogitari potest;“ reprobatque syllabi prop. 6: ‚Christi fides humanae refragatur rationi; divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni.«

[3]) Contra gentes I, 7. [4]) In Boët. de Trinit. prooem. q. 2. a. 3.

homo, propheta, angelus, sed ipsa Sapientia carofacta, quam dedecuisset ea tantum annunciare, quae quilibet homo sapiens per se posset assequi; si consideremus **b.** incarnationis motivum, quod fuit ineffabilis Dei humanitas et caritas, qua nos voluit non ut servos habere, sed in amicos et filios carissimos, quibus secreta paterna communicari solent[1]), recipere; si **c.** consideremus revelationis finem, qui est plane supernaturalis, et **d.** modum quo Christus et apostoli revelationem reddiderunt credibilem: neque enim in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed ostensione spiritus[2]), miraculorum scil. apparatu stupendo, in captivitatem redegerunt omnem intellectum in obsequium fidei[3]). Consideretur **e.** triplex fidei proprietas, scil. summa ejus pro omnibus necessitas, obscuritas, est enim non apparentium[4]), et meritum: et liquido apparebit, illius objectum esse mysteria. Eadem veritas **2.** colligitur ex divinis literis. Huc spectat 1. Cor. 2, ubi Paulus inter alia scribit: *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est . . . quam nemo principum hujus seculi cognovit . . . Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum; Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei . . . Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quae a Deo donata sunt nobis . . . Animalis autem homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei; stultitia enim est illi, et non potest intelligere;* 13, 9 ss.; Joan. 1, 18: *Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit;* Matth. 11, 27: *Nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui Filius voluerit revelare;* Rom. 11, 33: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viae ejus*[5]) etc., ex quibus consequitur **a.** plures esse revelationis christianae veritates, quas principes hujus seculi non cognoverunt; experientiam enim **b.** eae rationemque adeo excedunt, ut animalis homo, homo naturalis solo rationis lumine eas agnoscere nequeat, sed **c.** spiritalis tantum, qui Spiritum Christi habet et fruitur revelatione divina; idcirco autem **d.** revelatione tantum eaque prorsus gratuita illas cognosci posse, quod earum cognitio sit praerogativa et dos propria atque singularis Filii, qui est in sinu Patris, et Spiritus sancti, qui scrutatur profunda Dei; **e.** revelatione autem facta eas manere incomprehensibiles.

---

[1]) Cf. Joan. 15, 14. [2]) 1. Cor. 2, 4. [3]) 2. Cor. 10, 5.

[4]) Hebr. 11, 6. et 1.

[5]) Cf. Job 26, 14; Sap. 9, 13; Colos. 1, 26; Hebr. 1, 1 etc.; Franzelin de ss. Trinit. th. 17; Scheeben l. 1. § 4.

647. Quod apertius **3.** unanimes docent ss. patres, qui **a.** diserte cum Chrysostomo docent[1]): »Fide indigent ea, quae dicuntur, neque rationibus comprehendi possunt: eorum quippe magnitudo mentis nostrae vilitatem longo spatio superant.« Hinc **b.** haud raro veritates fidei superrationales vocant. Verum **c.** id non solum in genere, sed etiam de singularibus affirmant veritatibus revelatis. Ita Ambrosius[2]): »Mihi quidem impossibile est generationis (Filii) scire secretum: mens deficit, vox silet, non mea tantum, sed et angelorum. Supra potestates, supra angelos, supra cherubim, supra seraphim, supra omnem sensum est« etc. Vel **d.** distinguentes inter factum seu ipsam veritatem et modum, quo ipsa se habeat, inter τὸ *quod* et τὸ *quomodo*, inculcant, nos quidem ex revelatione scire posse, mysterium esse verum, sed quomodo se habeat, hac in vita nos non posse scire. »Etsi non licet, inquit idem s. doctor[3]), mihi scire quemadmodum natus sit, non licet tamen nescire, quod natus sit. Seriem generationis ignoro, sed auctoritatem generationis agnosco. Non interfuimus, cum a Patre Dei Filius nasceretur, sed interfuimus, cum a Patre Dei Filius diceretur.« Quapropter **e.** gravissimis verbis redarguunt anomoeos, qui divina mysteria se comprehendere jactabant, et medio aevo Abaelardum, »qui, ut scribit Bernardus[4]), dum omnium, quae sunt in coelo sursum, et quae in terra deorsum, nil praeter solum *nescio* nescire dignatur; ponit in coelum os suum et scrutatur alta Dei, rediensque ad nos refert verba ineffabilia, quae non licet homini loqui, et dum paratus est de omnibus reddere rationem, etiam quae sunt supra rationem, et contra rationem praesumit et contra fidem. Quid enim magis contra rationem, quam ratione rationem conari transcendere? et quid magis contra fidem quam credere nolle, quidquid non possit ratione attingere?«

648. Huc deinde **4.** referri possunt, quae diximus de motivo fidei formali. Idcirco enim propter Dei auctoritatem credendae sunt veritates revelatae, quod sint inevidentes, obscurae, et quod rationis captum superent. Et sane **5.** quilibet sincerus theologus propria experientia innixus fateri debet, post diuturnum studium, assiduam meditationem et contemplationem, post tot exantlatos labores, se vix aliquas veritates revelatas ita rationis acumine attingere, ut eas sibi pervias dicere possit: imo quo magis proficiet in studendo, eo sincerius fatebitur, religionis christianae mysteria rationis humanae captum superare verique nominis esse mysteria, suamque libenter fatebitur ignorantiam. Quod si ad hanc cognitionem et professionem non pertingat, eo ipso ostendit se fidei dogmata non intelligere, iisque eum subjicere sensum, qui plane alienus sit a fide. Quocirca **6.** damnavit Gregorius XI. prop. 26.

---

[1]) In 1. Cor. hom. 7. n. 5.

[2]) De fide l. 1. c. 10. n. 64.

[3]) In Luc. l. 4. n. 71; de fide l. 1. c. 9 s.

[4]) Ep. 190. ad Innocentium II. n. 1. Ceterum legantur pulcherrimae s. Chrysostomi hom. adv. anomoeos; Gregorii naz. or. 5 theol. opusc. XXIX. et ep. episc. prov. remensis ad Innocentium II. Mig. 179, 672.

Raymundi Lulli: „Omnes articuli fidei et Ecclesiae sacramenta ac potestas papae possunt probari et probantur per rationes necessarias, demonstrativas, evidentes;“ et 97: „Fides est necessaria hominibus rusticis, insciis, ministralibus et non habentibus intellectum elevatum, qui nesciunt cognoscere per rationem et diligunt cognoscere per fidem: sed homo subtilis facilius trahitur ad veritatem christianam per rationem quam per fidem.“

649. Oppositam doctrinam damnarunt quoque Gregorius XVI. in literis encyclicis 15. Aug. 1832 et Pius IX. in literis ad archiepiscopum monacensem 11. Dec. 1862, in quibus exposita doctrina Frohschammer statuit: »Quae auctoris doctrina quam falsa sit et erronea, nemo est, qui christianae doctrinae rudimentis vel leviter imbutus non illico videat planeque sentit... Tolerare nunquam possumus, ut omnia temere permisceantur, utque ratio illas etiam res, quae ad fidem pertinent, occupet atque perturbet, cum certissimi omnibusque notissimi sint fines, ultra quos ratio nunquam suo jure est progressa vel progredi potest.« Et citatis variis Scripturae effatis prosequitur: „Hisce aliisque fere innumeris divinis eloquiis inhaerentes ss. patres in Ecclesiae doctrina tradenda continenter distinguere curarunt rerum divinarum notionem, quae naturalis intelligentiae vi omnibus est communis, ab illarum rerum notitia, quae per Spiritum sanctum fide suscipitur: et constanter docuerunt, per hanc ea nobis in Christo revelari mysteria, quae non solum humanam philosophiam, verum etiam angelicam naturalem intelligentiam transcendunt, quaeque etiamsi divina revelatione innotuerint et ipsa fide fuerint suscepta, tamen sacro adhuc ipsius fidei velo tecta et obscura caligine obvoluta permanent, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino. Ex his omnibus patet, alienam omnino esse a catholicae Ecclesiae doctrina sententiam, qua idem Frohschammer asserere non dubitat, omnia indiscriminatim christianae religionis dogmata esse objectum naturalis scientiae seu philosophiae, et humanam rationem historice tantum excultam, modo haec dogmata ipsi rationi tamquam objectum proposita fuerint, posse ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire[1].«

650. Tenendum est **3.** *revelationem christianam ita complecti mysteria, ut ea* non solum initio superaverint, non solum modo excedant rationis captum: sed etiam ita, ut *nulla unquam rationis explicatione jugique cultura,* quamdiu in terris degimus, *naturali acumine detegantur* detectaque demonstrentur vel intellectui pervia reddantur. Hoc clare docentem audivimus Pium IX. n. praecedenti; hoc sequitur quoque ex argumentis allatis: omnia enim probant revelationem christianam complecti non tantum mysteria relativa, sed absoluta, quae tamdiu sunt mysteria, quamdiu in terris degimus, quamdiu viget re-

---

[1]) Cf. ejus allocut. 9. Dec. 1854; Breve ad card. coloniensem 15. Jun. 1857, in quo hunc errorem dicit saepe a sede apostolica damnatum; lit. ad archiep. monac. 21. Dec. 1863; conc. coloniense tit. 1. cap. 6; Kleutgen l. c. § 6. 7.

velatio christiana, quaeque superant captum intellectus vel angelici. Quapropter reprobata fuit prop. 9. syllabi: „Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianae sunt objectum naturalis scientiae seu philosophiae; et humana ratio historice tantum exculta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire, modo haec dogmata ipsi rationi tamquam objectum proposita fuerint [1]).“ Quare probari nequit studium apologetarum illorum, qui ad commendandam revelationem difficultatemque fidei minuendam contendant, revelationem christianam vix aliquid aliud docere quam quod ratio sana exigit vel conjectura quadam auguratur. Deprimunt enim revelationis momentum, necessitatem, dignitatem plusque fidei nocent quam prosint.

651. **Corollarium.** *Duplex veritatum ordo.* — Ex quibus colligitur duplicem admittendum esse ordinem veritatum, alterum rationalium, superrationalium alterum; duplicem sapientiam, principum hujus mundi aliam, aliam spiritualium, qui habent spiritum mentemque Christi; neque unquam sine ingenti idearum perturbatione licere unum ordinem cum altero confundere. Quod inculcat conc. vaticanum sess. 3. cap. 4. de fide et ratione: „Hoc quoque perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed objecto etiam distinctum: principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus; objecto autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt.“

652. *Rationalistarum errores rejiciuntur.* — Quare **4.** errant omnes ii, qui vel **a.** statuunt, proprium divinae revelationis criterium in eo esse situm, ut ejusdem objectum una cum ratione positive congruat eidemque sit pervium; vel **b.** qui docent, omnia, quae revelatione christiana continentur (ideoque etiam s. Scripturae sensum) ad rationis normam tamquam ad regulam supremam esse intelligenda et explicanda: quod damnavit [2]) Gregorius XVI. in Georgio Hermes, qui statuerat, „rationem principem normam ac unicum medium esse, quo homo assequi possit supernaturalium veritatum cognitionem.“ Haec enim affirmari nequeunt, quin supponatur revelationis christianae objectum rationi esse plane pervium, quod omnino falsum esse demonstravimus. Errant pariter **c.** qui revelationem et rationem statuunt esse duos fontes veritatis non subordinatos, sed coordinatos et parallelos. Neque enim parallela et coordinata censeri possunt, quae differunt objecto, motivo et perfectione. Atqui ratio et revelatio distant objecto, cum illius objectum sit rationale, hujus vero non solum rationale, sed etiam praeter-

---

[1]) Cf. verba conc. vatic. n. 226. adv. Güntheri errorem; Heinrich § 124 s.

[2]) Brevi 26. Sept. 1835; cf. Franzelin th. 2. de euch. p. 2.

rationale et superrationale, distant motivo, nam illa regitur evidentia naturali, haec divina auctoritate; distant perfectione, illa enim est naturalis, haec supernaturalis; illa angustior, haec amplior; illa anceps saepe est atque haeret, haec certa semper est ac fixa. Quapropter reprobata fuit a Pio IX. syllabi prop. 8: „Cum ratio humana ipsi religioni aequiparetur, idcirco theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt[1]).“

653. **Thesis LXXXV.** ***Tantum abest, ut fides sanae adversetur rationi, ut potius tenendum sit 1. fidem esse secundum rationem; 2. fide rationem multipliciter juvari, eaque 3. homines ad novum altioremque provehi scientiae ordinem, in quo et per quem ad futuram gloriae claritatem praeparentur; sed et vicissim 4. plura rationi munera competere in fidei utilitatem.***

Demonstratio p. I. Revera fidem esse secundum rationem ea **1.** omnia probant, quibus philosophi ostendunt, auctoritatem fontem esse veri seu secundum rationem esse credere testibus fide dignis. Per hos enim quadam omnipraesentia fruimur, qua interesse possumus factis omnium seculorum atque regionum; cognitio nostra tot alioquin limitibus circumscripta cognitionibus innumerorum, quae per fidem cedunt in nostrum commodum, augetur, ampliatur, perficitur; imo ea elevatur, ut oculis aliorum videre possit, quae propriis nequit videre. Atqui omnium testium maxime authenticus ille censeri debet, qui est ipsa veritas. Probant **2.** omnia ea, quibus Augustinus cum aliis patribus evincit[2]), nullam iniri conservarique posse societatem sive inter parentes et filios, sive inter conjuges, amicos, cives, sive inter reges et subditos absque fide. Si ergo secundum rationem est credere parentibus, amicis, regibus etc.: secundum rationem quoque erit Deo credere, qui unus verus est pater ac rex noster. Merito proinde scribit s. Hieronymus[3]): „Si non extorquet fidem prudentia, extorqueat saltem verecundia.“ Eoque magis **3.** secundum rationem est Deo credere, quod summi momenti et theoretice et practice sit, accuratius nosse quae ad Deum spectant, quaeque ejus sit circa homines voluntas, quae ejus decreta. Atqui haec vel nullo modo vel nonnisi imperfecte cognosci possunt citra revelationem et fidem. Quare s. Ambrosius: „Quam indignum, inquit[4]), ut humanis testimoniis de aliis credamus, Dei oraculis de se non credamus;“ et iterum[5]): „Coeli mysterium doceat me Deus ipse qui condidit, non homo qui seipsum ignoravit.

---

[1]) Cf. Denzinger 2, 558 ss.; Kleutgen d. 4. c. 2.

[2]) De fide rer. quae non videntur c. 2; de util. cred. n. 26. opusc. VI, 59. annot. Cf. supra n. 13 ss.

[3]) Ep. 107. n. 1. [4]) De Abraham l. 3. n. 21. [5]) Ep. 18.

Cui magis de Deo quam Deo credam?" et s. Hilarius[1]): „Cum de rebus Dei erit sermo, concedamus cognitionem sui Deo, dictisque ejus pia veneratione famulemur. Idoneus enim sibi testis est, qui nisi per se cognitus non est."

654. Eatenus deinde **4.** fides christiana rationi adversaria dici posset, quatenus illa vel laederet rationis jura, vel ratio fidei improbaret postulata. Neutrum vero affirmare licet. Neque enim **a.** impedit fides jus, quo pollet ratio, inquirendi in eas veritates, quae rationis ambitu continentur[2]). Non impedit **b.** jus nil citra rationem sufficientem admittendi. Hoc adeo verum est, ut Tertullianus diserte pronunciet[3]): „Nihil credam, nisi nihil esse temere credendum: temere porro credi quodcunque sine originis agnitione creditur." Neque **c.** laedit fides tertium rationis jus, reprobandi nimirum errorem, quoties illum evidenter vel certo agnoscit. Caveat sibi tamen humana ratio, ne quidquid vel intelligere vel comprehendere vel concipere nequit, errorem judicet. Sicut autem fides nullum laedit jus rationis, ita vicissim ratio omnia approbat fidei postulata. Postulat **a.** fides, ut ratio se subjiciat auctoritati divinae. Sed quid dignius et justius, quid aequius et magis salutare, quam ut ratio creata limitibusque circumscripta, ideoque erroribus obnoxia, quae toties magno suo commodo

---

[1]) De Trin. l. 1. n. 18; cf. s. Thomas expos. symb. ep. n. 2.

[2]) Cf. Pii IX. ep. ad archiep. monac. 11. Dec. 1862.

[3]) L. 5. c. Marc. c. 1. Innumera theologorum, patrum summorumque pontificum hanc in rem adduci possent effata. Pauca sufficiant. Ita Theodoretus philosophos gentiles redarguit serm. 1. de cur. aff. graec.: „Quod si credulitatis ac fidei titulum accusatis (audivi enim vos hoc etiam usurpantes, quod dogmatum nostrorum nullam demonstrationem proferamus, solam vero fidem ac credulitatem insinuemus illis, quos docemus), apertissime doctrinam nostram calumniamini. Nos enim verissimis rebus, tamquam certissimis testibus, sermones nostros comprobamus." Et s. Bernardus contra Abaelardum ep. 190. c. 4: „Absit, absit, ut putemus in fide vel spe nostra aliquid, ut is putat, dubia aestimatione pendulum et non magis totum, quod in ea est, certa et solida veritate subnixum, oraculis et miraculis divinitus persuasum, stabilitum et consecratum partu virginis, sanguine Redemptoris, gloria resurgentis. Testimonia ista credibilia facta sunt nimis." Denique auctor anonymus sed antiquus in confut. quarundam propos. pr. 16. (inter op. spuria s. Athanasii Mig. 28, 1287): „Ac fidem, inquit, nominat (adversarius) inconsideratam noxiamque approbationem infirmorum nullisque demonstrationibus instructorum dogmatum. Credamne sine judicio (ἀλόγως)? Nec inquiram quidnam fieri possit, aut utile sit, aut deceat, aut Deo gratum, aut naturae congruum, aut veritati consonum, aut scopo accommodatum, aut mysterio consentaneum, aut pietate dignum sit? Ecqua utilitas erat mihi? Aut quis menti fructus, quae horum nihil secum reputavit, sed auditum quidem sono verborum obtulit, nullam vero dictorum cepit intelligentiam?« etc. Cf. n. 617 s.

auctoritati se subjicit humanae, rationi increatae nullique errori obnoxiae se in disciplinam tradat? Postulat **b.** fides assensum firmum pro motivi pondere, quo nihil rationi magis consonum. Postulat **c.** fides, ne temere scrutemur mysteria. „Quo enim intellectu, inquit, Augustinus[1]), Deum capit homo, qui ipsum intellectum suum, quo eum vult capere, nondum capit?“ Et s. Basilius[2]): „Si minutissimae formicae naturam nondum cognitione apprehendisti, quomodo incomprehensibilis Dei vim te imaginari gloriaris?“ Postulat denique **d.** fides, ut acquiescamus certitudini morali de facto revelationis, cum haec sufficiat ad dirigendam vitam hominum universam (n. 141. 621). Tandem **5.** fides inde quoque se rationi commendat, quod nobilissimum sit naturae rationalis obsequium rationi increatae omnisque veri fonti exhibitum tum propter actus difficultatem (n. 637), tum propter professionem, quam involvit et summae Dei veracitatis et nostrae ab eo dependentiae. Merito ergo concludere possumus, fidem se undequaque rationi commendare et secundum rationem esse.

655. **Demonstratio p. II.** Fides praeterea rationem multipliciter juvat, plurimumque commodi ex revelatione in hanc redundat. Ampliatur ea **1.** supellex cognitionis humanae. Revelatione enim et fide homines discunt veritates et rationi pervias, quas curis tot praepediti nunquam didicissent, et praeterrationales et superrationales. „Melius autem est, inquit s. Bonaventura[3]), vel modicum quid de Deo scire, quam coelestium vel terrestrium notitiam habere.“ Revelatio **2.** liberat rationem a tot erroribus et dubiis molestis circa res scitu maxime necessarias, quibus remotis pacem securitatemque animis de altera vita ac de sua salute sollicitis conciliat. Quocirca sicut homo christianus gratiae innixus dicere potest: *Omnia possum in eo, qui me confortat* (Phil. 4, 13), ita revelatione edoctus cum regio psalte gloriari poterit: *Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in aeternum mihi est. Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est. Super senes intellexi, quia mandata tua quaesivi* (Ps. 118, 98 ss.). Revelatio **3.** viae ducis instar dirigit inquisitionem rationis, ut citius, securius, plenius veritatem assequatur; metam indicat, quo sit investigatione perveniendum[4]). Denique **4.** reve-

---

[1]) De Trin. l. 5. c. 1. [2]) Ep. 16. ad Eunomium.

[3]) In l. 3. dist. 23. a. 1. q. 4; cf. th. III.

[4]) Qua de re concilium coloniense a. 1860. tit. 1. c. 6. docet: „Neque illo Ecclesiae de doctrinis philosophicis judicio detrahitur quidquam veritatis naturalis indagandae studio. Non enim philosophiae usus, sed ejusdem solus abusus interdicitur, nec veritatem indagare sed errorem solum eumque fidei adversantem aut ad eam labefactandam accommodatum homo complecti prohibetur.

latio veri cupidinem excitat stimulosque addit, vel ut alacrius veritatum investigationi insistamus, quodque fide didicimus, rationis etiam lumine assequamur; vel ut veritates revelatas quantum fieri potest intelligamus ac in earum intelligentia proficiamus; vel ut easdem tueamur adversus fidei hostes quod absque studio sollertique rationis usu apte fieri non poterit [1]). Hinc Augustinus animadvertit: „Qui vera ratione jam quod tantummodo credebat intelligit, profecto praeponendus est ei, qui cupit adhuc intelligere quod credit; si autem nec cupit, et ea, quae intelligenda sunt, credenda tantummodo existimat, cui rei fides prosit ignorat [2]).“

656. **Demonstratio p. III.** Diximus tertio loco, fide homines ad novum altioremque provehi scientiae ordinem. Hoc docent **1.** Scripturae sive cum affirmant, Filium Dei venisse nobisque *dedisse sensum* (διάνοιαν), *ut cognoscamus verum Deum* [3]); sive cum tradunt hominem animalem i. e. naturalem gratia et fide destitutum non percipere ea, quae sunt Spiritus Dei, eo quod stulta ei videantur; imo ne posse quidem ea intelligere [4]); sive cum gratiam, qua ad fidem in Christum adducimur, conferunt cum verbo, quo Deus dixit *de tenebris lucem splendescere* [5]). Docent **2.** patres, cum generatim fidem rationi scientiaeque opponentes, fide dicunt nos attingere veritates, quas ratio ne suspicari quidem potuerit; fidemque novum esse lumen, lumen plane coeleste, quo fideles illuminati vident, quae fugiunt oculos rationis. „Si enim fidelis nihil videret, ex fide illuminatio non esset, nec dicerentur illuminati fideles,“ inquit Hugo a s. Victore [6]). Quare

---

Imo potius juvatur et provehitur ipsa philosophia, cum non exiguum sit in omni inquisitione emolumentum nosse sententias quasdam, quae utpote certo falsae scopulorum instar sunt fugiendae.«

[1]) Quod etiam Leo XIII. in ep. encyclica 4. Aug. 1879 animadvertit: »Quapropter qui philosophiae studium cum obsequio fidei christianae conjungunt, ii optime philosophantur: quandoquidem divinarum veritatum splendor, animo exceptus, ipsam juvat intelligentiam; cui non modo nihil de dignitate detrahit, sed nobilitatis, acuminis, firmitatis plurimum addit. Cum vero ingenii aciem intendunt in refellendis sententiis, quae fidei repugnant, et in probandis, quae cum fide cohaerent, digne ac perutiliter rationem exercent: in illis enim prioribus, causas erroris deprehendunt, et argumentorum, quibus ipsae fulciuntur, vitium dignoscunt: in his autem posterioribus, rationum momentis potiuntur, quibus solide demonstrentur et cuilibet prudenti persuadeantur. Hac vero industria et exercitatione augeri mentis opes et explicari facultates qui neget, ille veri falsique discrimen nihil conducere ad profectum ingenii, absurde contendat necesse est.«

[2]) Ep. 120. ad Consent. n. 3. [3]) 1. Joan. 5, 20.

[4]) 1. Cor. 2, 2 ss. [5]) 2. Cor. 4, 6 ss.

[6]) De sacr. 1. p. 10. c. 9.

s. Augustinus scribit[1]: „Omnino habet oculos fides et majores et potentiores et fortiores; hi oculi neminem deceperunt. Hi oculi semper sint ad Dominum.“ Et iterum serm. 217 n. 2: „Ubi defecerit ratio, ibi est fidei aedificatio;“ et: „Non parva pars scientiae est scienti conjungi. Ille habet oculos cognitionis, tu habeto credulitatis. Quod videt Deus, crede tu[2].“ Docet id 3. s. Thomas[3]: „In quolibet cognoscente modus cognitionis consequitur modum propriae naturae; unde alius modus cognitionis est angeli, hominis et bruti animalis, secundum quod eorum naturae diversae sunt . . . Sed homini ad consequendum ultimum finem additur aliqua perfectio super propriam naturam scil. gratia. Oportet igitur, quod etiam super cognitionem naturalem hominis addatur in eo aliqua cognitio, quae rationem naturalem excedat et haec est cognitio fidei.“ Quod si quaeritur in quo haec cognitio excedat rationem naturalem, explicat illud alia occasione doctor angelicus[4]: „De divinis duplex scientia habetur. Una secundum modum nostrum, quae sensibilium principia accipit ad notificandum divina, et sic de divinis philosophi scientiam tradiderunt, philosophiam primam divinam scientiam dicentes. Alia secundum modum ipsorum divinorum, ut ipsa divina secundum se ipsa capiantur, quae quidem perfecte nobis in statu viae est impossibilis, sed fit nobis in statu viae quaedam illius cognitionis participatio et assimilatio ad cognitionem divinam, in quantum per fidem nobis infusam inhaeremus ipsi primae veritati propter seipsam. Et sicut Deus ex hoc ipso, quod cognoscit se, cognoscit alia modo suo i. e. simplici intuitu non discurrendo: ita nos ex his, quae fide capimus primae veritati inhaerendo, venimus in cognitionem aliorum secundum modum nostrum, scil. discurrendo de principiis ad conclusiones.“ Sane per fidem mens credentis agglutinatur veritati increatae, ejus veluti oculo cognoscit mysteria et in hac specula sublimi collocata tuto de rebus terrenis judicat serena fruens tranquillitate. „Probe namque novit, scribit ad rem Dionysius vulg. Areopagita dictus, quisquis unitus est veritati (divinae per fidem), quam bene se habeat, quamvis eum multi ut amentem arguant: latet enim illos eum per verae fidei veritatem ex errore excessisse; ipse autem vere novit se non (ut illi fabulantur) insanire, sed ab instabili mutabilique omnimode errantis varietatis motione per simplicem, circa eadem semper et eodem modo se haben-

---

[1]) In Ps. 145 n. 19.

[2]) In Ps. 36. enarr. 2. n. 2; cf. Chrysostomus in dictum ap. 2. Tim. 3, 1. n. 1. de oculis fidei disserens (Mig. 56, 271) et supra n. 606. annot.

[3]) Contra gentes l. 3. c. 152.

[4]) Super Boëth. de Trin. q. 2. a. 2. Cf. supra n. 640.

tem, veritatem esse liberatum. Hoc modo primi divinae sapientiae nostri praeceptores pro veritate quotidie moriuntur testificantes, uti par est, et sermone et opere, singularem illam christianae veritatis agnitionem omnium esse cum simplicissimam tum divinissimam, imo potius hanc solam esse veram atque unicam simplicem Dei notitiam." Quibus vel obiter expensis liquet, tantum abesse ut rationi fides adversetur, ut potius, quemadmodum gratia generatim naturam non destruit sed perficit, ita fides rationem exornet, promoveat, excolat.

657. **Demonstratio p. IV.** Jam recenseamus potiora munera, quae rationi circa ipsam fidem competunt. Rationis est **a.** revelationis alicujus exsistentiam investigare [1]) fideique fundamenta seu revelationis credibilitatem ostendere; **b.** veritates revelatas notitiis consentaneis apprehendere, quod exemplo illustrat Augustinus scribens [2]): „Credimus Jesum Christum natum de Virgine, quae Maria vocabatur. Quid sit autem virgo, quid sit nasci, quid sit nomen proprium non credimus, sed prorsus novimus." Quocirca advertit s. Thomas [3]): „Fides non potest universaliter praecedere intellectum. Non enim posset homo assentire credendo aliquibus propositis, nisi ea aliqualiter intelligeret." Rationis est **c.** veritates revelatas apte disponere atque in concinnum redigere ordinem, quod ipsa historia theologiae literaria probatur, ex qua scimus, nunquam defuisse viros doctos, qui illas apte digererent atque ad harmonicum revocarent systema [4]). Rationem posse **d.** multiplici analogia vel ipsis mysteriis lucem affundere discimus pariter ex historia literaria s. theologiae. Inductione enim constat, nullum esse mysterium, quod patres et theologi conati non sint analogiis derivatis ex creaturis illustrare, adeoque fuisse hac in parte felices, ut occasio nonnullis exstiterint erroris, qui analogiarum luce decepti sibi persuaserint, mysteria vel demonstrari vel comprehendi posse [5]). Rationis

---

[1]) Cf. supra n. 21. et th. LXXX, Mazzella disp. 4. a. 7. De rationis muneribus circa revelationem pluribus agit Leo XIII. in ep. cit., in qua inter alia docet: „Ac primo quidem philosophia, si rite a sapientibus usurpetur, iter ad veram fidem quodammodo sternere et munire valet, suorumque alumnorum animos ad revelationem suscipiendam convenienter praeparare: quam ob rem a veteribus modo ‚praevia ad christianam fidem institutio' (Clemens alex. strom. 1, 16; 7, 3), modo ‚christianismi praeludium et auxilium' (Origenes ad Greg. Thaumat.), modo ‚ad Evangelium paedagogus' (Clemens al. l. c. 1, 5) non immerito appellata est."

[2]) De Trin. l. 8. c. 8. [3]) 2. 2. q. 8. a. 8. ad 2.

[4]) Cf. Perrone praelect. t. 3. partis 3. sect. 1. c. 3. a. 2; Kleutgen Theol. der Vorzeit t. ult. disp. 5.

[5]) »Humana ratio, inquit s. Thomas l. 1. contra gent. c. 8, ad cognoscendam fidei veritatem, quae solum videntibus divinam substantiam potest esse

est **c.** suscepta semel fide pro viribus, modeste tamen, in mysteriorum aliqualem intelligentiam adniti in eaque proficere [1]). Quare patrum et theologorum axioma est: ‚Credo, ut intelligam', quod inferebant ex Is. 7, 9. secundum LXX: *Nisi credideritis, non intelligetis.*

658. „Absit namque, scribit Augustinus[2]), ut hoc in nobis Deus oderit, in quo nos reliquis animantibus excellentiores creavit. Absit, inquam, ut ideo credamus, ne rationem accipiamus sive quaeramus, cum etiam credere non possemus, nisi rationales animas haberemus. Ut ergo in quibusdam rebus ad doctrinam salutarem pertinentibus, quas ratione nondum percipere valemus, sed aliquando valebimus, fides praecedat rationem, qua cor mundetur, ut magnae rationis capiat et perferat lucem, hoc utique rationis est. Et ideo rationabiliter dictum est per prophetam: *Nisi credideritis, non intelligetis.*" Et Cyrillus alex.: „Postquam basis instar constituta fuerit in nobis simplex nec curiosa fides, super hac deinceps ac paulatim cognitio struitur, quae nos ad mensuram aetatis, quae in Christo est, et ad virum perfectum ac spiritualem attollit[3]).« Ideoque fidem vocat[4]) τροφὸν συνέσεως. „Sicut rectus ordo exigit, docet Anselmus[5]), ut profunda christianae fidei credamus, priusquam praesumamus ratione discutere: ita negligentiae mihi videtur, si postquam confirmati sumus in fide, non studemus quod credimus intelligere.« Eundem in sensum scribit Richardus a s. Victore de Trin. 1, 3: „Oportet quidem per fidem intrare, nec tamen in ipso statim introitu subsistere, sed semper ad interiora et profundiora intelligentiae properare et cum omni studio et summa diligentia insistere, ut ad eorum intelligentiam, quae per fidem tenemus, quotidianis incrementis proficere valeamus.« Ceterum hujus assertionis commentarius luculentus est universa theologia scholastica, cujus scopus est in primis profectus intelligentiae in fidei dogmatibus, de quo pulcherrime disserit Vincentius lirinensis commonit. c. 23. Quid vero de hoc profectu[6]) sit tenendum quidque cavendum, diximus n. 220 ss.

---

notissima, ita se habet, quod ad eam potest aliquis veras similitudines colligere: quae tamen non sufficiunt ad hoc, quod praedicta veritas quasi demonstrative vel per se intellecta comprehendatur. Utile tamen est, ut in hujusmodi rationibus quantumcunque debilibus se humana mens exerceat, dummodo desit comprehendendi vel demonstrandi praesumptio: quia de rebus altissimis etiam parva et debili consideratione posse aliquid inspicere, jucundissimum est.« Cf. conc. coloniense tit. 1. cap. 6; Guitmundus l. 1. n. 34. opusc. XXXVIII, 41.

[1]) Cf. verba conc. vaticani supra n. 226. [2]) Ep. 120. n. 3.

[3]) L. 4. in Jo. 6, 70. c. 4. [4]) Initio l. 6. de ador. in spir.

[5]) Cur Deus homo l. 2. c. 2: cf. de fide Trin. c. 2.

[6]) Cf. Scheeben, qui egregie de hisce disputat l. 1. § 47 ss., ubi inter alia **1.** adducit motiva, quae nos inducere debeant ad proficiendum in mysteriorum intelligentia, scil. **a.** voluntas Dei, qui etiam hunc in finem eas veritates revelavit; **b.** praestantia ipsarum veritatum: quo plenius enim ipsis imbuimur, eo propius ad finem nostrum accedimus; **c.** dignitas naturae rationalis, quae illarum cognitione perficitur; **d.** ipsa fidei utilitas et ejusdem **e.** momentum practicum. Fructus vero **2.** qui capitur ex tali profectu est **a.** pro vere fidelibus major in credendo gustus et claritas; **b.** pro infirmis in fide adjutorium; **c.** pro

659. Rationis est **f.** veritates revelatas argumentis aptis ex locis seu fontibus theologicis haustis comprobare et stabilire, quod factum esse theologiae historia ostendit. Rationis denique est **g.** dogmata tueri adversus exceptiones omnes, quod patres et theologi seculorum omnium egregie praestiterunt, nam „fides nostra, scribit Anselmus, contra impios ratione defendenda est . . . illis rationabiliter ostendendum est, quam irrationabiliter nos contemnant [1]." „Est quidem, inquit ad rem Clemens alex., per se perfecta et nullius indiga Salvatoris doctrina, cum sit Dei virtus et sapientia. Accedens autem graeca philosophia non veritatem facit potentiorem, sed cum debiles efficiat sophistarum adversus eam argumentationes et propulset dolosas adversus veritatem insidias, dicta est vineae apta sepes ac vallum [2]." Quae omnia confirmat Pius IX. auctoritate sua docens [3]: „Etsi enim fides sit supra rationem, nulla tamen vera dissensio nullumque dissidium inter ipsas inveniri unquam potest, cum ambae ab uno eodemque immutabilis aeternaeque veritatis fonte Deo Optimo Maximo oriantur, atque ita sibi mutuam opem ferant, ut recta ratio fidei veritatem demonstret, tueatur, defendat; fides vero rationem ab omnibus erro-

---

nondum credentibus qui bonae sint voluntatis motivum ad fidem disponens et inducens; **d.** incredulis obturatur os ne temere spernant fidei doctrinam. Innuit etiam **3.** semitam veluti, quam consectantes in dogmatum proficere possimus intelligentia: si scil. **a.** indagemus internam mysterii ejusque notarum vel proprietatum harmoniam et concentum; deinde **b.** concentum et nexum dogmatum inter se; denique **c.** eorum convenientiam sive cum perfectionibus divinis sive cum indigentiis naturae creatae.

[1]) L. 2. ep. 41. „Nam christianus, prosequitur ib., per fidem debet ad intellectum proficere, non per intellectum ad fidem accedere, aut si intelligere non valet, a fide recedere. Sed cum ad intellectum valet pertingere, delectatur; cum vero nequit, quod capere non potest veneratur." In eundem sensum scribit Hilarius de Trinit. l. 12. n. 20. citatis Colos. 2, 8 s.: „Cavendum igitur adversum philosophiam est, et humanarum traditionum non tam evitanda sunt studia quam refutanda. Neque enim his ita concedendum est, quasi vincant potius quam fallant: quia nos Christum Dei virtutem et Dei sapientiam praedicantes, aequum est humanas doctrinas non tam diffugere, quam refellere, et simpliciores, ne ab his spolientur, et obstruere et instruere . . . Fidem non nudam apostolus atque inopem rationis reliquit (2. Cor. 10, 4 s.), quae quamvis potissima ad salutem sit, tamen nisi per doctrinam instruatur, habebit quidem inter adversa tutum refugiendi recessum, non etiam retinebit constantem obnitendi securitatem . . . Contundendae sunt ergo insolentes adversus Deum disputationes et destruenda rationum fallacium munimenta et elevata ad impietatem ingenia conterenda." „Cum tu eam (sapientiam christianam), addit ad rem Clemens alex. Stromat. l. 1. c. 5, philosophia et multo prudenti rectoque ejusmodi sumptu, tamquam lorica, munieris, sophistis inaccessam servabis."

[2]) Strom. l. 1. c. 20. [3]) Lit. encycl. 9. Nov. 1846.

ribus liberet, eamque divinarum rerum cognitione mirifice illustret, confirmet atque perficiat." Et concilium vaticanum: „Neque solum fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret ejusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat [1]." Vere proinde statuit Augustinus [2]: „Huic scientiae tribuitur illud, quod fides saluberrima . . . gignitur, nutritur [3], defenditur et roboratur."

660. Tenendum est praeterea, si *revelatio* et *ratio,* fides et scientia, theologia et philosophia objective spectentur, *revelationem esse supra rationem,* fidem supra scientiam, theologiam supra philosophiam; et in hypothesi dissidii, rationem per revelationem, scientiam per fidem, philosophiam per theologiam esse corrigendam, cum inter veritates revelatas et rationales nulla esse possit (n. 645) pugna. Quare revelatio prae ratione, fides prae scientia, theologia prae philosophia normae instar est directricis et dominae. Quocirca Ecclesia, ut docet Pius IX. adversus Frohschammer, ex potestate sibi a divino suo Auctore commissa non solum jus, sed et officium praesertim habet non tolerandi, sed proscribendi ac damnandi omnes errores, si ita fidei integritas et animarum salus postulaverint; et omni philosopho, qui Ecclesiae filius esse velit, ac etiam philosophiae officium incumbit, nihil unquam dicere contra ea, quae Ecclesia docet, et ea retractare, de quibus Ecclesia eos monuerit. Sententiam autem, quae contrarium edocet, omnino erroneam et ipsi fidei, Ecclesiae ejusque auctoritati vel maxime injuriosam esse edicimus et declaramus [4]. Quae videntur

---

[1]) Sess. 3. cap. 4. de fid. et rat. [2]) De Trin. XIV, 1.

[3]) Gignitur, nutritur, inducendo, suadendo; ad quem l. advertit s. Thomas 2. 2. q. 6. a. 1. ad 1. „Dicendum, quod per scientiam gignitur fides et nutritur per modum exterioris persuasionis, quae fit ab aliqua scientia: sed principalis et propria causa fidei est id, quod interius movet ad assentiendum."

[4]) Ep. ad archiep. monac. 11. Dec. 1862, in qua praeclare doctrina catholica de habitu inter theologiam et philosophiam, revelationem et rationem exponitur (apud Denzinger Ench. symbolorum etc. n. 1524 ss.). Et in literis 21. Dec. 1863 hortatur idem pontifex, ut humana ratio finibus circumscripta vel in earum investigatione veritatum, quas propriis viribus et facultatibus assequi potest, veneretur maxime infallibile et increatum divini intellectus lumen, quod in christiana veritate relucet. „Quamvis enim naturales illae disciplinae suis propriis ratione cognitis principiis nitantur, catholici tamen earum cultores divinam revelationem velut rectricem stellam prae oculis habeant oportet, qua praelucente sibi a syrtibus et erroribus caveant, ubi in suis investigationibus et commentationibus animadvertant, posse se illis adduci, ut saepissime accidit, ad ea

adeo clara primisque sanae rationis principiis consona, ut mirum sit, quosdam, nostra praesertim aetate, de hac revelationis et fidei praerogativa dubitare potuisse.

661. Jam Clemens alex. statuit[1]) κυριωτέρα τῆς ἐπιστήμης ἡ πίστις καί ἐστιν αὐτῆς κριτήριον; et Anselmus: „Certus sum, inquit[2]), si quid dico, quod s. Scripturae absque dubio contradicat, quia falsum est, nec illud tenere volo, si cognovero.“ Quare non licebit philosopho effrenate in dogmata irruere revelata proque rationis lubitu eadem tractare: hoc enim esset, ut merito advertit Gregorius IX. in ep. ad doctores parisienses[3]), „redigere caput in caudam et cogere ancillae famulari reginam, videlicet documentis terrenis coeleste, quod est gratiae tribuendo naturae.“ Si ergo philosophia, „tractandis sacris eloquiis adhibetur, non debet jus magisterii sibimet arroganter arripere, sed velut ancilla dominae quodam famulatus obsequio subservire, ne si praecedit oberret, et dum exteriorum verborum sequitur censequentiam, intimae virtutis lumen et rectum veritatis tramitem perdat[4]).“ Quam ob rem Pius IX. statuit[5]): „Humanam rationem et philosophiam in religionis rebus non dominari, sed ancillari omnino debere,“ reprobavitque syllabi prop. 10: „Cum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille jus et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit: at philosophia neque potest, neque debet ulli sese submittere auctoritati;“ et 14: „Philosophia tractanda est nulla supernaturalis revelationis habita ratione.“ Cf. n. 384.

662. Relationem inter fidem et rationem quadruplici analogia illustrare licet: Revelatio se habet ad rationem, fides ad scientiam **1.** ut domina ad ancillam[6]). Sicut enim **a.** ancilla dominae viam praeparat, eam **b.** reveretur in propriis, seque **c.** illi instrumenti instar exhibet, quo domina utatur: ita ratio obsequitur revelationi, scientia fidei (n. 657 s.). Se habet **2.** ut sponsus ad sponsam. Licet enim **a.** ex eadem proficiscantur origine, ratio subordinatur revelationi; mutuo **b.** se adjuvant, complent, perficiunt, ut ex earum synthesi oriatur fides et theologia. Revelatio **c.** fecundat rationem, ratio excipit excolitque semen; copula **d.** oritur ex voluntario assensu rationis Deo per revelationem ad ipsam ex gratia se demittenti, et per eam **e.** nobilitatur, ditatur, perficitur, sed et ligatur et obligatur.

---

proferenda, quae plus minusve adversantur infallibili rerum veritati, quae a Deo revelatae fuere.“ Cf. Guilelmum ab. s. Theodorici († ante a. 1153) de sacr. alt. c. 12. (Mig. 180, 361).

[1]) Strom. l. 4. c. 4. [2]) Cur Deus homo l. 1. c. 18.

[3]) D. 7. Jul. 1223. [4]) P. Damianus opusc. 36. c. 5.

[5]) In lit. ad card. colon. 15. Jun. 1867.

[6]) Fusius haec evolvit Scheeben § 53. De prima comparatione cf. docte disserentem Clemens de scholasticorum sententia: philosophiam esse ancillam theologiae, Monasterii 1860.

Se habet **3.** ut Spiritus s. ad b. Mariam Virginem, et **4.** ut Verbum assumens ad naturam humanam assumptam; quae manens integra et inconfusa, retinens suam propriam operationem, non fuit tamen a Verbo independens suique juris, sed instrumentum illi obnoxium. Neque haec doctrina, quae colligitur ex verbis Pauli 2. Cor. 10, 4 s. (n. 360) et fluit ex rerum naturis, vel philosophiam evertit, vel injuriam ei aut damnum infert; intacta enim per eam manent **a.** principium cognitionis philosophicae; **b.** leges cogitandi, secundum quas ratio se evolvit ac cognitiones acquirit philosophicas; **c.** motivum proprium, cui innititur cognitio philosophica. Quod si normae instar est corrigentis errores, in quos forte philosophus inciderit, atque viae ducis illum in suis studiis dirigentis, hoc naturae et indoli philosophiae nullatenus adversatur. Quamdiu enim ratio humana est creata, finita, errori obnoxia, tamdiu probari non poterit philosophiam esse exlegem et independentem a ratione increata, ab ipsa veritate, quae revelando se manifestat. Qualis enim esset illa philosophia, quae utique amor et studium esse debet sapientiae, cujus objectum est veritas, quae intendit profundam veritatis cognitionem: si nullam rationem habeat ipsius veritatis increatae se ipsam manifestantis seque rationi proponentis, praesertim si ipse rationis usus ad cognitionem hujus manifestationis et propositionis velut manuducit? „Quapropter tantum abest, concludimus cum concilio vaticano sess. 3. cap. 4. de fide et ratione, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturae obsistat, ut hanc multis modis juvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit; fatetur imo, eas, quemadmodum a Deo, scientiarum Domino, profectae sunt, ita si rite pertractentur, a Deum, juvante ejus gratia, perducere. Nec sane ipsa vetat, ne hujusmodi disciplinae in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo; sed justam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinae doctrinae repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae, ea, quae sunt fidei, occupent et perturbent.“ Quod si philosophia prout decet rationem habet revelationis, ea munera circa eam obit, quae recensuimus n. 657 ss., et in id intenta est, ut ex suis principiis progrediens ad conclusiones perveniat illi consonas vel saltem non dissonas, christiana appellari potest, non in oppositione ad philosophiam rationalem: sed qua rationabiliter utens omnibus commodis, quae ex revelatione redundant in rationem, et propter spiritum et intentionem, quae illius usum dirigit et informat.

Sectio III.

De regula fidei.

663. *De objecto materiali fidei.* — Genesim fidei descripsimus, atque in actu fidei duplex distinximus elementum, objectum scil. materiale seu veritatem, quae creditur, et objectum seu motivum formale seu rationem, propter quam veritati propositae per fidem assentimus. Hoc motivum diximus esse non propositae veritatis evidentiam, sed auctoritatem Dei revelantis. Quaeritur autem quam late pateat objectum

fidei divinae materiale, et respondemus, omne id esse posse objectum materiale, quod a Deo est revelatum, ut per se patet. Ad eam vero fidem divinam, quae simul sit catholica, non sufficit, ut aliquid sit divinitus revelatum: requiritur praeterea, ut quod divinitus est revelatum, ab Ecclesia omnibus credendum proponatur ac velut applicetur. „Binas requiri conditiones, quae simul ad articulum fidei (catholicae) constituendum concurrant, nemo est theologorum, qui ignoret, inquit Perrone[1]), alteram intrinsecam, extrinsecam alteram. Prior est, ut quod ex fide est, in divina contineatur revelatione: ideo enim aliquid ex fide credimus, quia id revelavit Deus . . . Altera est propositio Ecclesiae, qua certi efficimur aliquid divinitus revelatum esse.“ Ideoque concilium vaticanum sess. 3. cap. 3. de fide docet: „Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni judicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur.“ Per hanc conditionem fit, ut revelatio semel facta tuto singulis applicetur, non intereat, sed vivere pergat, subtrahatur credentium arbitrio, magis exserat auctoritatem suam in fidelium mentem et ut connaturalius obtineatur omnium in credendo conspiratio et unitas[2]).

663ª. **Scholion.** *De fide divina, catholica, ecclesiastica.* — Differt ergo fides divina a fide catholica. Ad illam sufficit, ut objectum sit divinitus revelatum et ut de hac revelatione certo nobis constet; ad fidem autem catholicam, ad quam scil. omnia Ecclesiae membra obligantur, requiritur praeterea propositio Ecclesiae, quae omnino est necessaria, ut unitas fidei in Ecclesia vigeat. Ideo fides catholica semper est fides divina, quia Ecclesia nihil credendum proponere potest, nisi quod divinitus sit revelatum; sed non omnis fides divina est catholica, si scil. desit propositio Ecclesiae. Ita ille, cui revelatione privata aliquid manifestatur, poterit, imo debebit id credere fide divina, quam primum de revelationis facto certus redditur. Ita theologus ingenii sagacitate certus reddi potest veritatem aliquam vere contineri in divina revelatione, quamvis Ecclesia illam explicite credendam nondum proposuerit: qua in hypothesi poterit illam credere fide divina (scil. propter Dei revelantis auctoritatem), quamvis ea ex defectu propositionis ab aliis nondum sit credenda, imo citra haeresis peccatum negari possit. Sed quo pacto fideles se gerere debent circa revelationes personis piis factas? Eas **1.** credere non tenentur, cum fere nunquam certitudinem

---

[1]) In disquis. theol. de immaculato conceptu p. 2. c. 1.

[2]) Bene de hac conditione disputat Scheeben § 43, ubi simul animadvertit spiritum vere fidelis et catholici se prodere subjectione sub hac auctoritate fidem nostram regulante: sicut et haeresis se prodit rebellione erga hanc auctoritatem divinitus institutam, quatenus sibi fidem determinat et eligit (hinc nomen suum ab αἱρέω) pro lubitu.

habere possint de earum genuinitate; neque hanc **2.** praebet Ecclesiae approbatio, quae solet esse tantum negativa i. e. Ecclesia non declarat sua approbatione eas vere divinas, sed solum eas nil continere, quod adversetur fidei catholicae et bonis moribus ac propterea permittit, ut edantur ad fidelium institutionem et utilitatem[1]). Non propterea tamen **3.** licet eas spernere, cum possint esse divinae, cum probabiliter sint divinae, cum praesumptio stet pro illis (loquimur scil. de illis, quae passim in Ecclesia a viris piis et doctis pro revelationibus habentur). Imo **4.** licebit eas credere, quam primum certo de earum genuinitate constat (quod tamen rarum); quod si **5.** probabiliter tantum de hac constet, licebit pariter eas credere, sed hic assensus, cum non possit excludere prudenter omnem formidinem, non poterit esse super omnia firmus, ideoque non erit actus fidei theologicae, de qua hic loquimur, sed actus juxta prudentiae regulas. Praeter fidem divinam et catholicam loquuntur theologi etiam subinde de fide ecclesiastica, quae innititur infallibili auctoritati Ecclesiae ac pro objecto habet illa Ecclesiae judicia, quae versantur non circa veritates revelatas, sed circa ea, quae diximus cum revelatione connexa ac propterea ecclesiasiastico magisterio obnoxia (n. 382 ss. et infra n. 674). Haec fides dicitur mediate divina, quia illius assensus innititur infallibili Ecclesiae auctoritati, quam fide divina et catholica credimus.

664. *Quid revelatum censeri possit.* — Revelatio ergo est principium constitutivum (materiale) et regula fidei catholicae: sed quia per se non sufficit ad fidem catholicam citra Ecclesiae propositionem, est regula nonnisi remota; Ecclesiae vero propositio regula directiva et proxima. De utraque regula nonnulla sunt dicenda. Ut aliquid fide catholica credi possit ac debeat, necesse est, ut christiana contineatur revelatione, quae comprehenditur verbo Dei scripto et tradito, ut tract. II. ostendimus. Sed jam oritur quaestio satis implexa, quoadusque revelatio se porrigat, quae omnia et singula revelata censeri possint. Pro hujus quaestionis solutione haec prae oculis habeantur: **1.** Formaliter revelatum illud dicitur, quod ipsa locutione significatur seu quod a loquente dicitur vi significationis terminorum juxta sensum ab ipso intentum et manifestam ejus intentionem. Revelari autem potest formaliter aliqua veritas vel **a.** explicite, si eam termini per sese, immediate, clare enunciant; vel **b.** implicite, aequivalenter, per verborum adsignificationem, si scil. continetur in explicite revelato per identitatem realem et logicam sive totalem sive partialem, seu ita ut sine illa propositio explicite revelata intelligi nequeat. Ita cum revelatum est Christum esse hominem, formaliter explicite i. e. vere ac proprie revelatum est, eum revera esse hominem seu id quod hominis nomine intelligere solemus; implicite vero, eum esse animal rationale, constare anima et corpore; si revelatum est, in divinis vere

---

[1]) Cf. Benedictus XIV. de canoniz. SS. l. 2. c. 32. n. 11.

esse Filium, implicite, sed formaliter revelatum est, esse et Patrem. **2.** Illud dicitur virtualiter seu mediate tantum revelatum, quod non est formaliter idem cum revelato, sed eo tantum continetur tamquam in principio, causa, radice, vel ita cum eo connectitur, ut per legitimam consequentiam necessario inde possit inferri [1]).

665. De ratione locutionis **3.** seu revelationis, quatenus cum locutione identificatur, est, ut ordinetur per se et immediate ad manifestandam alicui loquentis mentem. „Nihil enim aliud est loqui ad alterum, inquit s. Thomas [2]), quam conceptum mentis alteri manifestare.“ Illud ergo tantum propter revelationem seu locutionem alterius credi potest, quod is reipsa manifestat et manifestare intendit. Quare cum quaeritur, utrum veritas aliqua explicite et formaliter non revelata, sed implicite contenta in altera certe revelata, credi possit vel etiam debeat: inquirendum est (nisi solemnis adsit et authentica Ecclesiae declaratio), utrum omnibus expensis judicare possit, Deum unam propositionem revelando, intendisse revelare et alteram. **4.** Objectum fidei materiale aliud est quoad se, aliud quoad nos [3]). Est objectum materiale quoad se, si est quidem revelatum, sed nondum satis constat vel de ipsa revelatione, ita ut ad credendum obligemur, vel de ejusdem sensu: quod si de revelatione deque ejus sensu satis constet, erit etiam objectum fidei quoad nos. Ut autem sit objectum fidei catholicae, constare de ea debet per Ecclesiae propositionem. **5.** Aliud est aliquam veritatem esse credibilem seu quae possit credi fide divina; aliud eam esse credendam seu quae debeat credi. Ad illud sufficit, ut veritas sit revelata habeaturque sufficiens de ejus revelatione notitia; cum enim hoc casu adsint objectum materiale et formale et sufficiens utriusque applicatio seu omnia ad fidem requisita, elici poterit actus fidei. Ad alterum requiritur etiam notitia intentionis divinae nos ad credendum obligantis, quae habetur eo ipso, quod revelatio ad nos immediate vel mediate dirigatur: alioquin non tenemur positivum fidei actum elicere, quamvis nunquam liceat illud respuere, cum id in gravem Dei cederet injuriam.

---

[1]) Cf. Kilber in theol. wirceburg. t. 4. de virtutibus theol. disp. 2. c. 1.

[2]) 1. p. q. 107. a. 1. Ceterum de subtili discrimine inter locutionem et revelationem cf. de Lugo disp. 1. de fide sect. 10.

[3]) Apto exemplo illustrat hanc distinctionem de Lugo disp. 1. sect. 13. § 3. n. 302. iis, quae legimus Dan. 5, 25. Objectum enim illorum verborum *Mane, Thekel, Phares,* utpote a Deo revelatum, erat secundum se objectum fidei, sed quamdiu rex Balthasar illud ignorabat, non poterat ipsum credere: jam accedente Danielis authentica interpretatione factum est objectum fidei pro ipso rege. Ita omnia quae divina continentur revelatione, jam de se sunt de fide: sed per Ecclesiae propositionem etiam quoad nos fiunt de fide.

666. Quibus praemissis jam ad *quaestiones* aliquot *particulares* respondeamus. Si quaeritur **1.** quaenam veritates constituant objectum fidei materiale, respondemus, veritates omnes formaliter sive explicite sive implicite revelatas[1]). Quaeritur **2.** utrum revelata propositione universali, propositiones particulares, quae ea continentur, sint de fide, ex. gr. utrum sit de fide, Petrum esse in peccato originali conceptum, cum revelatum sit omnes homines eidem peccato esse obnoxios. Respondemus **a.** propositionem particularem esse objective (quoad se) de fide[2]), eamque posse credi,quam primum certum est, ipsam vere contineri propositione universali; non tamen **b.** teneri fideles, ut laborent in eliciendo actu fidei circa ejusmodi propositionem particularem, sed teneri **c.** eam non negare, et **d.** practice credere, praesertim si propositio particularis circa ipsos versetur et ab hac fide vita christiana pendeat[3]); **e.** explicite etiam credere, si specialis accederet Ecclesiae propositio, ut cum agitur de romano pontifice, qui ab Ecclesia proponitur tamquam legitimus Petri successor, ideoque primatus praerogativa insignis[4]):

---

[1]) Quaenam censeri possint formaliter, sed implicite revelata, accurate recensent fratres Walenburch examine III. de princip. catholic. § 3. Huc spectant proprietates vel partes essentiales, quae sunt de notione alicujus rei; correlata: ita si revelatum est in divinis esse Filium, revelatum est esse et Patrem; negatio eorum, quae contradictorie opponuntur: ita si est revelatum, septem esse sacramenta, revelatum est non esse duo tantum etc.; propositiones particnlares, e quibus universalis coalescit: ita cum revelatum sit, apostolos omnes accepisse Spiritum s., revelatum est etiam Matthiam ap. illum accepisse. Cf. Denzinger 2, 511; Mazzella disp. 2. a. 9.

[2]) „Communis sententia concedit objectum illud particulare contentum in universali revelata pertinere ad fidem, quam tenent Canus, Vega, Valentia et alii, quos affert et sequitur Suarez disp. 3. sect. 11. et alii, quos addit et sequitur Hurtado late eam sententiam probans disp. 11. sect. 11, quia qui affirmat propositionem universalem, affirmat omnia singularia ibi contenta.“ Ita de Lugo disp. 1. sect. 13. § 3. n. 298. Negat vero Schrader de theologia generatim commentarii n. 66. annot. 4, »cum ista confusa, quam vocant, comprehensio in universali vero revelato non sufficiat.«

[3]) Ita parentes tenentur practice credere filios suos esse peccato originali infectos, ut de eorum baptismo sint solliciti; peccator gravis criminis certo reus, tenetur credere se esse in statu peccati, ut ad justificationem se serio disponat etc. Et haec quidem absolute sunt tenenda; aliud est, si comprehensio propositionis particularis in universali a multiplici pendet conditione, ut ex. gr. haec hostia consecrata est corpus Christi. De fide quidem est **a.** propositio universalis: omnis hostia rite consecrata est corpus Christi; **b.** propositio particularis sub conditione est de fide: haec hostia, si rite est consecrata, est corpus Christi; non vero **c.** absolute, quia nunquam potest haberi sufficiens certitudo, eam rite esse consecratam: hoc enim a plurimis pendet conditionibus; propterea tamen **d.** ea non sub conditione (actu concepta) est adoranda: actus enim fidei absolutus exigit exclusionem omnis dubii, non vero actus virtutis moralis, cujusmodi est adoratio. Cf. n. 625.

[4]) Est quaestio inter theologos, utrum sit de fide, hunc N. N. esse verum legitimumque pontificem. Pro sententia negante afferuntur a Suarez disp. 10. sect. 6. Turrecremata, Albertinus, Cajetanus, Bannez, Canus,

propterea enim revelata est universalis, ut accedente Ecclesiae propositione de singulis sciamus quid tenendum sit. Quaeritur **3.** utrum illatio, quae ex duplici praemissa revelata vel ex una revelata, altera naturaliter evidenti infertur, sit objectum fidei divinae. Respondemus: Non est objectum fidei divinae, si ratio assensus saltem partialis est bonitas illationis vel praemissa altera non revelata: quia tunc assensus non amplius innititur sola auctoritate Dei revelantis; formalis vero tendentia actus fidei divinae est essentialiter haec: Credo hoc, quia Deus id dixit; seu aliis verbis: conclusio ejusmodi non est de fide, si syllogismus est illativus: est vel saltem poterit esse de fide, si syllogismus est tantum explicativus, si scilicet una ex praemissis adhibetur ad explicandum, quid in altera revelata implicite ex loquentis intentione contineatur. In priori tamen casu conclusio dicitur theologica, cujus certitudo minor quidem est ea, qua praedita est conclusio de fide, major tamen certitudine conclusionis non theologicae. Qui eam negaret, posset praesumi haereticus, quia non praesumitur negare illationem vel principium evidens naturale, sed praemissam revelatam.

667. *De Ecclesiae propositione.* — Hactenus de materiali fidei objecto. Jam aliquid dicendum de ea conditione, quae necessaria prorsus est, ut aliqua veritas revelata objectum sit fidei catholicae (n. 663), scil. de Ecclesiae propositione, de qua pariter certo nobis constare debet. Quaeritur autem **1.** quomodo Ecclesia doctrinam aliquam revelatam proponat, adeo ut fideles teneantur illam fide credere catholica, seu cujusmodi sit haec Ecclesiae propositio. Cui quaestioni ut satisfaciamus, adverti debet, duplex esse Ecclesiae magisterium seu docendi modum, alterum extraordinarium et solemnem, qui rarius et nonnisi adjunctis cogentibus exercetur; quotidianum alterum, ordinarium, consistentem in ipsa jugi Ecclesiae praedicatione. Ideoque aliter atque aliter Ecclesia ea, quae fide catholica tenenda sunt a fidelibus, credenda proponit; ea scil. proponit **a.** per conciliorum oecumenicorum definitiones; **b.** editis symbolis et fidei professionibus; **c.** per romanorum pontificum definitionem, quae sit ex cathedra; **d.** per decreta conciliorum provincialium, quae sint approbata a ro-

---

Vega, Corduba, Castro et alii. Negare etiam videtur Schrader l. c. „Contrariam sententiam, inquit Lugo p. 1. sect. 15. § 5. n. 326, docent nostri doctores. Recentiores communiter . . . quam ego etiam sententiam veram existimo, et supponi videtur in decreto Martini V., quod factum fuit in concilio constantiensi,“ scil. jubetur suspectus de erroribus Wicleffi et Huss interrogari (a. 24): „Item utrum *credat,* quod papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso, sit successor b. Petri habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei.“ Dissensus non est tanti momenti, cum ii theologi, qui negant id esse de fide, tueantur tamen id tenendum esse assensu infallibili tamquam factum dogmaticum, in quo stabiliendo Ecclesia sit infallibilis. Cf. n. 388. et plura huc spectantia apud Liv. Meyer hist. controv. de auxiliis l. 4. c. 36.

mano pontifice approbatione non tantum in forma simplici [1]), sed in forma solemni, seu quae ab universa Ecclesia sint recepta [2]). Et hi sunt modi solemniores, quibus Ecclesia in proponendis fidei dogmatibus utitur; sed praeter hos plura credenda proponit Ecclesia suo magisterio ordinario, quod consentiente et jugi pastorum praedicatione continetur et magna saltem ex parte concretum et practicum redditur ipso cultu ex praxi Ecclesiae. Gravissimus enim foret error ipsa Ecclesiae fundamenta subvertens, si quis contenderet, ea tantum esse credenda, quae solemni modo credenda proponuntur; nam hac in hypothesi primis Ecclesiae seculis nil fere fuisset credendum [3]). Quapropter Pius IX. in literis ad archiep. monacensem 21. Dec. 1863. docet: „Etiamsi ageretur de illa subjectione, quae fidei divinae actu est praestanda, limitanda non esset ad ea, quae expressis oecumenicorum conciliorum aut romanorum pontificum hujusque apostolicae sedis decretis definita sunt, sed ad ea quoque extendenda, quae ordinario totius Ecclesiae per orbem dispersae magisterio tamquam divinitus revelata traduntur, ideoque universali et constanti consensu a catholicis theologis ad fidem pertinere retinentur."

668. Quaeritur 2. *quomodo cognoscatur propositio Ecclesiae,* seu quomodo cognoscatur aliquid ab Ecclesia ut fidei catholicae dogma propositum esse ab omnibus credendum. Respondemus, multiplici modo Ecclesiae innotescere propositionem. Sane propositio illa solemnis, cujus quatuor species n. praecedenti recensuimus, per se atque sponte sua innotescit, nec notae requiruntur (saltem plerumque), ut dignoscatur.

Claritatis tamen gratia juverit aliqua animadvertisse. Nimirum non omnia, quae in decretis canonibusque conciliorum oecumenicorum romano-

---

[1]) Qualis scil. est approbatio, qua modo acta conciliorum provincialium Romae a s. congregatione concilii approbari solent. Quae duplex est, alia in communi, qua significatur tantum acta visa fuisse, servatam fuisse legem de referendis actis ad sedem apostolicam, sed nulla additur nova vis actis et decretis, quae proinde ad summum habet vim negativam, vim testandi nil contineri actis, quod sit contra fidem. Alia est specifica, qua sanantur defectus, qui forte in condendis decretis irrepserint. Cf. Bouix de curia romana p. 472 ss.

[2]) Cujusmodi sunt concilia milevitanum II. et carthaginense a. 418. adversus pelagianos; arausicanum II. adversus semipelagianos, ebrodunense adversus jansenianos (1727) approbatum a Benedicto XIII. etc.

[3]) Sane plura de Ecclesia nunquam solemniter fuere definita, ut eam esse visibilem, indefectibilem etc.; de eucharistia nil solemniter definitum fuit usque ad sec. X. et ita de pluribus Ecclesiae dogmatibus, quae tamen semper credebantur etiam explicite. Cf. supra verba conc. vaticani n. 663; Kleutgen, Theol. der Vorzeit t. 1. n. 57 ss.; Scheeben n. 403 s.; 423. 433.

rumque pontificum leguntur, fidei catholicae constituunt objectum, sed nonnisi ea, in quae definitio directe et immediate cadit. Sed quomodo haec dignoscuntur? Varia statuunt theologi criteria. Advertunt scil. **a.** attendendam esse concilii intentionem. Si constet, concilium noluisse aliquam dirimere controversiam, quamvis deinde in ipsius decretis reperiantur nonnulla, ex quibus per illationem una ex pluribus confirmari possit sententia, ea tamen propterea definita dici nequit[1]). Ideoque **b.** definitionis verba strictioris sunt interpretationis i. e. is tantum sensus per se censeri debet definitus, qui sufficit et requiritur ad verificanda definitionis verba secundum sanae interpretationis regulas. Si constet **c.** de concilii vel romani pontificis intentione proponendi fidem catholicam, etiamsi concilium non utatur canonis forma sed decreti, decretum erit de fide. Quocirca errant, qui putant, solum canones concilii tridentini (et vaticani), non vero decreta esse de fide. Dogmata certe catholica continentur illius decretis sess. 4. 6. 13. 14. 21—23. et 25. **d.** de concilii intentione judicare licet ex haereticis, quorum errores damnat. Ea vero **e.** non sunt de fide, quae concilium confirmationis illustrationisque gratia adducit, nisi diserte declaret, hunc esse genuinum textus Scripturae quo utitur sensum; tunc enim authenticam praebet ipsius interpretationem[2]). Neque verba ipsa ad fidem spectant, sed eorum sensus, nisi definitio sit de ipso verbo. Licet **f.** anathema in contrarium sentientes definitionis sit nota, excommunicationis tamen poena in contrarium docentes per se non est definitionis argumentum, cum Ecclesia possit ad bonum commune sub gravi poena subinde prohibere, quominus aliqua doctrina, etiamsi non sit haeretica, publice doceatur. **g.** Ea quae contradictorie opponuntur definitae veritati vel formaliter implicite continentur[3]), censeri debent pariter definita.

669. Ecclesiae propositio, qua magisterio suo quotidiano minusque solemni plura credenda proponit, satis quoque se ipsa innotescit, consensu scil. pastorum et patrum, consensu theologorum, praxi Ecclesiae, catechismis, instructionibus pastoralibus etc.

670. Ex dictis sequuntur nonnulla *corollaria.* **1.** Cum id omne spectet ad fidem catholicam, quod divinitus revelatum est et ab Ecclesia omnibus credendum proponitur, cumque Ecclesia s. Scripturam tamquam Dei verbum omnibus proponat fidelibus; sequitur, absque ulla ulteriore Ecclesiae decla-

---

[1]) Ita quamvis satis efficaciter ex concilii tridentini sess. 14. cap. 4. demonstrari possit sufficientia attritionis ex metu gehennae conceptae cum sacramento poenitentiae ad justificationem, tamen quia concilium noluit hanc doctrinam definire, ea censeri nequit fidei dogma.

[2]) Ita cum concilium tridentinum sess. 7. can. 2. definit verba Jesu Christi Joan. 3, 5. non metaphorice esse intelligenda, sed de aqua naturali, authenticam hujus textus dedit interpretationem.

[3]) Cf. supra n. 664. 666. Quod si graves theologi inter se dissentiant, utrum aliquid ab Ecclesia sit definitum, haberi illud nequit dogma proprie dictum catholicum. Nam ad hoc requiritur non solum certa revelatio, sed et certa propositio ex parte Ecclesiae, quae censeri nequit certa, si theologi vere graves probeque catholici de ea inter se dissentiant.

ratione vel interpretatione pertinere ad fidem catholicam omnia illa, quae in divinis literis ita clare continentur, ut a nemine negari possint, nisi ab eo, qui vel s. Scripturam abjiciat vel rationem exuat. Haec est communis theologorum sententia, quam ita enunciat de Lugo: „Ecclesia clare et manifeste proponit credendam s. Scripturam et omnia et singularia ea contenta. Si ergo manifeste constat, aliquid in s. Scriptura contineri, aeque manifeste constare debet, id ab Ecclesia nobis credendum proponi[1]).“ Prae oculis tamen habeantur, quae docet s. Thomas in 1. Cor. 11. lect. 4: „Pertinet autem aliquid ad disciplinam fidei dupliciter. Uno modo directe, sicut articuli fidei, qui per se credendi proponuntur, unde error circa eos secundum se facit haereticum, si pertinacia adsit... Quaedam vero indirecte pertinent ad fidei disciplinam, in quantum scil. ipsa non proponuntur ut propter se credenda, sed ex negatione eorum sequitur aliquid contrarium fidei; sicut si negatur Isaac fuisse filius Abrahae, sequitur aliquid contrarium fidei, scil. s. Scripturam continere aliquid falsi. Ex talibus autem non judicatur aliquis haereticus, nisi adeo pertinaciter perseveret, quod ab errore non recedat, etiam viso quid ex hoc sequatur.“

671. Sequitur **2.** fieri posse, ut aliquis sit vereh aereticus formalis ante solemnem sui erroris condemnationem, si scil. neget veritatem aliquam revelatam jam antea satis ab Ecclesia magisterio suo quotidiano credentium fidei propositam. Neque propterea conciliorum celebratio solemnisque haeresis condemnatio reddetur inutilis, sed erit admodum opportuna sive ad uberiorem fidei catholicae illustrationem, confirmationem, propositionem, sive ad majorem fidelium cautelam, sive ad omnem adversariis excusationem praecludendam. Cf. n. 588.

672. Hactenus de dogmate[2]) catholico, quod a fidelibus fide divina et catholica est credendum. Praeter dogmata autem plura alia sunt tenenda a fidelibus, praesertim a theologis, quae quidem per se vel formaliter non sunt revelata, sed intimo nexu cum veritatibus revelatis cohaerent, et quae propterea magno consensu docentur in Ecclesia et quandoque ab Ecclesia authentico statuuntur judicio, directe vel indirecte pronunciata censura in opiniones contrarias. Quocirca Pius IX. confirmans decreta conc. vaticani sess. 3. ita concludit: „Quoniam vero satis non est, haereticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt; omnes officii monemus, servandi etiam constitutiones et decreta, quibus pravae

---

[1]) Disp. 20. s. 2. n. 58. Cf. Scheeben § 5. de variis objecti revelati distinctionibus.

[2]) De dogmatis notione, acceptione, divisione cf. Scheeben l. 1. § 29. n. 418 ss. Ex communi autem theologorum placito post d. Thomam 1. 2. q. 1. a. 6. nomine dogmatis intelligitur quaecunque veritas a Deo utcunque revelata et per Ecclesiam proposita: nomine vero *articuli* principalis dumtaxat fidei veritas omnibus ad explicite credendum proposita et quae distinctam contineat difficultatem: cujusmodi sunt dogmata, quae articulatim in symbolo apostolico recitamus.

ejusmodi opiniones, quae isthic diserte non enumerantur, ab hac sancta sede proscriptae et prohibitae sunt." Cf. n. 382.

673. *De doctrina catholica.* — Quare duplex distingui potest et debet doctrinae catholicae acceptio, altera angustior, laxior altera. Pressius accepta doctrina catholica idem est ac fides catholica (objective) et complectitur omne id, quod fide catholica est credendum; laxiori vero significatione adhibita complectitur praeter dogmata catholica alia, quae n. praecedenti indicavimus, quae non tam constituunt normam credendi, quam potius normam cogitandi et judicandi [1]). Ut vero hujus normae catholice sentiendi ambitus rite definiatur, recolenda sunt ea quae de objecto magisterii ecclesiastici statuimus; quaedam etiam addenda de censuris, quibus Ecclesia revelationis depositum tuetur atque adversus omnes opiniones noxias sepit, de subjecto magisterii ecclesiastici deque assensu, qui variis Ecclesiae judiciis debetur.

674. *De objecto magisterii ecclesiastici.* — Ostendimus nimirum magisterii ecclesiastici infallibilitatem immediate quidem tantum ad revelationis depositum se extendere (n. 380), mediate vero ad omnia ea, quae cum revelatione ita cohaerent, ut nisi ea in tuto sint, ipsum revelationis depositum in discrimen vocetur (n. 382). Si autem quaeris, quaenam ita cum revelatione sint connexa, ut propterea saltem indirecte ad infallibilitatis ecclesiasticae objectum spectent, respondemus, nonnulla cum illa esse connexa **1.** praesuppositive, et quidem vel logice, ut plures veritates philosophicae (n. 384), vel historice, ut quaedam facta, quae propterea dogmatica dicuntur (n. 388); vel exegetice ut textus dogmatici qui ante intelligi debent quam dijudicari possint; **2.** consecutive, ut conclusiones ex principiis fidei ope principiorum rationis deductae, ad quas revelatio in agrum mentis pinguem i. e. sagacem, solertem, veri cupidam et amantem recepta

---

[1]) Cf. Scheeben § 28 s. Nomen doctrinae catholicae latiori adhuc sensu potest accipi, pro ea scil. doctrina, quae quidem magno consensu a theologis docetur, ab ipsa vero Ecclesia nunquam authentico aliquo decreto fuit sancita, ut ex. gr. omnibus hominibus adesse suum angelum custodem, non deesse gratiam ad salutem sufficientem; imo sensu latissimo (et negativo) significat quamlibet doctrinam, quae non adversatur doctrinae Ecclesiae, quamque quilibet theologus catholicus tuto defendere et amplecti potest, quin tamen ad hoc teneatur. Quo sensu duae sententiae plane contrariae dici possunt catholicae, ut praedestinatio ante et post praevisa merita; gratia ex sese efficax et ab extrinseco efficax etc. Ex iis autem, quae hic disputavimus, patebit, quam reprehendendi sint illi theologi, qui omnia ea, quae non constituunt dogmata fidei catholicae, adiaphoris videntur accensere, quae proinde licite negari vel in dubium possint vocari, quos merito Kleutgen l. c. n. 88. graviter carpit.

sponte sua allicit, inducit ac propemodum propellit (cf. n. 222 et 383); **3.** habitu consonantiae vel dissonantiae, ut variae doctrinae; denique **4.** finaliter seu habitu medii ad finem revelationis, qui est major Dei gloria, Ecclesiae bonum, animarum salus, ut variae leges disciplinae, vivendi formae (ordines religiosi) etc.

675. *De censura theologica.* — Quaeritur jam quid sit censura theologica. Censura theologica a theologis praeeunte Antonio de Panormo[1]) definitur: Judicium seu sententia, qua nota prava et maligna cuidam doctrinae inuritur tamquam fidei aliquo modo noxiae. A censura morum differt materia, quod haec circa mores, circa doctrinam illa versetur; differt forma a censura mere doctrinali, quae per modum prudentis judicii pronunciatur a theologis, qui pro sua sacrae doctrinae peritia satis idonei sunt ad discernendum verum a falso et rectum a pravo; nam non solum theoretice, sed authentice stigmate notat alicujus doctrinae pretium objectivum ratione habita doctrinae revelatae, enunciat illius professione violari ordinem moralem, eam esse illicitam, ideoque ad eam cavendam obligat. Et sane illicitum est vel minima ex parte doctrinam laedere catholicam, quae plane sancta est et quidem **a.** materialiter, complectitur enim veritates sanctas; et **b.** formaliter utpote doctrina divina tam ratione originis quam quia nomine Dei atque sub assistentia s. Spiritus proponitur; et **c.** efficienter seu virtualiter, cum ad vitae sanctitatem efficienter conducat. Censura differt a mera doctrinae prohibitione quia haec non semper supponit vitium doctrinae inhaerens.

676. *Censurarum varii gradus.* — Sicut autem non omnes morbi ex aequo saluti opponuntur, ita et doctrinae falsae vel noxiae non omnes ex aequo adversantur fidei; quare varii distinguuntur censurarum gradus[2]). Praecipuas recensebimus, in quarum tamen explicatione

---

[1]) Scrutinii doctrinarum l. 1. a. 2. Praeter hunc auctorem classicum cf. Montagne de censuris seu notis theologicis (Migne theol. cursu completo 1, 1111 s.); Kleutgen l. c. t. 1. n. 81 ss.; Scheeben Handb. der k. Dogm. § 30; Mazzella disp. 2. a. 10; Heinrich § 110. etc.

[2]) Praecipuas censurarum species complexus est Clemens XI. in bulla ‚Unigenitus', damnans Quesnelli propositiones „tamquam falsas, captiosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ecclesiae et ejus praxi injuriosas, neque in Ecclesiam solum, sed etiam in potestates seculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectas de haeresi ac haeresim ipsam sapientes, necnon haereticis et haeresibus, ac etiam schismati faventes, erroneas, haeresi proximas, pluries damnatas ac demum haereticas variasque haereses, et quidem in eo sensu, in quo hae damnatae fuerunt . . . manifesto innovantes." Ex his plures explicatione non indigent, cum ex ipso pateant nomine. Montagne l. c. art. 2. § 9. praeeunte Ant. de Panormo recenset 69 censu-

theologi subinde nonnihil dissentiunt. Dicitur **1.** aliqua propositio haeretica, si directe et immediate adversatur veritati revelatae et ab Ecclesia ad credendum certo propositae. Dicitur **2.** erronea, si opponitur non veritati in se et formaliter revelatae, sed veritati, quae ratione evidenter ex dogmate colligitur, quae proinde dogmati non immediate, sed mediate, mediante conclusione inde legitime deducta, adversatur. Dicitur **3.** haeresi proxima, si vel ipsum dogma, cui dicitur opponi, non est supra omne dubium, eo quod scilicet Ecclesiae propositio non sit supra omne dubium manifesta, seu si veritas, cui adversatur, est tantum fidei proxima [1]), vel si oppositio cum dogmate non plane est evidens. Hinc explicatur **4.** quid sit propositio errori proxima. Dicitur **5.** haeresim sapiens, vel de haeresi suspecta, si propositio est aequivoca, duplicem admittens sensum, catholicum et haereticum, ita tamen, ut sensus haereticus praevaleat, sive ratione ipsorum verborum, sive ratione adjunctorum. Dicitur **6.** temeraria, quae adversatur sententiae in Ecclesia communiter receptae, quaeque nulla ratione probabili innititur [2]). Huc spectant propositiones, quae adversantur auctoritati in Ecclesia magnae, sed non infallibili, ut sententiae theologorum gravissimorum communi, concilii particularis, congregationum romanarum, quae de doctrina judicant, etc.

677. *Quae de censuris tenenda sint.* — Reliqua, quae ad censuras spectant, ad haec revocari possunt capita: **1.** Potestas authentice pronunciandi censuras [3]), est, ut per se patet, penes magisterium ecclesia-

---

rarum species, quae decursu temporis a conciliis, romanis pontificibus necnon a facultatibus theologicis adhibitae fuere.

[1]) Fidei proxima illa dicitur veritas, quae ex theologorum consensu continetur divina revelatione, cui tantum deest ad hoc, ut sit dogma, Ecclesiae propositio, uti erat diu (non tamen semper) ante Pii IX. definitionem veritas de immaculata b. Mariae V. conceptione.

[2]) Haec est propositio positive temeraria; quod si tali auctoritati non refragetur, sed careat omni fundamento probabili, spectet autem ad argumentum vere theologicum, dicitur temeraria negative, ut si quis contenderet, alium sanctum praeter b. Mariam V. habuisse privilegium, quo immunis esset a quovis peccato veniali. Per se patet unam eandemque propositionem pro vario habitu ad diversa doctrinae revelatae capita plures merere posse censuras.

[3]) Censuram doctrinalem ferre possunt theologi, quod jus olim frequenter, graviter et utilissime exercebant sacrae universitatum facultates, non quidem in oppositione cum magisterio ecclesiastico, sed sub directione, consensione cumque approbatione ejusdem. Est tamen privatis theologis prohibitum opinionibus, quae in scholis libere defenduntur, ullam inurere proprii nominis censuram, non secus ac imprudens certe temerariumque foret, meras opiniones tamquam de fide certas

sticum. **2.** Fideles sub gravi tenentur ad amplectendam censuram, nam ejus objectum est grave, finis summi momenti, intentio Ecclesiae opiniones noxias sub gravi prohibentis manifesta. **3.** Ecclesia in ferendis censuris est infallibilis (n. 382); in quo ita consentiunt theologi, ut disputent tantum de eo, utrum opinio opposita sit haeretica, an erronea vel saltem temeraria. **4.** Censurae non solum obligant ratione obedientiae, quam debemus Ecclesiae; sed etiam quod ex ejus judicio infallibili discimus, propositiones censura notatas revera esse reprobandas. Si vero **5.** propositiones in globo, ut dicitur, damnantur, tenendum est, earum nullam esse, quae non saltem unam ex subjectis censuris mereat, nullamque esse ex recensitis censuris, quae non saltem uni ex damnatis conveniat propositionibus. Neque ejusmodi damnatio in globo est incongrua, sicut nec prohibitio medici, qui pluribus cibis infirmo prohibitis propter malignos eorundem effectus, non curat singulorum determinare proprium effectum noxium. Sufficit prudenti infirmo, ut ab omnibus cibis ita notatis sibi caveat. **6.** Eo ipso quod tenemur has respuere propositiones, non sequitur, doctrinam contradictorie oppositam tamquam revelatam vel fidei dogma amplectendam esse, nisi propositio, cui opponitur, damnata fuerit ut haeretica; sed ut doctrinam sanam, quae tenenda est propter infallibilem Ecclesiae in docendo auctoritatem, estque proinde objectum fidei ecclesiasticae.

678. Haec sunt, circa quae praestantiores theologi consentiunt. Quod vero majoris est momenti, eadem magna ex parte recentiori praesertim aetate ab Ecclesia authentice sancita sunt. Ita enim docet Pius IX. in literis ad archiep. monacensem: »Ecquis non videt, quam vehementer sit rejicienda, reprobanda et omnino damnanda hujusmodi Frohschammer sententia atque doctrina? Etenim Ecclesia ex divina sua institutione et divinae fidei depositum integrum inviolatumque diligentissime custodire, et animarum saluti summo studio debet continenter advigilare, ac summa cura ea omnia amovere et eliminare, quae vel fidei adversari, vel animarum salutem quovis modo in discrimen adducere possunt[1].« Sequuntur deinde verba illa gravissima, quae habes n. 660. Concilium vero ebrodunense a Benedicto XIII. anno 1727. plenissime approbatum de bulla ‚Unigenitus,‘ qua 101 propositiones Quesnelli censuris notantur, docet: »Constitutio ‚Unigenitus‘ est dogmaticum, definitivum et irretractabile judicium illius Ecclesiae, de qua divino ore dictum est: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Si quis igitur eidem constitutioni corde et animo non acquiescit aut veram et sinceram obedientiam non praestat, inter eos habetur, qui circa fidem naufragaverunt.« Denique ii, qui errorum Wicleff et Huss suspecti habentur, interrogandi

---

propria auctoritate asserere. Cf. clausulam decreti, quo Innocentius XI. proscripsit 65 prop. apud Denzinger ench. symb. n. 1083. col. n. 1017. 964.

[1]) D. 11. Dec. 1862; doctrinam conc. vat. cf. supra n. 384.

sunt ex mandato Martini V. art. 11: »Item specialiter literatus interrogetur, utrum credat, sententiam sacri constantiensis concilii super quadraginta quinque Joannis Wicleff et Joannis Huss triginta articulis superius descriptis latam, fore veram et catholicam: scilicet, quod supradicti quadraginta quinque articuli Joannis Wicleff et Joannis Huss triginta non sunt catholici, sed quidam ex eis sunt notorie haeretici, quidam erronei,alii temerarii et seditiosi, alii piarum aurium offensivi.«

679. **Scholion.** Quod *syllabum* complectentem praecipuos nostrae aetatis errores attinet, haec sunt tenenda: **1.** Syllabus dogmatico plane pollet charactere et pretio, quo irrefragabilem seu infallibilem vim habet, quod bene ostendit Schrader, comment. de theologia generatim n. 84, et fuse admodum Rinaldi in l. Il valore del Sillabo, Roma 1888. Seposita enim etiam quaestione, utrum singulae ejusdem propositiones a romano pontifice e cathedra loquente, proinde auctoritate infallibili, fuerint reprobatae: certum est, eum quam solemnissime ab universo episcopatu catholico fuisse receptum, approbatum et promulgatum, ideoque omni ea auctoritate frui, quae judicio Ecclesiae docentis inesse possit: mirus enim hic consensus universi episcopatus signum est, manifestatio et criterium vim judicii dogmatici et propositionis authenticae regulae catholice sentiendi inesse syllabo. Quare **2.** omnino tenendum est, ab Ecclesiae filiis assensu indubio propositiones, quas complectitur, esse reprobandas atque cavendas. Inde tamen **3.** non sequitur vi hujus reprobationis propositiones contradictorie oppositas esse de fide: cum enim non damnentur ut haereticae, inferri nequit oppositum esse de fide, nisi id aliunde constet. Quare **4.** sicut hae propositiones continent doctrinam ex infallibili romani pontificis declaratione aliquo modo doctrinae catholicae noxiam, ita contradictorie oppositae propositiones complectuntur doctrinam catholicam et sanam.

680. *De subjecto magisterii authentici.* — Quod vero authentici magisterii subjectum attinet, alio loco ostendimus illud esse romanum pontificem et coetum episcoporum sive in concilium oecumenicum congregatum sive per orbem dispersum (n. 373 ss.). Praeterea tenendum est **1.** potestate docendi, quamvis non infallibili, authentica[1]) tamen, praeditos esse in sua dioecesi episcopos; hi enim positi sunt a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei (Act. 20, 28), et eorum tamquam successorum apostolorum est doctrinam revelatam fidelibus annunciare atque proponere, secundum doctrinam jam definitam judicare, illam urgere, contumaces condemnare etc.; sed gravibus de causis[2]) nequeunt de

---

[1]) Doctor authenticus in Ecclesia est, qui ex officio divinitus instituto jus habet et obligationem docendi. Authentia latius patet infallibilitate estque jus docentis, ut audiatur et ejus doctrina recipiatur. De essentia authentici judicis non est, ut ipse sibi normam statuat, secundum quam decernat, neque ut ejus sententia sit peremptoria, a qua non liceat appellare, ut liquet ex tot judicibus societatis civilis: eoque magis erit aliquis in Ecclesia doctor authenticus, quo majori jure licet praesumere eum docere in unione cum doctore maxime authentico et infallibili. Cf. Palmieri de rom. pontif. th. XXVIII.

[2]) Ejusmodi causae sunt: gravitas negotii, cujusmodi est controversia de

controversiis fidei judicare nisi congregati in concilium. 2. Potestate authentice docendi pariter fruuntur concilia provincialia, quae secundum canonum praescripta celebrantur; inter quae praescripta haud infimum est, ne contra sedis apostolicae sententiam congregentur, alioquin ea ipso jure nulla, irrita, invalida, inania viribusque et effectu penitus et omnino vacua ab initio sunt eruntque, ut Alexander VIII. de declaratione famosa cleri gallicani a. 1682. statuit. Cum vero judicia peremptoria de fidei controversiis spectent ad causas majores, ideo ut vim habeant, approbanda sunt forma solemni vel saltem simplici a sede apostolica: quod si approbatione destituantur tacitusque consensus supponi nequeat, praesertim si ex culpabili negligentia seu virtuali contemptu sedis apostolicae relatio fuerit omissa, auctoritate carent. Quare damnata fuit synodi pistoriensis prop. 85: „Propositio enuncians, qualemcunque cognitionem ecclesiasticae historiae sufficere, ut fateri quisque debeat, convocationem concilii nationalis unam esse ex viis canonicis, qua finiantur in ecclesia respectivarum nationum controversiae spectantes ad religionem; sic intellecta, ut controversiae ad fidem et mores spectantes in ecclesia quacunque subortae per nationale concilium irrefragabili judicio finiri valeant; quasi inerrantia in fidei et morum quaestionibus nationali concilio competeret: schismatica, haeretica.“ Et in syllabo prop. 36: „Nationalis concilii definitio nullam aliam admittit disputationem civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest.“

681. *De congregationibus romanis.* — Potestate authentice docendi pollent 3. etiam congregationes romanae cardinalium, quae ad custodiam depositi revelationis puritatisque fidei tutelam sunt institutae [1]).

---

fide; universalitas negotii, fidei enim causa universalem spectat Ecclesiam, in qua una eademque vigere debet fides; unitas fidei, quae nimis facile laederetur, si episcopus quivis seorsim ab aliis in controversiis fidei authentice judicare posset.

[1]) Huc referri debent verba Pii IX. in Brevi d. 15. Jan. 1857. ad archiepiscopum coloniensem, quibus de decreto congregationis indicis, quo Güntheri opera reprobata et prohibita fuere, dicit: „Rebus omnibus a Nobis etiam perpensis, eadem congregatio decretum illud, suprema Nostra auctoritate probatum tibique notissimum edidit, quo güntheriana opera prohibentur et interdicuntur. Quod quidem decretum Nostra auctoritate sancitum Nostroque jussu vulgatum sufficere plane debebat, ut quaestio omnis penitus dirempta censeretur, et omnes, qui catholico gloriantur nomine, clare aperteque intelligerent, sibi esse omnino obtemperandum, et sinceram haberi non posse doctrinam güntherianis libris contentam, ac nemini deinceps fas esse doctrinam iis libris traditam tueri ac propugnare.“ Et in lit. ad archiep. frising. 21. Dec. 1863. legimus: „Cum agatur de illa subjectione, qua ex conscientia ii omnes catholici obstringuntur, qui in contemplatrices scientias incumbunt, ut novas suis scriptis Ecclesiae affe-

Hujusmodi sunt praesertim congregatio s. Officii seu inquisitionis haereticae pravitatis, congregatio Indicis librorum prohibitorum et subinde congregatio Poenitentiariae in rebus moralibus. Congregationes in hoc a conciliis provincialibus distinguuntur, quod **a.** illarum judicia in universa Ecclesia vim habeant, non vero horum decreta, saltem per se et immediate; quod **b.** concilia provincialia jure proprio sibique insito doceant: congregationes vero potestate quidem ordinaria, sed vicaria, quam illis in bonum Ecclesiae et ad facilius regendam Ecclesiam communicat summus pontifex; quod **c.** ab episcoporum sententia detur recursus ad congregationes, quae sunt superior quaedam instantia. Cum autem summus pontifex nemini possit communicare infallibilitatem, neque primatum, cui illa est adnexa, quamvis possit quosdam in partem sollicitudinis vocare: hinc decreta congregationum non sunt infallibilia [1]), etiamsi pontificis nomine et auctoritate sint edita, imo etiamsi edantur facta ad ipsum relatione ipsoque sciente, consentiente et hoc modo ea approbante. Ut censeri possint infallibilia, necesse est, ut pontifex ea propria faciat proprioque nomine edat cum iis adjunctis, quae in definitione vaticana de romani pontificis infallibilitate indicantur: quo in casu congregatio se habet tantum per modum consulentis [2]).

---

rant utilitates: idcirco ejusdem conventus (literarii Monachii habiti 1863) viri recognoscere debent, sapientibus catholicis haud satis esse, ut praefata Ecclesiae dogmata recipiant ac venerentur: verum etiam opus esse, ut se subjiciant tum decisionibus, quae ad doctrinam pertinentes a pontificiis congregationibus proferuntur, tum iis doctrinae capitibus, quae commune et constanti catholicorum consensu retinentur ut theologicae veritates et conclusiones ita certae, ut opiniones eisdem doctrinae capitibus adversae, quamquam haereticae dici nequeant, tamen aliam theologicam mereantur censuram.«

[1]) Quamvis divinae providentiae dispositione factum sit, ut vix unquam erraverint in solemni aliqua declaratione vel judicio.

[2]) Qua de re ita scribit em. card. Franzelin de hoc argumento egregie disserens de div. traditione et Scriptura ed. 2. Schol. 1. post. thes. XII. pag. 133: „Quod sententiam congregationis ratam habet et sua suprema auctoritate confirmat summus pontifex, id non efficit definitionem ex cathedra, nisi ipse suum faciat atque ex sese edat decretum, cum necessariis signis intentionis definiendi doctrinam ab universa Ecclesia tenendam, ita ut sententia non amplius sit congregationis tamquam judicantis, sed per modum dumtaxat consulentis. Hoc solum sensu praesertim post declarationem concilii vaticani admitti potest ac debet doctrina eorum theologorum, qui ut Cardenas et Lacroix etiam a Zaccaria historice citati (della proibizione de'libri, append. § 2. n. 6) dixerunt, decreta doctrinalia ss. congregationum, si specialiter approbata fuerint a pontifice, esse definitiones ex cathedra. Ne vero insistatur illi expressioni, sententiam congregationis esse confirmatam suprema auctoritate pontificis, advertatur supremam posse dici auctoritatem sive intensione exercitii, sive in sua substantia; hoc altero

682. *De assensu magisterio authentico exhibendo.* — Quod denique assensum judicio magisterii authentici exhibendum attinet, haec statui posse videntur: **1.** assensus exhibendus magisterio infallibili et sua infallibili docendi auctoritate utenti circa veritatem revelatam debet esse actus fidei divinae et catholicae; quod si magisterium non versetur circa objectum formaliter revelatum, sed circa ea, quae recensuimus n. 674, debet esse indubius, excludens quodvis dubium voluntarium deliberatamque formidinem, non obstantibus rationibus gravissimis, quae illi contrariae videantur. Quare judicio illi non satisfit solo assensu externo et obsequioso silentio. **2.** Assensus exhibendus judicio vel magisterii infallibilis infallibilitate tamen sua non utentis (neque enim qui potestate aliqua pollet, ea semper secundum totam illius intensionem uti solet vel debet), vel auctoritatis non infallibilis, de qua egimus n. 680 et 681, non debet esse absolute indubius et supra omnia firmus [1]). Inde tamen **3.** non sequitur, licere fidelibus pro lubitu interius dubitare, assensum cohibere internum, silentio solum acquiescere obsequioso; nisi enim omnem ordinem moralem et socialem, imo et rationalem subvertere velimus, admitti debent plures assensus interni species, quae inter assensum indubium, super omnia firmum, infallibilem et dubitationem locum habere possint; et ex eo quod pontifex non utatur suprema docendi auctoritate, non definiat ex cathedra, non sequitur eum loqui ut doctorem privatum paris auctoritatis cum quolibet alio theologo.

---

modo pontifex e. g. concedit indulgentias, privilegia, dispensationes, decernit servorum Dei beatificationes (citra ultimum definitivum judicium) suprema potestate, quin ideo semper sit suprema intensio in exercitio hujus potestatis. Ita ergo etiam non potest esse pontificia confirmatio decreti doctrinalis, quin sit ex suprema auctoritate, quae nimirum est pontificia; sed potest esse sine suprema intensione hujus auctoritatis ac magisterii, quae reperitur in solis definitionibus ex cathedra.« Alterius sententiae est Scheeben § 34, secundum quem congregationum decreta, quae pontitex »sua suprema auctoritate confirmavit et promulgari mandavit,« ita peremptoria sunt, ut sint etiam infallibilia. In praxi quaestionis decisio pendebit a diligenti adjunctorum consideratione, utrum scil. decretum censeri debeat pontificium ideoque definitio e cathedra, an tantum congregationis sententia potestate sibi communicata edita. Ceterum de hoc argumento deque congregationum rom. auctoritate etc. accurate et erudite disserit Grisar Galileistudien, Regensburg 1882. partis theol. sect. 15 ss.

[1]) Loquimur, ut per se patet, de assensu huic magisterio exhibendo propter ipsius auctoritatem, non de assensu in revelationem divinam vel dogmata jam definita, quae homini per pastores, episcopos etc., qui per se infallibiles non sunt, proponantur. Quomodo hoc in casu assensus fidei indubius gignatur, colligi debet ex dictis n. 621 ss. et 642. Cf. Palmieri l. c. Scholion II. post thes. XXXII.

683. Cujusmodi vero **4.** debeat esse assensus, non potest in genere facile definiri, cum id pendeat a variis adjunctis atque a judicii forma. Nisi ergo gravior aliqua auctoritas ejusmodi judicii vim ac robur rescindat vel infringat (ut si episcopus, concilium provinciale etc. aliquid doceret contra certam Ecclesiae universalis vel summi pontificis sententiam), exigitur a bonis Ecclesiae filiis **a.** ne obloquantur adversus magisterii authentici, sed non infallibilis, judicium, serventque proinde silentium obsequiosum; exigitur **b.** ut suum illi conforment judicium atque internum exhibeant assensum; cujus **c.** assensus interni firmitas pendebit a majori minorive docendi authentia, cura et sollicitudine, qua confectum est decretum, ab absentia rationum in contrarium, in primis vero a majori minorive praesumptione, qua supponi, et praesumi potest consensus auctoritatis supremae atque infallibilis. Quod si **d.** menti fidelis vere graves et solidae, theologicae praesertim, obversarentur rationes in contrarium, licitum ei esset formidare, conditionate assentire, imo et suspendere assensum, donec innotescat consensus Ecclesiae universalis vel romani pontificis; ideoque etiam licebit ad altius appellare tribunal scil. vel ad concilium vel ad romanum pontificem. Ceterum **e.** quamvis ejusmodi judicium auctoritatis haud infallibilis non semper praebeat securitatem objectivam, praebet tamen generatim securitatem subjectivam: quatenus omnibus tutum est ea non quidem ex motivo fidei, sed ex motivo aliarum virtutum amplecti, et tutum non est, nedum licitum ob violationem debitae submissionis erga magisterium divinitus constitutum, ejusmodi contemnere decreta; eoque magis tutum est decretis illis acquiescere, quod propter omnimodam fidelium subjectionem sub magisterii infallibilis auctoritate assensus omnis judiciis et declarationibus magisterii fallibilis exhibitus, habitu et aequivalenter vel interpretative sit conditionatus, quamvis, quamdiu nulla prudens et gravis occurrat ratio dubitandi, formam prae se ferat absolutam.

INDEX.

THEOLOGIA GENERALIS.

Pag.

Prolegomena. Theologiae notio, divisio, praestantia etc. 1

TRACTATUS I. Revelationis christianae Apologia.

Sect. I. De nonnullis revelationis divinae proprietatibus . . 12

Caput I. De revelationis possibilitate et convenientia . . 12

Thesis 1. De mysteriorum exsistentia 12

» 2. Mysteriorum revelatio est possibilis . . . 15

» 3. De revelationis utilitate 17

Caput II. De revelationis necessitate 19

Scholion. Exceptionibus satisfit 23

Thesis 4. De necessitate revelationis veritatum rationalium . 20

Corollarium. Obligatio hominis inquirendi revelationem . 25

Caput III. De revelationis criteriis 25

Thesis 5. De possibilitate miraculorum et vaticiniorum . 27

» 6. Miracula et vaticinia dignosci possunt . . . 30

Sect. II. De revelationis divinae exsistentia 34

Caput. I. De divina Christi missione 34

Thesis 7. De genuinitate et authentia Evangeliorum . . 35

Scholion. Evangeliorum incorruptio 40

Articulus I. De vaticiniis messianis 41

Thesis 8. Exstant vaticinia messiana 41

» 9. Vaticinia messiana sunt genuina 42

» 10. Jesus Christus est Messias 45

» 11. De vaticinio Jacobeo Gen. 49, 10; Dan. 9, 24 ss., Agg. 2, 7 s. 47

Scholion I. et II. Refutantur adversariorum exceptiones contra vatic. messiana 58

Articulus II. De testimonio ipsius Christi pro divina sua missione 60

Thesis 12. De Christi miraculis 62

» 13. Divina Christi missio probatur ex ejus resurrectione 70

» 14. Divina Christi missio probatur ex ejus vaticiniis 72

» 15. Imago et doctrina Christi 74

Articulus III. De testimonio quod secula posteriora Christo exhibuerunt 80

Pag.

Thesis 16. De conversione gentium, de rescissione V. T. deque judaeorum reprobatione 80
Caput II. De divina religionis christianae indole atque origine 87
Thesis 17. De celeri propagatione religionis christianae . . 88
» 18. De invicta religionis christ. constantia . . . 92
» 19. De fructibus insignibus religionis christianae . 94
» 20. Martyrum sanguis est testimonium veritatis religionis christianae 98
» 21. Miracula patrata a praeconibus religionis christ. demonstrant coelestem ejus originem . . . 103
Scholion. Quare modo miracula rarius fiant 105
Thesis 22. Factum revelationis est omnino certum et evidenter credibile; evidens est obligatio fidei . . . 106
Corollarium. Praejudicio colligitur coetum romano-cath. veram esse Ecclesiam 111
Scholion. De modo agendi cum incredulis 112
TRACTATUS II. De divinae revelationis fontibus . . . 115
Sect. I. De divina traditione et variis traditionum speciebus . 116
Caput I. De medio divinitus selecto ad conservandam propagandamque doctrinam christianam 119
Thesis 23. De organo, quo Christus voluit suam doctrinam propagare. De auctoritate patrum in hac quaestione; de patrum doctrina relate ad magisterium ecclesiasticum 119
Scholion. Magisterium ecclesiasticum quam aptum sit ad propagandam revelationem 132
Corollaria. Traditionis plenior notio 134
Catholicus intellectus norma interpretationis . 135
Caput II. De mediis, quibus divina traditio transmittitur et tuto cognoscitur 138
Thesis 24. De auctoritate unanimis consensus patrum . . 140
» 25. De auctoritate patrum latinorum consentientium . 143
» 26. De auctoritate pauciorum patrum conspirantium . 143
Scholion. Notanda de patrum auctoritate 145
Thesis 27. De auctoritate scholae 149
Scholion. De auctoritate s. Thomae 151
Thesis 28. De auctoritate communis consensus fidelium . 152
Caput III. De relatione inter s. Scripturam et traditionem . 153
Thesis 29. Traditio praecedit Scripturam in ordine chronologico et logico 154
» 30. Traditio latius patet quam s. Scriptura . . 155
Scholion. Exceptionibus protestantium, qui sufficientiam Scripturae urgent, satisfit 158
Caput IV. Doctrina de traditione uberius illustratur . . 159
Thesis 31. Praesens oeconomia christiana novo et perfectiori ordine non est abroganda, neque revelationis objectivum incrementum est exspectandum . . 159
Scholion. Non omnia eodem modo traditione continentur . 162

Pag.
Corollarium. Vincentii lirinensis canon 165
Scholion. De profectu cognitionis religiosae; de theoria Güntheri 166
Sect. II. De s. Scriptura. 170
Scripturae praestantia 170
Caput I. De Scripturae inspiratione 172
Lemmata disputationi de s. Scriptura praemittenda . 172
Thesis 32. Auctor s. Scripturae est Deus 173
Genuina notio inspirationis 176
Corrollaria. De praeposteris notionibus inspirationis . . 178
Caput II. De inspirationis extensione seu de canone . . 181
Thesis 33. De criteriis falsis libri inspirati 181
» 34. De criterio libri inspirati 182
» 35. Tridentinus s. Scripturae canon est authenticus . 184
Scholion I. Exceptionibus adversus trid. s. Scripturae canonem respondetur 188
De epist. ad hebraeos et de apocalypsi . . 190
» II. De discrimine inter libros deuterocanonicos et protocanonicos, quod statuit Jahn 191
Caput III. De authentia Vulgatae 192
Thesis 36. De jure Ecclesiae declarandi authentiam Vulgatae; quo sensu Vulgata sit authentica 192
Caput IV. De habitu inter Scripturam et Ecclesiam discentem et docentem. De Scripturae obscuritate. Ecclesiam habere jus lectionem s. Scripturae moderandi . . 198
TRACTATUS III. De Ecclesia Christi 202
De Ecclesiae praestantia 202
Pars I. De Ecclesia Christi generatim 207
Caput I. De Ecclesiae exsistentia 207
Thesis 37. Christus Ecclesiam instituit ita ut sit societas . 207
Quando Ecclesia coeperit 209
» 38. Ecclesia est perennis et ad finem mundi duratura 210
» 39. De Ecclesiae visibilitate 215
Caput II. De Ecclesiae essentia 220
Articulus I. De finali causa Ecclesiae 221
Thesis 40. Christus per Ecclesiam continuat opus salutis . 221
» 41. Ecclesia est societas supernaturalis et corpus Christi mysticum, distincta a societate civili et a schola philosophica 223
Thesis 41ª. Ecclesia est societas perfecta 236
Scholion. De habitu inter Ecclesiam et societatem civilem . 239
Thesis 42. De axiomate: Extra Ecclesiam non est salus . 241
Corollarium. De tolerantia et intolerantia religiosa . . 248
Articulus II. De causa materiali Ecclesiae seu de Ecclesiae membris 251
De materia remota Ecclesiae 252
Thesis 43. Falsum est, ad Ecclesiam immediate omnes et solos praedestinatos pertinere 254

Pag.
Thesis 44. Quinam spectent ad Ecclesiae animam . . . 255
Corollarium I. Quomodo catechumeni ad Ecclesiam pertineant 255
» II. Anima Ecclesiae latius patet ejus corpore . 256
Thesis 45. Qui non spectent ad Ecclesiam 258
Scholion. Variae quaestiones de Ecclesiae membris . . 259
Thesis 46. Peccatores pertinent ad Ecclesiam 262
» 47. Exceptionibus satisfit 263
Articulus III. De reliquis Ecclesiae causis 268
Thesis 48. De ministerii ecclesiastici institutione . . . 269
» 49. De ministerii ecclesiastici necessitate . . . 272
» 50. De ministerii ecclesiastici perennitate . . . 276
De ministerii eccl. auctoritate 277
A. De Ecclesiae infallibilitate 278
» 51. Ecclesia docendi potestate pollet 278
Corollarium. Ecclesia habet jus proscribendi falsas doctrinas et libros perversos, approbandi libros etc. . 281
Thesis 52. Ecclesiae magisterium est infallibile . . . 284
Scholion I. Methodus servanda in probanda Ecclesiae infallibilitate 288
» II. Utrum synagoga fuerit infallibilis . . . 290
B. De infallibilitatis subjecto 291
Thesis 53. Ordo episcoporum sive dispersorum sive in concilium oecumenicum congregatorum est subjectum infallibilitatis 291
Scholion. Conciliorum infallibilitas non pendet a consensu et acceptatione subsequenti Ecclesiae 296
C. De infallibilitatis objecto 296
Thesis 54. De extensione objecti infallibilitatis . . . 296
Infallibilitas Ecclesiae se extendit ad philosophiam, sanciendam disciplinam, approbandos ordines, canonizandos sanctos 299
» 55. Ecclesia est infallibilis circa textus dogmaticos et facta dogmatica 302
Infallibilitatis Ecclesiae plenior notio . . . 304
Caput III. De Ecclesiae proprietatibus 305
Thesis 56. De unitate Ecclesiae 306
Corollarium. Protestantes sunt rei schismatis 311
Thesis 57. De discrimine, quod protestantes statuunt inter articulos fundamentales et non fundamentales . . 312
Scholion. Facta quaedam historiae ecclesiasticae, quae contra Ecclesiae unitatem objiciuntur, explicantur . . 315
Thesis 58. De Ecclesiae sanctitate 317
» 59. De apposito catholicae 320
» 60. Ecclesiae catholicitas probatur 324
Scholion. Exceptionibus contra Ecclesiae catholicitatem respondetur 327
Thesis 61. De Ecclesiae apostolicitate 329

Pag.
Caput IV. De notis Ecclesiae 332
Thesis 62. Notae a protestantibus propositae rejiciuntur . 333
„ 63. De notis Ecclesiae necessariis et sufficientibus . 334
„ 64. Coetus romano-catholicus vera est Ecclesia: notis verae Ecclesiae carent coetus protestantium . . 335
Pars II. De romano pontifice 343
Caput I. De primatu in universam Ecclesiam ex fidei analogia 344
Thesis 65. Ecclesiae unitas exigit medium, quo conservetur . 344
„ 66. Quae non sint media authentica externa ad conservandam cath. Ecclesiae unitatem 345
„ 67. Unitatis ecclesiasticae custodia uni singulari pastori fuit commissa 349
„ 68. Ipsum factum conservati tamdiu in sede romana primatus probat ejus divinam institutionem . . 353
Corollarium I. Primatus jurisdictionis potestatem complectitur 356
„ II. Primatus exigit infallibilitatem 357
Caput II. De Primatu Petri Apostoli 358
Thesis 69. Christi erga Petrum oeconomia ostendit, hunc ceteris apostolis praelatum fuisse 359
„ 70. Christus Petro promisit jurisdictionis primatum . 362
„ 71. Petrus Ecclesiae fundamentum secundum authenticum Patrum commentarium 366
Scholion. Falso explicant quidam protestantes sensum verborum Matth. 16, 18 370
Thesis 72. Petro sub clavium symbolo promissus fuit primatus jurisdictionis in universam Ecclesiam 370
Scholion I. Explicantur Augustini testimonia 373
„ II. Petri praerogativae apostolis non erant communes 374
Thesis 73. Petri primatus confirmatur ex Luc. 22, 31 ss. . 376
„ 74. Confirmatur ex Joan. 21, 15 ss. 377
„ 75. Petri agendi ratio confirmat ejus primatum . . 381
Scholion. Exceptionibus contra Petri primatum respondetur . 383
De apostolorum aequalitate 386
Corollarium I. Regimen Ecclesiae est monarchicum . . 388
„ II. Theoria de Ecclesia bicipite est figmentum jansenianorum 388
Caput III. De romano pontifice Petri in primatu successore . 389
Thesis 76. De primatus perennitate 389
„ 77. Romani pontifices sunt successores Petri in Primatu 391
Scholion. Romani episcopi jure divino primatum possident . 415
Caput IV. De vi et ratione romani pontificis 417
Praerogativae romani pontificis exponuntur . . 419
Thesis 78. Romano pontifici competit jus convocandi concilia oecumenica, illis praesidendi, illa confirmandi . 428
„ 79. Romanus pontifex in docendo ex cathedra est infallibilis 434
Potioribus difficultatibus respondetur . . . 453
Definitionis infallibilitatis opportunitas 469

Pag.
Scholion. De infallibilitatis subjecto 470
Romani pontificis immunitas personalis 471
TRACTATUS IV. De genesi et regula fidei . . . . . , 474
Sect. I. De fidei genesi 474
De fidei praestantia, motivo, discrimine ab aliis mentis assensionibus 474
Scholion. Utrum de objecto eodem possit haberi fides et scientia 482
Thesis 80. Ad credendum certa requiritur cognitio revelationis, quae credibilitatis motivis innotescit . . . 483
Corollarium. Fidem laedit qui rationem nimis deprimit . 487
Scholion I. Qualis certitudo de facto revelationis ad credendum requiratur 488
» II. Quomodo exsistentia Dei et veracitas credi possint 492
Thesis 81. Fidei obligatio rationi innotescit: credendum autem est assensu firmissimo 493
» 82. Ad credendum non necessitamur, sed sumus liberi 495
Scholion. Quid faciendum in dubiis fidei 497
Thesis 83. De gratiae necessitate ad credendum . . . 499
» 84. Summae fidei certitudini non adversatur certitudo tantum moralis de revelationis facto . . . 503
Scholion. Quo sensu fidei certitudo excedat alias certitudinis species 504
Corollarium. Fidei analysis 505
Sect. II. De habitu inter revelationem et rationem . . . 507
1. Nulla est pugna inter revelationem et rationem . . 507
2. Plures fidei veritates rationem superant . . . 508
3. Eamque quamdiu in terris degimus superabunt . . 511
Thesis 85. Fides est secundum rationem, atque fides et ratio sibi mutuo opem ferunt 513
De habitu inter revelationem et rationem . . 521
Sect. III. De regula fidei 523
De conditionibus requisitis ad fidem catholicam . . 523
Quid proprie revelatum dici possit 525
De objecto materiali fidei 527
De Eccsesiae propositione 528
Quomodo haec innotescat 529
De doctrina catholica 532
De censuris theologicis 533
De magisterii authentici subjecto 536
De congregationibus romanis 537
De assensu mentis judicio magisterii authentici exhibendo 539

A. M. D. G.

BRIGHAM YOUNG UNIVERSITY
3 1197 01193 6892